Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Heresbach, Conrad

Rei Rvsticae Libri Qvatvor Vniversam agriculturae disciplinam continentes ; Cum Indice locupletissimo

Spirae Nemetvm 1594

Oecon. 841
urn:nbn:de:bvb:12-bsb00034117-7
VD16 H 2292VD16 H 2292

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

W P V B



1 5 9 4

Oecon.
841

Heresbach

Oec. Gen. 041

Fh 2258

Oeconomia. Systemata et methodi 101.

Oec. gen. N. 261.

REI
RVSTICAE
LIBRI QVATVOR

Vniuersam agriculturæ disciplinam continentes,

A

CLARISSIMO VIRO D. CONRADO HERESBACHIO *IVRISconsulto olim conscripti:*

Nunc ab innumeris mendis repurgati, & cum auctario editi.

Quorum periochen & summam auersa pagina docebit.

Cum Indice locupletissimo.

SPIRÆ NEMETVM,
TYPIS SMESMANNIANIS.
ANNO cIↃ. IↃ. XCIV.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

CONTENTA
HOC OPERE.

Lib. I. *De villa ruſtica, villico, agro & agricultura, frugibus, meſſe, horreis, pratis, fœno, &c.*

Lib. II. *De Hortenſibus, plantis, arboribus, ſylvis.*

Lib. III. *De animantibus villaticis, iumentis, pecoribus, & canibus:*

Lib. IV. *De auibus & piſcibus: apum & mellis cura.*

ITEM DE

Venatione, Aucupio, Piſcatione compendium: in vſum Heroum concinnatum.

Acceſſit corollarium,

Legum ruſticarum, & operarum per ſingulos menſes digeſtarum.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO CHRISTIANO IV.

Regi Daniæ, Norvvegiæ, Wandalorum, Gothorum &c. Duci Slesvvici, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarsiæ, Comiti in Oldenburg & Delmanhorst, &c. Domino suo clementissimo. S. P.

SERENISSIME AC POTENTISSIME REX: offero Maiest. T. libros hosce Conradi Heresbachij de re rustica: cuius instituti causas in promptu habeo, non con-

temnendas, quas æquis lectoribus me facile probaturū confido. Nisi enim vehemẽter fallor, siue argumentum, siue personas respiciam, nec iniucundum magnatibus opusculum istud accidet, nec indignum, quod Maiest. Tuæ inscribatur, à me inprimis, Tuæ Maiest. addictissimo & deuinctissimo, cẽsebitur. Nã, ad materiam horũ librorum quod attinet, agũt ij de Agricultura, & omnibus rusticæ rei partibus: Quod studium cùm ob summam ad vitam hanc mortalem degendã necessitatẽ, tum immensam vtilitatem, liberalem deniq; voluptatẽ, raramq; delectationem, omnibus seculis à summis quibusq; viris, præconiis maximis

maximis decantatum & prædicatum est, adeò vt non postremam in eo felicitatis humanæ, à plurimis anxiè inuestigatæ, ab omnibus autẽ expetitæ, partem cõstituere minimè dubitarint Hinc Maronem canentem audimus;

O Fortunatos nimium, sua si bona norint Agricolas, &c. Georg. 2.

Hinc Flaccum:

Beatus ille, qui procul negociis;
Vt prisca gens mortalium,
Rura paterna bobus exercet suis: Epod. 2.

Hinc Nasonem:

Tempus in agrorum cultu consumere dulce est. De Põt 2.

Hinc Senecam in Hippolyto:

Non alia magis est libera, & vitio carens
Ritusq; melior vita quæ priscos colat,
Quàm quæ relictis mœnibus agros amat,
Non illũ amaræ mentis inflammat furor
Qui se dicauit montium insontem iugis:
Non aura populi, & vulgus infidũ bonis,

Non peſtilens inuidia, non fragilis fauor,
Non ille regno ſeruit, ac regno inuidet,
Vanos honores ſequitur aut fluxas opes,
Spei metuſq; liber, haud illum niger
Edaxq; liuor dente degeneri petit,
Nec ſcelera populos, atq; inter vrbes ſita
Nouit, nec omnes conſcius ſtrepitus pauet.

Hinc Claudianum, vitam ruſticam vrbanæ præferre legimus:

Lib. 1. in Ruffin.

Hæc mihi paupertas auguſtior, hæc mihi tecta,
Culminibus maiora tuis: ait:

& plura perquam eleganter.

Hinc plurima in eandem ſententiam apud alios grauiſſimos auctores iactantur. Idem ſtudium ſic à præſtantiſſimis Regibus, Imperatoribus, Principibus excultum eſt, vt eorum, qui gnauiter ac libenter in eo verſati ſunt, ſi nomina referre libeat, librum, non epiſtolam ſcribere oporteat:

oporteat: Quot enim Græca, quot Romana, quot aliarum gentium hiſtoriæ recenſent? Vel vnus M. Terent. Varro, Romanorum doctiſſimus, ac poſt eum L. Iun. Columella, quantum Catalogum contexuerunt, tum autorū, qui Latina, Græca, Punica lingua Rei ruſticæ præcepta tradiderunt, tum principum virorū, qui manibus ſuis eam exercuerunt, & tractarunt? Quintius Cincinnatus ab aratro vocatus ad dictaturam, obſeſſum Conſulem & exercitum liberauit, & faſcibus depoſitis, quos feſtinantius victor reddidit, quàm ſumſerat Imperator, ad ſuos iuuencos, & quatuor iugerum auitū prædiolum rediit. A villa in ſena-

tum accersebantur olim Romani Patres, & agri cultione se oblectabant. In hâc rusticatione Manl. Curius, cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triūphasset, consumsit extremum tempus ætatis: vt de aliis taceam. Neq; enim olim, vti nunc corrupta tempora & mores peruersi solēt, rusticum vitæ genus abiectū, & vilissimorum mancipiorū proprium ducebant: Sed contra potius, nullum honestius, vberius, dulcius, splendidius, libero homine dignius, ac primæ hominum origini aureoque seculo propinquius, nullum ingenuo & innocente quæstu sanctius, sapiētiue decentius, grauiter existimabāt. Vnde agriculturam aliarum artium

artium matrem, nutricem ac promam appellitabant: qua benè habente, cætera valeāt: neglecta verò, terra marique iaceant omnia. Quid quòd Socrates eam Amaltheæ cornu, Menander ἀρετῆς καὶ εὐκλείας διδάσκαλον ἐλευθέρας, virtutis ingenuæq; vitę magistram esse perhibēt? In qua sententia prudentissimos quosq; Rerumpubl. moderatores fuisse apparet; vt, verbi gratia, Lycurgum seueriſſimum illum Spartanorum νομοθέτην & Gelonem Syracusanum, qui ciuibus suis agros distribuerunt, agricolationisque labores imperârūt, ex iis vt victū quærerent: iis vt corpora ad militiæ sudores durarent: vt est apud Plutarchum; qui de Catone Maiore quoq;

teſtatur, dicere ſolitum fuiſſe, fortiſſimos viros & milites ſtrenuos ex agricolis gigni. Imò Xenophon in Oeconomico præter alia encomia Agriculturam Imperatoriæ cõfert: ad quam illa conducat. Sicut enim ad bellum conficiendum, ſic ad agrum colendum hominibus eſt opus, & operis promptis ac obſequentibus: quales & milites ſibi comparare ducem neceſſe ſit. Nec agricolam minus operas hortari oportet, quàm imperatorem milites.

Sed nolo in laudes agriculturæ digredi, quæ & infinitæ ſunt, & ſtudioſis bonorũ auctorum paſſim obuiæ. De præſenti duntaxat opere dicam, quod Clariſſ. vir D. Conrad.

Heres-

Heresbachius, frater mihi dilectissimus, vir (vt magni illius Erasmi Roterodami verbis vtar: siquidem meum testimonium, vt domesticum suspectum videri queat) omni literarum genere absolutus, & in omni sacrorum & profanorum autorum genere summa cum laude versatus, ad crebras amicorum, doctrina, auctoritate & dignitate insignium virorum petitiones, publici cōmodi causa, concinnauit. Cum enim post varios exantlatos labores, tum in Reipubl. negociis expediendis, tum in præclaris autoribus, Herodoto, Strabone, Thucydide, aliisq; vertendis castigandisque, & insignibus ingenij monumentis,

mentis, (inter quæ eminent libri de Principum educatione, Commentarij in Psalmos Dauidicos, Cantio Cygnea siue præparatio ad mortem, & alij nonnulli) publicandis, se iam ętate grandior ad otiū, siue negotia contulisset rustica, ne tum quidem deses sibi tantum viuere voluit, sed instar apis sedulæ veteres scriptores rerum rusticarum auidè degustauit, inde suauissimos quosque ac fragrantissimos flores decerpsit, & quæ ad disciplinam istam illustrādam hodie pertinere videbātur, collegit, adiunctis iis obseruationibus, quas experiundo cognouerat: eáque ad communem vtilitatem, vt erat benignus & liberalis ac minimè

minimè inuidus, noſtrati cœlo Arctoiſque regionibus accommodata, publici iuris fecit. Quo quidem benè merendi ſtudio tantam iniit gratiam ab eruditis φιλογεώργοις, vt exemplaribus protinus diſtractis, complures, Germani pariter & exteri, ſummo ſtudio iampridem alia deſiderare, & à me nouam editionem efflagitare cœperint. Eorum votis vt tandem ſatisfacerem, exemplar Coloniæ annis abhinc pluribus vitioſiſſimè impreſſum, accuratè recognoui, ab innumeris mendis, quibus operarum typographicarum incuriâ ſcatebat, repurgaui & liberaui, nec pœnitenda acceſſione, ex autographo auctoris locuple-

taui : denique nec labori nec ſumtui parcendum exiſtimaui, quò caſtigatius & elegantius prodiret, ac ſtudioſis rerum ruſticarum ſatisfaceret.

Hos igitur libros Maieſt. T. Rex optime, dico, cõſecro, & inſcribo: cùm vt ex Regiæ veſtrę maieſtatis ſplendore plus dignitatis & gratiæ iis accedat; tum quòd ſperem, M. V. non illibenter, imò magna cum voluptate, ſi per ocium licebit, & animi recreãdi gratia libebit, libros iſtos, quibus multa ſcitu non indigna, de villa ruſtica, colonis, agris, rebus hortenſibus, plantis, iumentis, pecoribus, canibus, auibus, piſcibus, apibus, continentur, perlecturam eſſe: inpri-

inprimis Thereuticen, ſiue tractatum de Venatione, Aucupio, Piſcatione: quem Maieſt. T. iure quodam ſibi proprium vẽdicare poteſt, vt heroum peculiare exercitium perſequentem. Denique publicum hoc ceu monimentum meę in M. T. obſeruantię ac fidelitatis extare volui, gratitudiniſque in familiam Danicam, à qua in me non exigua ſentio & prædico collata beneficia & ornamẽta: Cum & M. T. parenti immortali laude digniſſimo me in conſiliariorum numerum cooptare placuerit: ſimul etiam Deum OPT. Max. precari, vt thronum M. T. ſtabiliat, & ineunti gubernationi de cœlis benedicat, ac ſub tuo

regno

regno Daniæ, vicinisque regionibus tranquillitatem ac felicitatem largiatur ad sui nominis gloriam & Ecclesiæ emolumentum, Amen. Spirę Nemetum Idib. Martij Anno redemti orbis CIↃ. IↃ. XCIV.

M. V.

Addictissimus

IOAN. HERESBACHIVS
Iureconsl.

CONRADVS HERESBACHIVS LECTORI S. D.

Occasio operis.

SVPERIORIBVS annis cùm in controuersiis finium regundorum Consiliarij Geldrienses & Cliuenses, ad Mosæ ripam conuenissent, & propter locorum inspectionem, iuriumq; vtriusque ditionis collationem congressus disceptatióque in plusculos dies prorogaretur, tandem autem diuina gratia aspirante, dissidiis compositis limitibusq; ritè distinctis, vtrique alteris valedicturi vnâ pranderemus, sepositis curis publicis, de priuatis honestisque studiis liberius conferri cœptum est, ac fortè de frugibus quibus vesceremur, mentione facta, cũ in studiũ agriculturæ lõgius prouecti essemus, Cancellarius Geldriensis Hadrianus Marius vir eruditus & reirusticæ studiosus, cùm me

quoque ei ſtudio deditum intelligeret, hortari cœpit me, qui ruri plurimum commorarer, rémque Ruſticam exercerem, de huius diſciplinæ exercitio aliquid commentarer, ſcriptóque proderem, huius regionis vſibus accommodatum: Nam quæ veteres, Heſiodus in Bœotia, Cato, Varro, Columella in Campania & Italia tradiderint, noſtro neque cœlo neque ſolo per omnia congruere. At ego etſi hanc prouinciam multis de cauſis recuſare cœpi, illo tamen pertinacius impellente, tandem de agro frumentario, déque paſtoritia & ornithotrophiis (quarum rerum qualemcunque experientiam me vſu quotidiano comparaſſe putabam) commentaturum me ſtipulatus ſum, ea lege, vt ille vicißim hortenſium diſciplinam, in qua eum exercitatum eſſe, ipſius hortus gnauiter elegantérque cultus declarat, explicandam ſuſciperet. Amant alterna Camœnæ. Quod cùm ille promiſiſſet ſe ſuſcepturum, mox poſt paucos menſes non deſtitit inter pellare atque vrgere, vt promiſſa præſtarem. Quid facerem? Ego vt fidem meam liberarem, quæ de agro frumentario & paſtionibus ruſticis eram commentatus, iuxta promiſſi legem, tanquam meum ſymbolum perſoluens, ad eum miſi

missi, addita etiam qualicunque delineatione hortensis culturæ, quò eundem ad suum quoque promissum præstandum prouocarem. Nam etiamsi ego eius partes vtcunque delineassem, non tamen id factum fuerat, vt illum obligatione eximerem, sed vt explicatius de hortensibus differendi occasionem præberem: Siquidem ingenuè fateor, in ea disciplina me non adeò instructum; solum, quantum è veterum recentiorumq; scriptis, ac nostratibus hortulanis, eq; obiter inspecta harum regionum cultura hortensium, percipere potui, scripto sum complexus. Ac verò plantarum nomenclaturas ad amphibologias vitandas visum fuit pluribus linguis explicare, quò magis propriè & significantius quæque distinguerentur, idq; Dioscoridis aliorumq; quorundam exemplo. Ad hæc ne quid in rei rusticæ Philosophia desideraretur, adieci de pecorum auiumq; cohortalium cura, rusticis familiari; addito quoque corollarij vice venationis, piscationis atque accipitrarij exercitij compendio, quo Heroes & patres familiâs, excussis publicis curis, ruri se oblectare atque exercere solent. Porrò cùm Hadrianum Cancellarium, cui has meas de Re Rustica farragines concredideram, fata eripuis-

ſent, neque dum mihi ſuum de hortenſibus ſcriptum, vti ſtipulatus erat, mutuo communicaſſet, ego meas haſce Rhapſodias cum eo ſepelire ſtatueram: verùm quia iam liber per illum in manus plurium peruenit, eruditi aliquot atque heroës, quibus ille communicauit, me ſubinde extimulare non ceſſarunt, vt has meas lucubratiunculas in publicum proferri paterer. Iam verò cùm Rei Ruſticæ ſtudium ſic habeat, vt minimè ſit inuidioſum, ſed candidum, gaudens ſua exercitia proferre, omnibusq; eſſe communia; adde quòd nec reprehenſionem formidet; quin etiam lubens errorem, ſi admoneatur, agnoſcat atque corrigat, ἀγαθὴ γὰρ παραίφασίς ἐστιν ἑταίρᾳ, vt inquit ille: Hoc nimirum ruſtico more fretus, hæc mea de Re Ruſtica exercitia communico amicorum obſequio, malens reprehenſionem errati, quàm denegati officij crimen ſubire. Et quanquam de Re Ruſtica & reliquis hiſce exercitiis extant & veterum, & recentiorum pleraque ſcripta, licet non pari dignitate, diligentia atque ordine ab vtriſque, ſed ſparſim & confusè, & prout ſuis quibuſque regionibus moribusq; conuenire videbantur, tradita; ego, vt priuatæ meæ memoriæ conſulerem, quæ ad vniuerſam

uersam Rem Rusticam pertinere videbantur, in paucos libros contraxi, nostrisq; quantum licuit, accommodaui vsibus, adhibitis nostratium obseruationibus, adiectis quoque quibusdam, quæ recentior ætas culturæ vsu & diligentia animaduertit, veteribus incognita, qualia sunt inter fruges, tritici fagini, sporiæ, turcici frumenti, & inter pastiones rusticas, Indicarum auium educatio, & pleraque alia. Non diffiteor interim, me in hisce commentariis plurima ex aliorum cùm veterum tum recentiorum scriptis mutuatum esse, idq; vt testatum facerem, ex professo auctores ipsos, si non semper, quod tædium vitarem, certè plurimum nominatim citans, quibus me adiutum profiteor, exemplo videlicet veterum, Columellæ, Plinij, Athenæi, Aeliani, Palladij, Constantini, Ruellij, ac plurium aliorum, quibus non datur vitio, veterum auctorum placita secretis dispersa monumentis, industria sua colligere, atque etiam ad verbum suis inserere scriptis. Proinde si quis ob id me criminari velit, is cogitet, eodem iure doctissimos quosque repetundarum postulari posse, quòd aliena vsurpauerint, eáque in suum vsum quasi in coloniam transtulerint: Siquidem Plato ab Aegyptiis

ptiis & alij ab aliis mutuati multa: Virgilius ex Homero in Aeneida non pauca transtulit, Hesiodi quædam in Georgica; nõnulla è Theocrito in Bucolica transcripsisse constat, sed ea dexteritate vt ipsos auctores vicisse credatur. Nam vt non est cuiuslibet è manibus Herculis clauam extorquere, ita non est cuiusuis,

Plinius. *aliena in suum vsum scitè conuertere. Si à Plinio repetantur, quæ ex Aristotele, Theophrasto, quæ è Catone, Varrone, Columella, & innumeris aliis, qui interciderunt, mutuatus*

Gellius. Politian⁹. *est, certè implumem cuculum diceres. Politianus criminatur Gellium, tanquam furem aliorum scriptorum, cùm ipse deprehendatur hac in re furacissimus. Nam præter hoc, quod de Miscellaneis ei obiicit Merula, in aliis quoque publicatis eius nomine scriptis animaduertere licet. Oratio in Homerum habita propè tota è Plutarchi libello translata est. In Panistemone aliorum non intellecta*

Cœlius. *congessisse à nasutioribus insimulatur. Cœlium optimorum auctorum fucum conuiciatur quidam. nec desunt qui eodem crimine*

Macrob. *traducunt Macrobium, cùm tamen illos omnes de bonis literis benè meritos fateri cogamur. Hæc ideo præfari placuit, ne quis fortè alienis me plumis vestitum, interpretetur*

tur malignius, cùm candidè profitear, me plurimas aliorum sententias de Re Rustica congessisse, nostrisq; quantum licuit vsibus accommodasse. Adiecimus & rusticorum operum per singulos menses digestionem. At quia hoc omnibus climatibus accommodari non potuit, nostræ regionis vsum indicauimus. Quæ si cui vsui esse poterunt, sine inuidia fruatur: sin minus, desinat labores candido animo susceptos calumniari. Vale. E Larinsulano.

ARGVMENTA QVATVOR LIBRORVM DE Re Ruſtica.

Partitio operis.

ET si Rem Ruſticam vniuerſam duobus maximè contineri Varro tradit ; nos tamen eandem quadrifariam diſtinximus, ſingula ſcilicet membra ſuppartientes. Aut enim circa agrorum culturam verſatur , atque hîc duplex ſtudium. Nam ſi ager exercetur ſeminarius, γεωργικὴ, ſin autem circa hortenſia verſatur, φυτευτικὴ vocatur; aut circa rem pecuariam, & βουκολικὴ, aut circa villaticas aues, & ὀρνιθιακὴ dici poterit.

Priori igitur libro, qui Georgicus dicitur, Agriculturæ initia laudesque tribuuntur, villæ poſitio, eiusque partes, de patrefamiliâs, de villico, de familia, inſtrumento ruſtico, de fundo deligendo, de cœli terræque ratione habenda, de terræ ad ſegetes ſerendas cultura, ſerendarumque frugum diſcrimine, de ſatorum cura, de meſſe, de horreis atque granariis, de pratis agrisque paſcuis, de fœno præparando. Poſtremò diligentiæ Ruſticæ exemplum; quid denique in agro, & quid in eo mercando obſeruandum.

Se-

Secundo, nempe Phyteutico propter affinitatem frugum cum plantis, plantarum ſerendarum diſciplina traditur. Inibi de hortis eorumque vetuſto & honeſto vſu, de ſepimentis ac ſepe viua, de ſerendis herbis & oleribus, de frugiferis arboribus, de vite, de pomariis, & quo pacto frugiferæ arbores vel ſerendæ vel plantandæ, de ſylueſtribus arboribus & ſeminario conſtituendo, de ſyluis tam cæduis quàm glandiferis, de materia ac ſaliceto. Lib. II.

Tertio, hoc eſt Bucolico, paſtoritiæ vitæ origo, vetuſtas & laudes, eiusque cum agricolis ſocietas: hic de animantibus villaticis, de pecoribus, iumentis, veterinis, deque eorum nutricatu, paſtura, fœtura, ſanitateq; tuenda, de paſtoribus, canibus œcuris & pecorariis, deque felibus traditur. Lib. III.

Quarto, quem Ornithothrophiũ appellamus, de cohortalibus auibus, ac reliquis villaticis paſtionibus, de aquaticis, piſcibusque alendis, de piſcinarum cura, & ichthyotrophiis ac piſcationibus: Inde apum & mellis cura. Poſt de viuariis ferarum, de venatione, hoc eſt, cynogetices, halieutices, & accipitrariæ compendium coronidis vice adiectũ, tanquam ruri agentium dominorum exercitium. Poſtremò epitome legum ruſticarum, & operarum per ſingulos menſes digeſtio. Lib. IV.

Auctorum præcipuorum, quorum teſtimoniis & præceptis potiſſimum vſi, ne quem

Auctorum nomina:

ſua laude fraudemus, Plinium imitati, catalogum aſſcribere placuit. Et ſunt præter ſacra Biblia & Eccleſiaſticos ſcriptores, quorum teſtimoniis aliquoties vtimur, è prophanis Homerus, Heſiodus, Theocritus, Leges XII. Tabularum, Solon, Xenophon, Plato, Ariſtoteles, Theophraſtus, Iſocrates, Plutarchus, Aelianus, Diodorus Siculus, Herodotus, Thucydides, Polybius, Cato, Varro, Vergilius, Ouidius, Horatius, Martialis, Columella, Celſus, Hippocrates, Galenus, Ægineta, Dioſcorides, Nicander, Ariſtophanes, & commentarius in eundem: Alexander Aphrodiſeus, Macer Palladius, Vitruuius, Dio, Vegetius, Iulius Firmicus, Plinius vterque, Athenæus, Iulius Pollux, Lucianus, Oppianus, ac qui vulgo dicitur Conſtantinus, & qui illius collectaneis inſerti, Caſſianus, Bericius, Didymus, Florentinus, Anatolius, Sotiõ Quintilij, Democritus, Apuleius, Heliodorus: *Iureconſulti*, Platina, Alexander Neapolitanus, Petrus de Creſcentibus, Veterinaria, Budæus, Ruellius, Fuccius, Maſſarius in Plinium, Matthiolus in Dioſcoridem, Hieronymus Cardanus, Grapaldus, Prædium ruſticum, Carolus Stephanus, Adrianus Iunius Italica & Gallica de hortenſibus, Agricolæ & hortulani noſtrates.

HORATIVS, VI-
tæ ruſticæ amœni-
tatem deſcribens.

POnendæque domo quærẽda eſt area primum:
Nouiſtine locum potiorem rure beato?
Eſt vbi plus tepeant hyemes? vbi gratior aura
Leniat & rabiem canis & momenta leonis,
Quum ſemel accepit ſolem furibundus acutum?
Eſt vbi diuellat ſomnos minus inuida cura?
Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aquã tendit rumpere plumbum,
Quã quæ per pronũ trepidat cũ murmure riuũ?
Nempe inter varias nutritur ſylua columnas,
Laudaturq́ domus, longos quæ proſpicit agros.

LIBER PRIMVS
DE RE RV-STICA.

AVTHORE
D. CONRADO HERESBA-CHIO IVRISCONSVLTO, ILLVSTRIS-simi Principis Cliuensis, Iuliacensis, Montensis, &c. Consiliario.

Dialogistæ,
CONO. RIGO. METELLA. HERMES.

CONO. Ecquid hinnientes terramq; pulsantes audio equos? Age Herme vise, si qui aduentent. HERMES. Ni me fallit eminus prospicientem visus, Rigo est ὁ δεχιγραμματεύς. METELLA. Vix dum biduum domi es & iam rursus in aulam accerseris, forte

A ali-

aliquò ablegandus. CONO. Meliora ominare: fortaſſe officij & communis amicitię cauſa nos inuiſit. RIGO. Heus tu Cono. Hiccine te ruſticantem dulciſque otio indulgentem offendam? Næ tu beatus es, qui procul ab omni moleſtiarum aulicarum ſtrepitu ſecurus, in altiſſima viuis tranquillitate, armíſque, vt ille dicit, ad poſtem religatis, tam amœno lates abditus agro, nos interim ſinens aulicis publicíſque curis & occupationibus ἀγκάθας καὶ φερεκλῆς. CONO. Fateor quidem me hac parte beatum ſuſcepiſſe propoſitum, ſi dij interim terreni patiantur me hac frui beatitate, qui occupationes ambitioſas fori aulicarúmq; rerum ablegarim in profundum mare. Sed túne rude donatum antiquo me includere circo contendes? RIGO. Nequaquam; etiam ſi cuperem aliquando te non vſque adeò aulam refugere, téque à conſortio publicorum negotiorũ ſubtrahere. Noſti nos non nobis noſtróque otio natos, ſed patriæ quoque & Reipub. atque vocationi. extremum eſt malorum, patriæ res deſerentem prodere malis hominibus,

bus, & tecum ipſum extra telorum iactum gaudere, certamina Reipub. reliquiſſe. Etſi Cato Roma non indigebat, certe ipſa Roma & amici Catone indiguere, vt inquit ille. CONO. Rectè quidem, quamdiu ætas & vires ferunt, vocationi ſeruiendum; at eſt quædam, vt ipſe fateri cogeris, cauſaria miſſio. Laudatur Lucullus, quòd dum vegeto eſſet corpore, Reipub. ſeruiret, & poſt honeſtos domi militiæq; labores ad quietem literariúmque otium redierit. Et Scipio, quòd adiecta Carthagini Numidia quieuerit potius, quàm ſi, vt Marius, poſt pręclaras victorias & cuſtodiendos honores, modum ſtatuere non potuiſſet, atque inſatiabili gloriæ imperijque ambitione cum iuuenibus ſenex contendere, ac denique ſe in turpiſſimas miſerias coniicere maluiſſet. Ciceronem certe poſt depulſam Catilinæ coniurationem priuatim cõſeneſcere præſtitiſſet, quàm ſe ciuilibus factionibus ambitioſe immiſcendo, capitis diſcrimen accerſere. Sunt enim finita quadam modeſtia ciuiles ambitiones moderandæ, præſertim hoc tempore, cum

Lucullus.

Scipio.

Cicero.

inuidiis, odiis, adulationibus, detrectationibus, atque adeò pleonecticis ambitioſiſque conſiliis aulæ paſſim ſint obnoxiæ: & probitati & ſimplicitati Chriſtianæ locus non vbique concedatur. Hæc ſunt, quæ Socratem & Platonem à Republica deterruerunt; & me quidem iam grandæuum ætatis valetudiníſque excuſatione fretum, in hoc meo ruſculo ablegatis aulicis negotiis detinent.

RIGO. Sed nec ſeni Reip. adminiſtratio fugienda. Noſti

ἔρχα νέων, βυλαί τε μέσων, ἠχαὶ δὲ γερόντων;

Atque has maximè ſeruari Reſpublicas, vbi ſenum conſilia, iuuenum lanceę vigent. Neſtor propter conſilia in Troiano bello celebratur, dum Peleus & Laertes οἰκυρῆντες contemnuntur.

Neſtor.

CONO. Titillat alios gloria, alios emolumenta, largitiones recoctos detinent aulicos, etiam alterum pedem in ſepulchro habentes. Nos ſi hac vitæ ratione contenti eſſemus, & veræ vitæ vacare liberet,

Nec nos atria nec domos potentum,
Nec lites tetricas, forumq; triſte
Noſſemus nec imagines ſuperbas.

Hæc

Hæc essent loca semper, hi labores.
Nunc viuit sibi neuter, heu, bonosque
Soles effugere atque abire sentit:
Qui nobis pereunt & imputantur,
Quisque viuere, dum sciat, moratur.

Vt Poëta eleganti notauit epigrãmate. Iam vero insani hominis esset, & stulti, sponte se sine vllo fructu periculis obiicere, qui possit priuatus piè & securè in agro procul negotiis, vt prisca gens mortalium, viuere. RIGO. Rectè quidem, Nam Poëta hunc beatum canit, cui hoc contingere potest. Horat. Epod. 2. At interim solus es, cum pecudibus, rusticis, arboribus tibi habenda consuetudo, homini in hanc vsque ætatem cum grauissimis & principibus viris viuere consueto. Socrates non ab arboribus & pecudibus, sed in vrbibus discẽdam sapientiam contendit. CONO. De Socratis iudicio equidem non pugnabo; certè ex illius & Ischomachi apud Xenophõtem disputatione constat, eundem minimè rem Rusticam improbasse. Ac vero, quod ad solitudinem attinet, hîc mihi idem fere accidit, quod apud Ciceronem Scipio dixisse fertur, se nun- Scipio.

Socrates.

quam minus ſolum, quam cum ſolus eſſet: nam tum mihi cum maximis grauiſſimiſq; ac ſapientiſſimis colloquium eſt: ſiquidem aut ſacris Prophetarum Apoſtolorúmq; oraculis totus incumbo, quæ veram ſapientiam tradunt, per quam reges regnant, & domini dominantur; adde, quibus animæ, quod maximè curæ eſſe debet, paſcuntur, & quæ ad æternam illam aulam viam cõmonſtrant: Aut, ſi libet, cum principibus huius mundi, atque cum ſummis monarchis conſuetudo eſt, de Reip. arduis rebus, deq; adminiſtratione confero, toto orbe geſta lectitans, perque omnes nationes peregrinor; aut denique Rei Ruſticæ ſcriptores excutiens, in animantium, plantarúmque mirabili Dei opificio animum exerceo, creatorémque in creaturis agnoſco. Atque præter hos mutos confabulatores, ſapientes me quoq; inuiſunt amici, Nobiles, Decuriones, Præfecti, Optimates & docti, atque adeò Princeps ipſe me inuiſere non grauatur, ita vt vix dies prætereat, quo non aduentent qui inuiſant & ſalutent, alij animi cauſſa, alij neceſ-

Solitudinis vſus.

neceſſitudinis, alij negotiorum ergò. Nam & amicis & vicinis neque conſilia neque operam denegare ſoleo: eaque occaſione nonnunquam Iuriſconſulti & prudentes mundi ſunt excutiendi, ſed gratuitò & ἀμισθί, Et vos me non negligitis, ex aula proceſſus iudiciariorum excutiendos mittentes. Vnde fit vt ruri longè pluribus & ſuauioribus liberalioribuſque colloquiis fruar, quàm vos vel in aulis, vel in vrbibus, quantumuis frequentibus. RIGO. Age igitur dic amabo, quibus occupationibus totum tranſigis diem tempuſq; diſponis otioſum? neque enim dubito quin ſingulari induſtria vſus, tempus quàm optimè & frugaliter diſpenſes. CONO. Exponam candidè, ſi non pigeat auſcultare, nihil diſſimulaturus. Et principiò eiuſdem Poëtæ, alioqui parum pudici, in hoc tamen grauiter & appoſitè locuti, verbis & ſententia vtar,

Patrisfamiliàs in Re Ruſtica temporis diſpenſatio.

Luce Deum oro, famulos poſt arma remiſſo,
Partibus atque meis iuſtos indico labores,
Inde lego, Phœbumq; cio, Muſamq; laceſſo.

Inter primos enim fere ſurgo, maximè

æstate, cum suauissimas & saluberrimas horas somnolentia perdimus. τοῦτο γὰρ ἐς πρὸς ὑγίειαν καὶ οἰκονομίαν καὶ φιλοσοφίαν
Oecon a. χρήσιμον, inquit Aristoteles. Hyeme si pigeat, & si quando asperitas aëris aut valetudo impediat, procuratori committo, quem fidum habeo, & diligentem, sic à me institutum, vt vicarius sit meæ diligentiæ: præterea ancillam Eurycleam iamiam rei domesticæ vxoris quasi suffraganeam & promã condam. Hos iubemus interim nostras partes tueri: Sin autem & cœlum & temporis habitus patiatur, ἐξοδιώκτλω ipse ago. Et quanquam Villicum habeam Rei Rusticæ magistrum, tamẽ memor sum dicti, illius Persæ & Libyci, Optimum fimum esse agri lætificandi plantam Domini: Et oculum Domini maximè equum saginare. Hortatur me quoque huc, quòd surgere diluculo, ad valetudinem, partim grauissimi Philosophi testimonio, partim meo ipsius experimento conferre sentio. Vbi familia suis quæque operibus incumbit & opus feruet, ipse ad orandum atque legendum sacram scripturã in Musæum me

Optimum fimum plantam Domini.

reci-

recipio. Nempe hoc more vtor, vt quotidie lectionem in veteri aut nouo testamento veluti pensum absoluam: inde scribo legóque magis necessaria: aut expedio si quid vel publicè vel circa rem familiarem curandum; sub prandium inambulo paulisper, aut in horto aut in pratis sub diuo, si sudũ sit cœlum, aut sub tecto, si cœlum tristius. Inde reperio ouum, pullum, aut hædum, aut vitulum, aut piscículos, recens butyrum, & quæ fimetæ, quæ chortes, caulæ atque piscinæ præbent, aut denique olusculum, acetariũ, & fructus si quos hortus & pomarium suppeditat, quas dapes inemptas apparat vxor. Non me Lucrina magis iuuerint conchylia magísve Rhombus. Prandeo raro vltra horam vnam prorogata mensa. A cibo confabulationes cum vxore & familia, aut cum hospitibus, si sint, misceo, inambulo, viso operas, agros, pascua, segetes, pecora, iumenta. Quando hîc ruri diuersor, quotidie, si, vt dixi, cœli constitutio patiatur, aut non impediar aliis magis necessariis, fundum circumeo, iuxta Catonis præceptum: Si non

quotidiè, certè postridie aut alternis. Quoties in villam venio ex vrbe, idē facio, vt cognoscam quàm fundus cultus sit, opera quæ infecta aut facta: neq; vnquam circumeo, quin aliquod operæprecium fecero. Interim contemplor naturæ mirabilem sagacitatem, ac Dei Opt. Max. incomprehēsibilem in creaturis operationem. Quod, vt Cicero rectè testatur, suauissimum est animi pabulum, & quàm proximè ad Deum accedere facit. Hîc expendo Dei beneficia & opera admiranda, Qui facit germinare fœnum iumētis, & herbam seruituti hominum, vt educat panem è terra, iuxta psaltis prophetici hymnū. Hic mihi concionatur

Psal. 104.

Lactant.

Terra ferax vario fundens munuscula cultu
Mollia purpureum pingūt violaria campum,
Prata virent herbis & micat herba comis.
Paulatim subeunt stellantia lumina florum
Floribus arridēt gramina cuncta suis.

Quis vnquam artifex inimitabilia hæc diuina opera æmulari aut effingere poterit? Quis è gramine triticum aut panem? eque sarmento tam nobilem liquorem aut vinū elicere potuit, quàm

is qui omnium visibilium & iuuisibilium creaturarum est conditor. Hisce contemplationibus animum recreo, Deo creatori & cõseruatori gratias ago pro immensa sua bonitate. Cano Psalmum: Te decet hymnus in Sion. Aut, Benedic anima mea Domino, &c. compræcans vt donis diuina sua liberalitate consessis aspirare dignetur, vt agros ditet præparetque frumentum eorum, germini eius benedicat, coronet annũ benignitate sua, &c. vtque illis frui concedatur cum gratiarum actione ad illius honorem & proximi necessitatem. Inde domum reuersus ad legendi scribendiq; operam, vel si quid aliud agendum me confero. Cæterum ad ingenij opera ante tertiam à prãdio non reuertor. Cœno parcius cœnaque facta nunquam aut rarissimè lego aut scribo: quin potius,

Psalm. 65.
Psal. 104.
Psal. 65. 12.

iuuat pastas oues
Videre properantes domum,
Videre fessos vomerem inuersum boues
Collo trahentes languido.
Positosq; vernas, ditis examen domus,
Circum vementes lares

Aut

Aut in reducta valle mugientium
Prospectans erranteis greges.
Libet iacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ,
Queruntur in syluis aues,
Fontesq; lymphis obstrepunt manantibus,
Vt inquit Poëta. Aut ad flumen vel in horto vel in pascuis propinquis leniter obambulans cum amicis aut vxore, aut denique cum familia de operis Rusticis præstitis præstandisq; confero, operas dispenso: Si quid Villicus indicat, si quid emendum vendendúmve: Oportet enim Patremfamilias vendacem esse potius quàm emacem: vt habet Catonis sententia. Interdum maximè hybernis à cœna lucubrationibus iubeo ministrum recitare historiam sacram aut iucundam aliquam lectionem, attamen piam & castam, vel ad rem familiarem vel ad mores emendandos non ineptam. Duabus aut tribus à cœna horis cubitum eo, & fere postremus, vt dixi antè, præter ministrum cubicularium & tamiam. RIGO. Interim procul à templo neq; concionibus auscultare

Patremfamilias vēdacem magis quàm emacem oportet esse.

tare neque publicis officiis & conuentibus ſacris cum vxore atque familia intereſſe poteris: etſi tu id lectione ſarcire queas, non tamen idem poterit vxor & familia. CONO. Quod ad me attinet, quotidiè, citra iactantiam dico, ſacris vaco, idque certis in hoc deſtinatis horis, & concionantur mihi Prophetæ, Apoſtoli, Baſilius, Chryſoſtomus, Naziãzenus, Cyrillus, Ambroſius, Cyprianus, Auguſtinus, atq; alij concionatores optimi, quos profectò cum maiore fructu audire me arbitror quàm veſtros aliquot ſpermologos & plæroſque in templis ineptos concionatores: vxor ipſa quoq; lectioni dedita Biblia legit, & pſalmis quotidie aliquot vernacula lingua interpretatis vtitur. Si quid obſcurum, id roganti explico, habet ſuas præterea preces quas ſibi delegit. Interim non deeſt, qui feſtis diebus quoties per inclementiam cœli vel neceſſarias cauſſas parochiam adire non conuenit, Euangelium recitet, & Catechiſmum interpretetur, Sacramẽta ſuis temporibus adminiſtret: Æſtiuo tamen tempore & cœlo non incommodo dominicis

festisque diebus parochiam adimus, & parochum nostrum audimus, ac Sacramenta participamus. Quod ad familiam attinet: Ea sic instituta, vt diluculo, quando ad opus egrediuntur, & reuersi, ad mensam orent. Proditum est de Antonio Eremita, cùm à Philosopho quodam rogaretur, quo pacto res diuinas contemplaretur in solitudine libris destitutus, Vniuerso, inquit, mundo, librorum & instructæ bibliothecæ vtor vice, quæ semper & vbique ante oculos obuersatur, in qua diuina opificia lectitare licet. Ad eundem modum & familiam rusticã habeo veræ religionis fundamento instructam, eam fretam sua vocatione & vitę innocentia, neque vanis vrbium spectaculis auocatam creationis diuinorumque operum maiestatem contemplari, & creatorem in creaturis non festis tantum diebus, sed quotidie, & in omni opere laudare & auiculas creaturasq; diuina opera prædicantes audire licet. RIGO. Pietatis mihi narras scholam, non rusticum contubernium: olim Patriarcharum vitam & primitiuæ Ecclesiæ monasteria huiusmodi

Antonij Eremitæ dictum.

modi fuiſſe apparet. CONO. Imo Chryſoſtomus contendit, omnes Chriſtianos etiam coniugatos, ad monachorum non quidem noſtratium ſed veterum inſtitutum viuere debere: Nam Monachiſmus tũ nihil aliud erat quàm ſyncerorum Chriſtianorum vita, qualem Patriarchas quoque vixiſſe teſtis eſt ſcriptura. RIGO. Miratus ſæpe cum in vrbibus ædes habeas ſplendidas & inſtructiſſimas, quod iis relictis rure habitare malis, ſed cum hanc vitæ tuæ œconomiam intueor, deſino mirari. CONO. Mihi gentile eſt atque adeò inde à maioribus agriculturæ ſtudium agnatum. Siquidem & parens, auus, proauus & quantum retro genealogiam repetere poſſum, maiores omnes mei agricuturam exercuerunt, & in paterno ac proprio rure omnes veluti indigenæ & orti ſunt & deceſſerunt. RICO. Non ita pridem cum in publicis negotiis apud Cãcellarium grauiſſimum virum Hypſographum vicinum tuum, & ipſum Rei Ruſticæ ſtudioſiſſimum diuertiſſem, Parentem tuum videre contigit, ſenem dixiſſem Laertem illum Homericum,

Cum alias tum Hom. 56. in 16. Matth.

Monachiſmus verus.

aut

aut è patriarchis potius aliquem, & quantum ex Hypſographo accepi, grãdæuum, nempe nonagenarium, ſed ita bellè ætatem ferentem, vt vix quinquagenarium iudicaſſem: ingenio, & memoria plurimum adhuc valere viſus, de iure municipali eius regionis, de hiſtoriis veterum, inprimis de ſactis tanta copia & ſuauitate nobiſcum diſſerebat, vt plurimum me illius ſenis caperet admiratio. Apoſtolos, Prophetas ad vnguem tenebat, adeò vt non immerito viderem Optimates eius conſuetudine delectari atque reuerenter eum colere. CONO. Adeò in extremam vſque ætatem tenebatur ſacrarum lectione literarum, vt nullum diem ſine linea ac ſacrarum literarum lectione præterire pateretur. Quotidie parochiam proximam pedes adibat, neque ſacram concionem prætermittebat vnquam. Paſtores & ſacrificos in ordinem redegit, ad ſcripturæ ductum illos exigens. RIGO. Epiſcopum & cenſorem aliquem mihi depingis, & reuera plæriq; opus habent paſtores huiuſmodi Agonothetis, qui abuſus, auaritiam eorum

alentes,

alentes, coërceant. CONO. Vt autem ad otium hoc meum vel ad agriculturę ſtudium, vnde digreſſus, reuertar: Tun' adhuc miraris me hoc tam honeſto tamque vtili otio delectari, quo nihil ſanctorum grauiſſimorumq; hominum teſtimonio honeſtius, nihil melius, adde nihil eorum è quibus aliquid acquiritur, libero homine dignius, Deoque magis probatus labor agricultura? Veteres, vt Cato vir ſapiens, & rei Ruſticæ aſſertor teſtatur, quoties virum bonum laudare vellent, Bonum Agricolam tanquam ſummo encomio vnoq; verbo efferebant. Proinde huic ſtudio non puduit potentiſſimos Reges atq; Monarchas vacare, quod de Cyro Xenophon, de Abdolomino Q. Curtius memoriæ tradiderunt: Numa Romanorum Rex ſingulari amore agriculturam proſecutus, quod nullũ ſtudium adeò acre pacis & bellicæ fortitudinis philtrum, & facilem è tellure victum præbere exiſtimaret, μᾶλλον ὡς ἡδοπoιὸν ἢ πλουτοποιὸν ἀγαπήσας τέχνην: vt taceam Hieronem, Philometorem, Attalum, Archelaum, & alios principes viros Rei

Rei Ruſticæ encomium.

Cato in prin. R.R.

Monarchę & Reges reiRuſticę vacarunt.

Plutarc. in Numa.

Rusticæ studiosos. Ab Homero inge-
Ody κ. & ω. niorum fonte eximiè laudata hæc dis-
ciplina, dum Phæacum regem Alci-
noum summa cum voluptate in hortis
versari scribit, Laërtem senem deside-
rium absentis filij agricultura lenien-
tem tradit. Hesiodus in opere τῶν ἔργων
καὶ ἡμερῶν passim laudat Ascræam vrbi-
bus pulsam rure delectari. Ipsorum Im-
peratorum manibus colebantur agri,
vt fasest credere gaudente terra laurea-
to vomere & triumphali aratore, siue il-
li eadem cura semina tractabant qua
bella, eademque diligentia arua dispo-
nebant qua castra, siue honestis mani-
bus omnia felicius proueniunt, quoniã
& curiosius fiunt. Serentem inuene-
Serranus. Cincinnatus. runt dati honores Serranum, Cincin-
nato viator attulit dictaturam, & qui-
dem nudo plenoq; pulueris etiamnum
Viatores. ore. Viatores namque hinc nomen tra-
xere, quod subinde ex agris senatum
ducesq; accerserent. Cognomina hinc
Fabiis, Pisonibus, Curionibus, Lentu-
lis, Ciceronibus, Pilumnis, cæterisque
antiquissimis familiis. Fortissimos viros
& strenuissimos milites ex Agricolis

nasci

naſci Lyricus Poëta teſtatur, Ruſticorum inquiens manus maſcula militum proles ſabellis docta ligonibus verſare glebas. Homerus ſubulci miram narrat fortitudinem nauatamque in cędendis procis operam. Conſtat Cæſares & Imperatores plurimos ex agricolis ortos, & vt alios taceam de Galerio & Maximino conſtat ex armentariis ad Imperatoriam dignitatē perueniſſe. Idem de Iuſtino, Conſtantino, Probo, atq; Aureliano traditur. M. Curiū Imperatorem inuentum in hoſpitio rapum torrentem, legatorum aurum repudiaſſe annales prodiderunt. Quid de eius vetuſtate memorem? E ſacris oraculis conſtat, antiquiſſimam ante alias omnes artes Agriculturam iam inde ab initio humani generis extitiſſe: Neque Oſyrim neque Dionyſium huius diſciplinæ repertorem, vt ethnici fabulantur, ſed Deum Opt. Max. hoc vitæ genus inſtituiſſe: nam Adam & eius liberi Agricolæ fuerunt. Item Noë vineam plantauit. Abraham, Iſaac, Iacob paſtores fuerunt. Saul ab aſinis, Dauid ab ouili ad ſceptra vocatus: Elizeus & Amos è paſtori-

Imp. ex Agricol.

Vetuſtas agriculturæ.

Vineæ primus plantator.

ſtoribus facti Prophetæ: Ozias agriculturæ deditus legitur. Sirach agriculturam cum pr' nis efferens, eius opera, tenere aratrum, ſtimulo agitare boues, ſaginare vaccas & cætera commemorat. Quid multa? Chriſtus ipſe gloriatur patre ſe agricola fuiſſe, ſubinde ſuggerens vitis ac ouium ac paſtorum parabolas. Quinetiam Dominus agriculturam docet apud Lucam, vbi commonſtrat arbores circumfodiendas, & ſtercorandas, vt creſcant. Nam cum hæc ars ſit maximè innoxia, & ſine qua mortales nec viuere nec ali poſſe manifeſtum, optimi quiſque & ſanctiſſimi viri hanc amplexi, & veteres eam dixerunt proximam quaſiq; conſanguineam ſapientiæ: Cicero iuſticię, diligentię, parſimoniæ magiſtram appellat, nonnulli omnium artium parentem atque nutricem: nam cum citra alias artes viuere liceat, citra hanc vita ſuſtineri nequit. Adde quęſtum hanc conſequi maximè pium minimeque inuidioſum, ſiquidem commercium habet cum terra, quæ concredita non reddit ſine fœnore, maximè ſi Dei benedictione ſecundetur.

Columel. lib. 2. p. 2. Agricultura conſanguinea ſapientiæ.

Agricultura aliarum artiũ nutrix.

detur. Vnũ genus liberale & ingenuum rei familiaris augendæ, quod ex agricolatione progignitur, vnde virtute nobiles habiti qui iam inde ab antiquo hoc quęstu contenti rura exercebant, nobilitatemq; metiebantur præcipuè, si ex maiorum agricultura, non negotiatione aut mechanicis artibus opes quæsissent. Germani olim præter agriculturam & militiam nullam artem norant, vnde etiamnum nobiles plurimum ruri habitant, eque re rustica & hoc vitæ genere nobilitatem tuentur. M. Varro temporibus auorum queri solitum tradit, quòd maiores relictis aratro & falce intra murum correpserint, & in circis ac theatris potius quam in segetibus ac vinetis manus mouere cœperint, cum Romani optimates sic annum partirentur, vt nonis tantummodò diebus res vrbanas vsurparent, reliquis rura colerent, atque sic durati laboribus pacis, facile militiam, cum res postularet, sustinerent. Semperque rustica plebs vrbanæ præposita, ab illis, plus veræ nobilitatis reliquiarum in iis ponentibus, qui foris terram incolerent, quam qui

Nobilitas agriculturæ.

intra mœnia desides sub vmbra ciuitatis morarentur: nisi quis honestius vulgi opinione existimet, vel sanguine ac calamitate miserorum rem & honores acquiri, pacemq; violari: aut bellū perosos, negotiationis aleā ad opes congerendas expromere, ac rupto naturæ fœdere, terrestre animal, hominem, ventorū ac maris procellis se obijcere, sicq; ritu volucrum longinqui littoris peregrinum pererrare orbem: aut denique eximium istud studium prosequi locupletissimum quenq; allatrādi, & ingrato fauces prostituisse foro. Certe hæc vna innoxia, vt diximus, functio apud omnes, omnibusque ætatibus habita. Rusticæ rei opibus diuites erant pij Patriarchæ, Abraham, Loth, Iacob, Iob: Certumq; est hoc studium eumq; quæstum Deo placere; cum Adamum iusserit Deus terram colere, & in sudore vultus sui victum quærere. Et Isaac agrum conseuisse ac luculentum benedictionis fructum percepisse, Moses narrat. Agricultura igitur tanti momenti, vt eam Deus publico testimonio suo comprobarit, atque huic ordinationi pro-

Gen. 3. v. 19.

Genes. 26. v. 12.

promissionem benedictionis posteà per Moysen addiderit; *Dabo*, inquiens, *benedictionem meam anno sexto, & faciet fructus trium annorum*. Et mox: *Si custodieritis præcepta mea, dabo vobis pluuiam temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur, apprehendet tritura vindemiam, & vindemia sementem, & comedetis panem vestrum in saturitate.* Quid igitur iucundius homini Christiano, quàm in ea vocatione, & in eo quæstu versari, quem scimus Deo placere, & in hac dulcissima contemplatione diuinorum munerum philosophari, atque diuinæ maiestatis potentiam, sapientiam, beneficia humano generi collata, recolere atque agnoscere, eius benignitati gratias agere, ipsis videlicet plantis creaturisq; nobis concionantibus. RIGO. Tu Theologum mihi ex Agricola facis, ac propemodũ persuaseris, me quoque agricolam fieri, qui hactenus ex vulgi opinione agriculturam sordidam & illiberalem rem existimauerim. CONO. Amplissimum certè hîc se offerre τῦ θεολογεῖν diuinorumq; beneficiorum agnoscendorum

Agricultura Deo placere. Leuit. 26.

Agricul-turam nō eſſe ſordi-dam.

campum, iam audiſti. Quòd autem ſordidam rem vulgus exiſtimet hanc diſciplinam, nihil mirūm: cum vulgus ſemper peruerſo iudicio feratur. Vul-

Splēdida aulicorū miſeria.

gus ſtrepitum aulicum admiratur, pur-puratos & catenatos illos, qui rerum & conſiliorum apud Principes potiuntur, feliciſſimos iudicans, interim non in-telligens, quantum triſtitiæ lateat ſub ſplendida illa miſeria. Vulgus molli-tiem pudendam honeſto exercitio prę-ponit: noctes ganeis, libidinibus, ebrie-tatibus: dies ludo ſomnoq; conſumere gaudet, fortunatum ducens, qui nec o-rientem, nec occidentem ſolem videat.

Fortunati agricolæ.

At qui rectius iudicant, fortunatos vo-cant,

--- ſua ſi bona norint
Agricolæ, quib⁹ ipſa, procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victū iuſtiſſima tellus:
Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis vomit ædibus vndā:
Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes,
Illuſasq; auro veſtes, Ephyreiaq; æra, &c.
At ſecura quies & neſcia fallere vita,
Diues opum variarum & latis otia fundis,
Et patiens operum paruoq; aſſueta iuuentus,

Sacræ

Sacra Deûm, ſanctiq; patres, extrema per illos
Iuſticia excedens terris veſtigia fecit.

vt grauiſſimè de Agricolarum elogijs Poëta cecinit. Aglaus Pſophidius Apollinis oraculo felix iudicatus eſt, quòd in anguſto angulo Arcadiæ, paruum, ſed annuis victibus largè ſufficiens prædiũ colens, vbi conſenuerat, nunquam ex eo egreſſus, atque, vt è vitæ genere manifeſtum eſt, minima cupidine minimũ in vita mali expertus eſſet, vt Plinius teſtatur. Sed nimis diu te in commendatione rei per ſe ſatis commendatæ detineo. Heus age Metella, vt prandium curetur. METELLA. Curabitur. Saluus ſis, Rigo; arbitrabar te Xenoplutũ eſſe, qui maritum meum abducere ſolet, forte iam vna atque altera hebdomade domi ſe continet: id quidam inuidentes moleſtis eum odioſiſque occupationibus onerant, vel legationibus quæſitis eum vltra columnas Herculis ablegant. Quod illi detrectant, huic tanquam communi iumento imponunt, quem iam grandæuum oportuit emeritum rude donari, ſuæq; quieti relinqui, vt tandem à mundano ſtrepitu liber,

Georg. 2.

Aglaus Pſophidius.

Plin. lib. 7. c. 46.

liber, diuinæ philoſophiæ vacare & ad longum illud iter ſe præparare, viatícóque idoneo inſtruere poſſit. RIGO. Ex Republica quidem eſſet, Cononem in aulam crebrius ventitare, ſed rariùs adeſt, quòd ruſticatio ei nimium adlubeat. At, mihi crede, non ea de cauſa huc diuerti, vt abducerem, ſed ſolùm, vt veterem ſodalem inuiſerem. CONO. Nihil te moueant mulierculæ expoſtulationes. RIGO. Obſecro, quia nondum prandij tempus, prodeambulemus, vt viſam hãc tuam regiam, tantiſper dum prandium paretur. CONO. Quandoquidem ſic tibi placet, Villã tibi meam commonſtrabo explicaboq;, in qua mihi regnum conſtitui. RIGO. Lepidum profectò beatumq; tuum hoc regnum. CONO. Fateor quidem hac parte me beatum, quòd mea fortuna contentus ampliora non appetam. Siquidem, vt ait ille.

Beatus quis.

Horat. Od. 9. li. 4.

Non poſſidentem multa, vocaueris
Rectè beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus ſapienter vti
Nouit.

Equi-

Equidem hoc meo regno vel potius tugurio beatior, quàm monarchæ aliquot, qui tam multis ampliſſimiſq; regnis potiuntur. Diuitiæ non amplitudine; ſed animo metiẽdæ, & vt Pſaltes ait, *Melius eſſe modicum iuſto, quàm diuitias impiorum multas.* Cincinnatus quatuor ſolùm iugera colebat. Socrates quinque tantùm minas poſſidens, diues exiſtimatus, vt Xenophõ teſtatur. Ita ego cum Virgilio laudo ingentia rura, exiguum colere malo. Iam verò non ſperabis, te viſurum Luculli villam, aut Hyrtij, quę quadragies HS væniſſe traditur. Magnificas illas villas, & pauimẽta marmorea, vt Cicero ait, contemno. RIGO. Eleganter interim omnia, &, vt apparet, commodo conſtructa ordine. CONO. Nos, iuxta prouerbium, pro noſtris opibus mœnia condimus, hoc eſt, pro agelli merito, & domini fortuna conſtituimus ædificia. Ordine autem rationem tibi explicabo regiæ meæ, Iſchomachum Xenophonticum imitatus, quem eximiè laudat Cicero.

Pſalm. 37. verſ. 16. Diues quis. Cincinnatus. Socrates.

Principio ſitus & poſitio rationem ſic ædificandi occaſionemque dedit.

villæ ædificandæ ratio.

Cato

Cat. 2. Cato docet, ædificare diu cogitare oportet, conferere cogitare non oportet. Maiores prudenter animaduerterunt, videnturq; ad Catonis & Columellæ consilium, quod & Plinius secutus, respexisse; cum patremfamilias villam rusticam bene ædificatam habere expedit, nempe sic ędificandam villam, vt neque villa fundum, neque fundus villam quærat. Atque hac in re peccasse L. Lucullum & Q. Scæuolam proditum, quorum alter maiorem, quàm vt fundo responderet, alter, nempe Scæuola, minorem extruxerit, quàm postularet modus agri, cum vtrunque sit rei familiari dispendiosum. Diffusa enim consepta non solum pluris ædificamus, sed etiam impensis maioribus tuemur. At minora si sint, quàm postulat fundus, dilabũtur fructus aut corrũpuntur: Sapiens ait, *Præpara foris opus tuum, & præpara illud in agro tuo: & postea ædificabis domum tuam.* Plurimum igitur referre, qualis fundus qualiter ędificetur, & vtiliter disponatur. Cato in prædio maximè desiderat, vt bonũ cælum habeat, & si fieri possit, situm sit ad radicem montis,

Luculli villa.

Scæuolæ villa.

Prouerb. 24. v. 27.

Situs villę.

tis, inq; meridiem ſpectet, loco ſalubri. Varro addit, ad exortum æquinoctialem, vt æſtate habeat vmbram, hyeme ſolem. Quibus ſuſcribens Columella, Quod ſi voto, inquit, fortuna reſpondet, Ager optandus ſalubri loco (nam ſalubritatem Cato cum primis conſiderari voluit, vt infra dicetur) vberi gleba, parte campeſtri, parte alia collibus vel ad orientem, vel ad meridiem molliter deuexus, terrenisq; alijs cultis, atque alijs ſylueſtribus & aſperis, nec procul à mari aut nauigabili flumine, quò deportari fructus, & inuehi merces poſſint. Cornel. Tacitus tradit veteres Germanos villas conſtituere ſolitos, vt mons, vt fons, vt nemus aut ſtagnum placuit, aut oportunitatem præbuit. Rigo. Hinc arbitror tot in Germania gentilitia nomina à montibus, fontibus, paludibus ac nemoribus extare. Cono. Apparet. Præcipiunt tamen alij non eſſe villam iuxta paludes ponendam, neque aduerſo flumine. Paludes enim caloribus noxium virus eructare, ac venenatas beſtias emittere, ſerpentumq; peſtes hyberna vligine deſtitu-

Germanorũ villæ.

tas,

tas, ſæpe cæcos creare morbos, certum eſt. Homerus omnino è flumine ſemper antelucanas auras inſalubres eſſe veriſſimè tradit. Quare ſi omnino villa conſtituenda in ripa, cauendum eſſe ſuadent, vt à tergo potius quàm præ ſe flumen habeat, & vt ædificij frons auerſa ſit ab infeſtis eius regionis ventis, & amiciſſimis aduerſa, cùm plæriq; amnes æſtate vaporatis, hyeme frigidis nebulis caligent, quæ niſi vi maiore inſpirantiũ ventorum ſubmouentur, pecoribus hominibusq; conferunt peſtem. Optimè igitur ſalubribusq; locis ad orientem vel ad meridiem, grauibus ad ſeptentrionem villa conuertitur. A mari autem conuenit longo interuallo abeſſe. Quia venti marini, noxij, & media ſunt ſpacia grauioris halitus. Nec viam militarem iunctam eſſe conuenit, ne prætereuntium viatorum populationibus, & aſſiduis diuertentium hoſpitijs, infeſtet rem familiarem. RIGO. Si rectè memini; Veteres vicinitate quoque prædia metiebantur. CONO. Rectè mones, quod propemodum exciderat: neque enim in poſtremis moleſtijs ponẽdum

Vicinitatis ratio.

dum vicinitatis malum, vt ad finem huius libri dicetur cuius tœdio quoſdam noui Agricolas pacis amantes, qui prædia optima deſerere maluerunt, quàm iniurias improborum vicinorum tolerare, vt non abs re Heſiodus dixerit, πῆμα κακὸς γείτων. Sed inquies quorſum hæc tam longa proœmia? Certè ideo hæc altius repeto, vt intelligas rationẽ meæ villæ. Nam cum ſint villarum ædificandarum genera varia propoſita, & alij ad voluptatem, alij ad luxuriam, alij denique ad neceſſitatem ædificent atque conſtituant villas, antiquorum ſententias de villa ponenda recenſere placuit. Cùm autẽ eam opportunitatem, quam illi requirunt, ponendæ villæ in omnibus locis natura non concedat, & alij in flumine, alij vel intra aggeris munitiones, vel extra aggerem ſiti, qui vel maris vel fluminis propinquitatem vitare non queant, alij in paludibus, alij in ſyluis, nonnulli in montibus prædia habentes, arte ac diligentia cogantur ſarcire, quod loci natura denegauit: Nos cum fluuium vicinum declinare non poſſemus, induſtria, quantum fieri potuit,

Epy. 2.

Villæ poſ ſitio.

tuit,

tuit, incommoda auertere ſtuduimus, & quia fluuij exundationibus pericula ſentimus hoc loco, & extra aggerem ſiti, ædificijs locum editiorẽ delegimus, veluti in tumulo collocatis; Ne autem aquæ & glaciei impetus ea euerteret, arborum ſepimento cinximus. Ac verò, vt aëris noxios halitus & ventorum infeſtos flatus atq; imbres vitaremus, ianuas feneſtráſque auerſas ad ſalubritatem diſpoſuimus. RIGO. Cæterum videris tu aut maiores tui commodè & ſcitè collocaſſe hanc villam; Siquidem bifrõs eſt antica, partim orientem, partim meridiem ſpectans, & protecto ac menianis ſic exędificata, vt & ſolem hybernum & æſtiuam vmbram excipiat. Adhæc ad ingreſſum prothyron ab occidente ventos & imbres ab oſtio arcẽs. CONO. Totus fabricæ tractus vnius lateris longitudine, vt vides, in quo frõs eſt, meridianam partem ſpectat, in primo angulo excipiens ſolis hyberni ortum, vt paululum ab occidente auertatur hyemali; ita fit, vt per hyemem illuſtretur, & caloribus æſtate non infeſtetur. Nam ea ædificatio medium tempera-

Aëris ratio.

Prothyrõ.

peratumque libramentum ventorum hyemalium & æstiuorum tenet, vt & æstiuos perflatus recipiat, & hybernis procellis minus sit obnoxia, tametsi sint quædam, quæ & commodius constitui poterant, & mihi ipsi displiceãt. RIGO. Sunt quædam, quæ videntur Italicum morem imitata. CONO. Nonnulla quidem, quia vetustate collapsa à me paulo commodius exædificata; ea autem quæ integra reperi, satis putaui, si sarta tecta præstarentur. RIGO. Perge obsecro explicare cætera. Vestibulum hoc videtur Italico more clausum portis duabus. CONO. Est quidem à me in eam formam absolutum, tametsi speciem vestibuli quandam haberet ante, sed non ita commodam, quare quadratæ formæ vestibulum muro cinxi, & porta ampliore per quam currus inuehi possit, si maiuscula plaustra vini vel alterius liquoris importanda cellarijs; Aliud est ostium, quod egredientibus ingredientibúsque aperitur. Spacio autem hoc propylæi vacuo vel inambulare vel aduenientes excipere licet; pergula adiuncta propylæo huic, & topiarium vitę

Vestibulum.

veſtitum atque cameratum conſidere volentibus vmbram prębet; adeſt menſa lapidea; nam aliquoties cœnare hîc ſoleo. E regione oſtij, vt vides, ad meridianam veſtibuli partem piſtrinum eſt & mola farinaria, & furni ſunt pani coquendo, cæteraq; piſtoria opera conficiendo. Item cereuiſiaria coquina cum infundibulo, ad hordeũ madefactum, dum intumeſcens diſſiliat, torrendum, in peluſiaci potus vſum. RIGO. Mira ad rem familiarem cõmoditas & induſtria. CONO. Hæc vitandis incendijs à villa, vt vides, ſemota. Adhæret puteus limpidiſſimæ aquæ, qui præter propinquos vſus & culinæ ſeruit alijſq; vſibus: Quãdoquidem intra villam perenni fonte, & riuulis deſtituimur, alioqui maximè optandis magnoque redimendis, cum propter ſalubritatem æſtiuoſq; calores temperandos, tum hortis pratiſq; rigãdis. Aquæ enim maxima habenda ratio, quæ tam hominibus, quàm pecudibus ſalubritatis maximam cauſam præbet. Interim eam commoditatem ſarcit partim puteus optimam aquam exhibens, partim ciſterna aquas pluuiales

Piſtrinũ.

Aquæ ratio.

per

per fistulas plumbatas, & canaliculos excipiens. Sunt enim hæ corporibus accommodatissimæ. Accedit vicini fluminis vsus. RIGO. Age pistrinum hoc contẽplemur. Audio te nouo & inaudito molendi inuento vti. CONO. Videbis. Cùm molæ farinariæ magnus in ampla familia rustica vsus, & procul absint publicæ, via quoque impedita, mihiq; nullius seruituti addicto liberum sit, vel domi vel vbicunque libeat molenda deportare: Cogitanti autem de constituenda in hac villa mola, cum ad aquariã molã aut πνευματικὴν, quę vento impellitur, & locus deesset, & auctoritas, & manuaria ac trusatilis parum cõpendij afferret, iumentariam etiam extruere operosius visum. Quare cum aliquoties vidissem tympanum haustoriũ, quod vel asinis vel mancipiis circumageretur, eadẽ opera existimaui & molam agitari posse, ad eum modum hanc machinam excogitaui, quam asini bini molares à puero incitati pulchrè circũ ducentes frumenta frangunt, farinam optimam reddentes, & quantum meæ familiæ opus: interdum etiam vicinis

Molæ frumentariæ.

Mola asinaria.

permitto, ſed gratuitò. RIGO. Laudo induſtriam. Quid non humana ſolertia excogitat? CONO. Mihi certè vtilitatem non vulgarem præbet. Verùm quia tardius opus procedit, iumentariam quoque extruxi, quam equis vacantibus circumagam. RIGO. Ecce leberem vaſtum perquam commodè in angulum latericio parieti incluſum, cereuiſiæ coquendæ ſeruire arbitror. CONO. Maximè: interim accommodatur & aliis vſibus. RIGO. Fiſtula illa infundibuli in ſuperius tabulatum aſcendens quorſum? CONO. Hordeo madefacto in cereuiſiæ vſum accommodata, quam crates vel teſtulæ perforatæ excipiunt, quibus hordeum madefactum ac dehiſcens inſperſum exiccatur. RIGO. Quid cupa illa ampla? CONO. Hordeũ in ea maceratur, quando ſic res poſtulat; aliâs farina ad cereuiſiam in ea miſcetur. In proximo eſt piſtrinum & artopœum, gemino furno, alter communibus panibus αὐτοπύροις, & familiæ ruſticæ ſeruit, alter panes ſiligineos ac minores pro mea menſa, cruſtas quoque & placentas ac dulciaria coquit. Adſunt

Iumentaria mola.

Hordei ad cereuiſiã maceran-di ratio.

sunt & arcæ farinariæ, in quibus molita conseruantur, lintres, in quibus farina molita fermentatur ac maceratur. In mensa finguntur panes in furnum mittendi. RIGO. Per commoda omnia. Sed aliud hoc ædificium in ambitu vestibuli quorsum seruit? CONO. Hæ ædes ab aliis seiunctæ primùm hospitibus cubicula, deinde apodyterium præbent adiuncto balneo. Hæc, vt cernis, occidenti æstiuo aduersa, quò sint post meridiem vsque in vesperam illustria. RIGO. Sed insula illa, fossa cincta atque à vestibulo ponte disiuncta, splendidius, & elegantius ad amœnitatem ædificata videtur; hanc arbitror prætoriam domum, in qua cũ vxore & vrbana familia seorsum tutiore loco diuersari liceat. Prætoriã.

CONO. Sic est; & propterea eminentiore collocata loco, simul quò & fundamentorum iniuria à fluuij exundatione vitaretur, & lætiorem prospectum aëremq; salubriorem præberet. Proinde & hortus & pomarium adiunguntur, quæ herbarum spiramentis arborumq; virore & cœlum & prospectum commendent; fenestræ magna ex parte

orientem, pars etiam ſeptentrionem, pauciores occidentem ſpectant, niſi quòd hyemalis temporis cubicula magis auſtro obuerſa, cenationes, & periſtylia meridiano æquinoctiali ſubiecta, vt hyeme plurimum, æſtate minimum ſolis recipiant. Turris periſterotrophiũ præbet. RIGO. Frequens volatus! ex hoc columbario arca Domini completur haud dubiè ſimul & culina. CONO. Si vt eximius ille & vndecunque doctiſſimus Varro affirmat, etiam ſeuerioribus ſæculis, paria ſingula ſingulis ſeſtertiorum millibus vænire queant, vel inueniãtur tam ſtolidi, vt Columella ſcribit, qui quaternis millibus numûm binas quaſq; mercentur columbas, fateor me non mediocrem quæſtum hinc facere poſſe, verùm nobis ſaginam vix ex hoc auiario exercere licet. RIGO. Quid non deſignat delitiarum inſana cupiditas? Noſtra ætate par columbarum 60. florenis in Brabantia comparatum audio. CONO. In vrbano hoc ædificio nihil attinet te diutius remorari; horũ tu plurima vidiſti ſplendidius & cultius extructa. Villam ruſticam perluſtrare fortè

fortè malles. RIGO. Maximè. Video trifariam te ædificiorum rationem distinxisse. CONO. Sic scilicet vsus requirit, vt in vrbanam, rusticam, & fructuariam diuidatur. RIGO. Quid hæc cella ad ingressum tam scitè extructa? CONO. Hæc cella villici est: nam eum ad ostiũ excubare atq; scire oportet, qui introeant aut egrediantur, quid ferant aut efferant. Indidem quoque culinam inspicere potest, ac contueri audireque, quid illic agatur. Quandoquidem ibi præter cibos, qui coquuntur illic & capiuntur, etiam hyeme antelucanis horis res aliquot ibidem conficiuntur. Supra ianuam procurator meus cubiculum habet, vnde in vestibulũ & ad portam prospectus patet, & is villicum ex vicinia obseruat. RIGO. Magnam vigilantiam narras, idque ex Varronis doctrina te retinere arbitror. CONO. Sic vsus monstrauit. Vicinum vtrique armamentarium. RIGO. Deus bone quæ hîc instrumentorum taberna? CONO. Agricolam vult Hesiodus omnia habere parata, vetatq; commodare ab aliis:

Villæ distinctio.

Hesiod. ἡμέραν. β. Μὴ σὺ μὲν αἰτῆς ἄλλον, ὁδ' ἀρνῆ), σὺ δ' ἔπειτα, Ἡ δ' ὥρη ὡς ἀμείβη), μινύθη δ' ἔργον.

Quare sic institui meum villicum vt omnia bina habeat. M. Varro adminicula & instrumenta rustica trifariã partitus est: in Vocalia, in quibus sunt liberi, mercenarij, aut conductitij: Semiuocalia, in quibus sunt iumenta operi destinata: Muta sunt hæc quæ vides hic recondita, dolabra, asciæ, falces varij generis, secures, secures dolobratæ, secures ligniſecæ, securiculæ, cunei, falces messoriæ, falces adoreæ, falces putatoriæ, falces fænariæ, falces arborariæ, falces stramentariæ, falces vineaticæ, falces vericulatæ, scirpiculæ, falces denticulatæ. Cultelli, cultelli curui, cultri lanionij, Scalpella, cauteria, phlebotoma, castratoria instrumenta, subulæ, tonsoria, forcipes, forpices, forfices, mallei, rhoptra, limæ, terebra, Serræ maiores & minores, serriculæ, serrulæ manubriatæ, ligones, palæ, lupi, bipalia, pastina, vangæ, marræ, runcones, mergæ, vnci ferrei, furcæ, furcillæ, furcæ ferreæ, bidẽtes, tridentes, quadridentes, Situlæ, vanni, flagella, tribula, scopæ,

Instrumẽta rustica.

ſcopæ, hoſtoria, radij, radula, ſacci, culei, vtres, ligneæ mandibulæ, ſtuparij mallei, hami ferrei, pectines ferrei, fuſa, coli, ſpõdyli, rhombi, ignitabula, ignaria, Crates variæ, crates doſſuariæ, crates ſtercorariæ, ſcirpeæ ſtercorariæ, corbes, cophini, funes & reſtes, funes canabini, funes ductarij, lorei, ſpartea, fibulę, paniculæ, ſubſcudes, trochleæ, ſuculæ, cochleæ, gerania, tympana, regulæ, ſcalæ, vectes, Item in torculari & trapeto præla, fiſcinæ, fiſcellæ, quali, cola, bennæ, dolia, lacus. In equili antilenæ, poſtilenæ, clitellæ, Ephippia, ſtapedes, frena, cami, lupata, capiſtra, habenæ, epomides, iuga, lora, In chorte ſeruantur plauſtra, aratra, vti mox videbitur. In cereuiſiario, lebetes, cupæ, dolia, labra, ſitulæ, vaſa aquaria, tinæ, ſiphones, Epiſtomia, Infundibula, opercula. In piſtrino furni, ſacci, rutabula, mactræ, arcæ panariæ, criba, cribra ruderalia, pollinaria, incernicula, plathana. In culina focus, ignitabula, infumibulum, alaria, forcipes, folles, menſæ, ſellæ, ſcamna, ſedilia, vrinaria, Caldaria vaſa, cucumæ, milliaria, quadræ, cola, tripodes, ahena,

lebetes,fuſcinæ, deſpumatoria, rudicu-
lę,tyrocneſtes,ſartagines,tudiculæ,cre-
agræ, pila, mortaria, ſcutellæ, cochlea-
ria, pocula, canthari, obbæ, crates fer-
rariæ, panaria, abacus, ſalina, mantilia,
mappæ,lauatrina,maluuia & cætera va-
ſa fictilia, ſtannea, ærea, lignea, ad ſuos
quæque vſus ſuo loco aſſeruantur. Ne-
ceſſitas ruſtica,quemadmodum & He-
ſiodus, ſic poſtulat, vt non ſolùm ara-
trum ſed inſtrumenta omnia duplicia
ſint, vel plura, prout numerus ſeruo-
rum & vſus exigit,vt ſi vnum amittatur
vel confringatur, ne ſit opus à vicino
petere, neúe opera ceſſent,& dum vnũ
reparetur, interim ocio liceat vti. In vr-
be autẽ proficiſci parandorũ inſtru-
mentorum gratia, non eſt ex re ruſtici:
Adde quòd inſtrumentorum vſus dila-
tus operas ſuſpendit, & plus in operis
ſeruorum quàm in pretio earum rerum
conſumitur; taceo quòd in vrbes pro-
fectio ſegniores facit. RIGO. Scitè me
hercule omnia ſuo loco diſpoſita. CO-
NO. Primum ea ſecreuimus, quibus
quotidiè vtendum, vtque in promptu
ſint: deinde quibus mẽſtruus, annuus,

aut

aut rarus vſus: Hæc ipſa procuratori aut villico numerata tradidimus, & vbi ea ponerent demõſtrauimus, atque vt ſalua ſint, ſua cuiq́ue annumerauimus, vt quocunque opus eſſet, ſciant vnde darent, & meminerint quid cui dederint, & cum recepiſſent, ſuo loco reponerẽt: Præcepimus quoq;, vt ſępius, aut ſaltem ſingulis menſibus ea inſpicerent, & ſi opus, reficienda curarent. RIGO. Præclara res eſt ordo, nihilque in rebus humanis præſtantius, vt & ordine quæque fiant, & ordine recõdita, ſi opus ſit, promantur. Huius ſingulare exemplar commemorat apud Xenophontem Iſchomachus, in naui Phœnicum, in qua (mirum quanta ſupellex in tam anguſto vaſe) omnem ſupellectilem, qua mortales vtuntur, ſecum ferebat, omnia interim ſic collocata, vt inter ſe minimè impedimento, & ſuo quæq; loco repoſita in promptu eſſent. CONO. Et ipſe deſcriptum habeo catalogum inſtrumentorum, & villicus ac villica itidem. Procurator clauem habet armamentarij, & cuiq; vt diximus, deprompta tradit inſtrumenta, abſolutoq; opere re-

Ordinis commoditas.

Xenoph. Oecono.

re reponit. Neque ipſe lubens aliis mutuo aut commodato do. Duos aut tres vicinos habeo, vnde vtẽda peto, & quibus viciſſim do, præter hos nemini. Sic me docuit ſapiens Cato. RIGO. Idem, ni fallor, docet ex inſtrumento ruſtico agrum æſtimare, Quare è tam amplo inſtrumento, agrum ampliſſimum æſtimare licet. CONO. Inſtrumentorum conduplicatio multitudinẽ auget: alioqui ſi pro modo agri ſingula inſtrumenta deputentur, non ita multa viderẽtur. RIGO. Sed perge quæſo villam ruſticam explicare. CONO. Vides pauimentum ante culinam vacuum, vnde ſimul in culinam patet ingreſſus, & cellas familiaricas, ac iumentorum ſtabula, quæ conuenit eſſe vicina, vt ſi quid noctu iumentis accidat, familia mox adſit, cu-

Culina. retque neceſſaria. RIGO. Culinam cerno bene inſtructam; induſtrium autem hoc, quòd contignationes opere tectorio loricatæ. CONO. Sic primùm numeroſæ familiæ alendæ poſtulat neceſſitas, quam hic prandere, cœnare, morarique oportet magna parte, Deinde aduerſus incendia loricatio conducere viſa.

visa. Ad culinam, ancillarum cubicula. RIGO. Fumarium ad focum non ineptè adiunctum, succidiis, pernis, carnibusque bubalis ac piscibus fumatis bene instructum. Coquinæ non incommodè lauatrina admota. CONO. Ad parietem hunc intergerinum, qui cõcraticius à Papiniano nostro vocatus, quique priorem villæ rusticæ partem à culina distinguit, sic villici cubiculum abstructum, vt ea, quæ in culina, & vt diximus superius, anticam ingredientes egredientesque, atque etiam in posteriorem ædium partem conspicere possit: huic itidem admota penuaria cella, apotheca, & hypogea trifariam distincta, primum lacticiniis, alterum cereuisiæ vini & poculentis, tertiũ salsamentis, & quæ his affinia. Hîc ad meridiem & occidentem nullæ feneſtræ, sed hę solem orientem & septentrionalem lucem admittunt: Quòd hic aër putrefactioni minus obnoxius & duraturis conueniat. E priore ædium parte, quę excelsior est, conscenditur in tabulata, in quibus frumentum excussum reconditur. Ea itidem vndiq; clausa &

Intergerinus paries

Penuaria cella.

Apothec

Hypogea.

Tabulatũ frumentarium.

sa & loricata aduersus muriũ iniuriam, feneſtris clatratis lucem à ſeptentrione excipientibus. In propinquo eſt tabu-
Oporo-thecæ. latum aliud clauſum oporothecæ, & ipſum modicis feneſtellis aquilone inſpiratur. Siquidem ea cœli poſitio frigidior, minus humida; vnde perennitatem conditis frumentis, oporis, aliiſque rebus affert. Iam verò poſteriorem huius ædificij partem licebit ingreſſo per oſtium hoc contemplari. Hîc patentẽ vides aream, in qua aliquando flagellis excutitur frumentum, trituratur atque vannis expurgatur, ventilaturq;, ac cætera ruſtica opera ſub tecto expediuntur, maximè antelucanis & hybernis horis præſtanda, tametſi aliâs idem in area horrei fiat: Ab vtraque autem parte, ſeruorũ cubilia, & alia tabulata ſunt, & palearum ac reliqui pabuli iumentorum receptacula. Sunt & ad equilia ſeruorum cubicula vtrobique iumentorum cuſtodiæ conſtituta: Ancillarum autem cubicula ad culinam, lauatrinãque. Conſeptum hoc intueris vndique
Conſeptum. clauſum, nimirum vt bubulum pecus aliaque animalia tutò contineantur, quo-

quoties vel aquatum, vel ſtabulis repurgandis emittuntur. Atque hîc anſeres, anates, pauones, Indicæ atq; aliæ chortales aluntur aues : Eſtque conſeptum vndique ſic ſtabulis, horreis aliiſq; ædificiis cinctum, vt ſepimenti vicem illi præbeant. Chortem duplicem eſſe voluit Varro, vnam, quæ interius impluuium habeat lacum, vbi aqua vel ſaliat vel ſtagnet, ſitq; ſemipiſcina. Boues enim & equi vel ex aruo reducti, vel ſtabulis aquatum ducti, hîc bibunt, hîc perfunduntur & obluuntur, atque idem vſus anſeribus, porciſque & ouibus, dum à pabulo redierint. In chorte exteriore lacum eſſe oportet, vt perticæ, rotæ, ligna iniecta macerentur, & ruſticis inſtrumentis tectiſque idonea reddantur. Chors hæc crebris operitur ſtramentis ac paleis, vt conculcata pedibus pecudum, ſit miniſtra fundo, vtq; ſit ex ea, quod euehatur. Cernis in conſepto ſterquilinium bifariam partitum; nam in alterum recens è ſtabulis egeritur ſimus, ex altero vetus in agrũ euehitur : nam quod effertur recens, minus bonum, melius, vbi ſiaccuerit ac com-

Chors vel Cohors.

Sterquilinium.

computruerit. RIGO. Quid ſibi volunt virgæ, frondes atque ſtramenta inſtrata fimo? CONO. His vindicatur à ſole fimus, ne ſuccus, quem terra flagitat, à ſole exugatur: Vnde è lauatrina effuſa aqua huc confluit, qua ſubinde irrigetur. Varro huc quoque ſellam familiaricam admouendam iudicauit. Agedũ ne in ſterquiliniis diutius moremur, ad ædificia & tuguriola, quæ conſeptum claudunt, veniamus. Maiuſcula illa tecta horrea ſunt, quibus demeſſa frumenta & ſegetes importantur. Quibuſdam locis nubilariis vtuntur, alicubi quaternis tignis æquali diſtantia fixis, imponunt tectum penſile, vt ſurſum deorſumq; mitti queat; montes appellant, quibus frumenta recondunt: Sed clauſa parietibus magis probantur. Ab altera parte horrei ſtabula ordine conſeptum cingunt. Et quia Virgilius ſtabula meridiem, Vitruuius etiam ignem ſpectare vult, eum modum ſecuti ſtabula pecorum iumentorumque ſic conſtituimus; Ac primum equorum, quibus ad agrum colendum trahendumq; vtimur. Eſt & aliud equile iux-

Horreum frumentarium.

Berg: mõtes.

Stabula.

le iuxta prætoriã villam, equis ſeruiens equeſtribus. RIGO. Apparet elegantius id conſtructum. CONO. Hinc ouile, mox bubile & vitulorum ac iuuencorum, poſt hara bifariam diſtincta, altera fœtę ſcrofæ clauduntur, altera promiſcui generis receptaculum præbet. Eſt & tertium porcile, non procul à lauatrina, porcis ſaginandis deſtinatum. Quibuſque ſtabulis cubilia ſeruorum adiuncta, quibus cuiuſque generis cura demandata, vt ſi res exigat, ad ſua ſit cuique facilis accurſus. Poſtremo fœnile ſuccedit, quo fœnum ſuperiori parte reconditur, inferior pars aperta rhedas, plauſtra, vehicula, carros, petorrita, pilenta, eſſeda, ciſia, occas, traheas, aratra, vrpices, cylindros, temones, rotas, cardines, canthos, modiolos, apſides, axes, dactylia, cures, embolos, ſufflamina, anſas, iuga, ſtiuas, rullas, bures, vomeres, raſtra, iſtoboas, cultra, & eius generis inſtrumenta recipit, iiſque tectum præbet, quibus pluuium cœlum inimicum: & ſimul intra conſeptũ aduerſus fures tutiora ſuoq; loco collocata conſeruantur. RIGO. Dic amabo,

Fœnile.

Inſtrumẽta vehicularia.

quisnam his tam multis curis intendit & in officio quenque continet? CONO. Villicus quidem vniuersæ tam familiæ quàm Rei Rusticæ præest; præterea procuratorem habeo, qui quasi agonotheta adhibitus, fructus atque pensiones recipit. RIGO. Villicum peritum esse oportet atque fidum. CONO. Rectè iudicas: Nam villici & medici, vt Xenophon scribit, eadem ratio, Est enim deligendus, qui vsu rerum rusticarum instructus, & exercitatus, reliquarum operarum magister sit, qui ipse in opere præeat, edoceat subiectos, commodeque faciat quæ præcipit. Siquidem nihil sine exemplo docetur ac discitur. Vt enim Cato dixit de patrefamilias prisci moris, Malè agi cum Domino, quẽ villicus doceret: Sic rogatus à Socrate Ischomachus, vtrumne villicum mercari, tanquam fabrum oporteret, an instituere potius domi consueuerit: A me, inquit, instituitur. RIGO. Verùm hæc prisci moris, quo nemo Rei Rusticæ ignarus: mirum autem, te in principum ac Reip. negotiis versatum, hoc tempore (quo pauci, præter rusticos & manci-

villici ratio.

mancipia, huius exercitij periti sunt) hisce rebus animum adiicere potuisse, vt appareat, quasi nulli alij rei vacasse te quam Rusticæ. CONO. Mihi quidem, vt alias dictum, gentilitium est rei rusticæ exercitium, atq; etiam per omnem ætatem, quoties domi sum, nec alia impediunt negotia, huic potissimum incumbo: interim villicum instituo huius rei administrum. Neque verisimile est eum peritum villicum comparare posse, qui ipse non intelligat, quibus rebus eum institutum esse oporteat; neque opus exigere rectè posse, qui quod aut qualiter faciendum sit, non intelligat, atque à ministro discat: Nemo enim bonus artis æstimator, nisi peritus. In deligendo autẽ villico quatuor maximè requiro, vt sit beneuolus, diligens, imperio aptus, & iustus. Quintum si adieceris, non repugnauero, præsertim quibusdam regionibus, nempe vt à temulentia sit alienus: nam ebrioso cura officij pariter cũ memoria subtrahitur. Non requiro, si vrbanas & delicatas artes non didicerit: Sed potius eligendus, qui à pueritia rusticis operi-

Quę in villico requirenda.

bus induruit, & experimentis comprobatus, ætatis mediæ, ne vel adoleſcentia ętati detrahat, vel prouectior operi ſuccumbat laborioſo. Conuenit tectonices eſſe mediocriter peritum, vt ſi quid in ſtabulis, carpentis, aliiſve ruſticis inſtrumentis ruptum fractúmve ſubitam reparationem requirat, id ſarcire poſſit, parietes delutare, ſepimenta fulcire valeat: Item veterinariæ artis non ſit ineruditus. Qui apud eruditos villicos ſit inſtitutus, is ſperabitur ad imperādum non ineptus: Nam ſunt plærique, qui etſi operum probati artifices: ad imperandum tamen gubernandum q; inepti ſunt, & vel ferocius vel indulgentius faſunt, & vel ferocius vel indulgentius familiam regentes, domini rem corrumpunt. Proinde explorandus ante, quàm recipiatur villicus. Neque hoc ſolùm conſiderandum, an diſciplinam ruris teneat exactè, verumetiam an domino fidem & beneuolentiam exhibeat: Sine quibus nihil proderit, quantumuis magna, peritia ruſtica. Præcipuè autem in hoc magiſterio ęſtimare, & ſcire conuenit, quid laboris cuiq; conueniat: Sunt enim quædam opera, quæ vires magis

quàm

quàm peritiam requirant, & contra. Quare in deligendis his iudicium habere, & villicum arbitrum esse atque æstimatorem harum rerum, operæpretium fuerit; Quod fieri non possit, nisi ipse sit peritus. Non minus igitur docendus villicus, quàm faber aut alius artifex. Et rusticationis artem non paulò difficiliorem & ampliorem dixerim. Vnde mirandum, in hac tam necessaria arte tam paucos reperiri, & discipulos & magistros. RIGO. Forte magnitudo rei deterruit, & difficultas. CONO. Quare non etiam oratores deterruit? quia nullus dum perfectus repertus orator, vt contendit Cicero. RIGO. Quis ergo docebit villicum? CONO. Recte rogas; dicam: quanquam in vniuersum de Re Rustica pauci præceperint, & singulis etiam ætatibus exercitatos non multos reperias. Quare futurus villicus veluti per gradus instituendus videtur, ita vt à pueritia primùm pecora pascere minora, inde armenta & equos curare, fodere, arare, triturare, plantare, serere, metere, sepire, ædificare, sarcire rupta instrumenta rustica, la-

Rusticationis artis difficultas.

Institutio villici.

niare pecus, pecori & iumentis, ac veterinis ægrotantibus remedia adhibere, & si qua similia opera, discat oportet, atque sic per omnia rusticæ disciplinæ genera exercitatus ad magisterium ascendat, non secus quàm de Episcopo docet Gregorius Nazianzenus, & Cicero de Imperatore, per omnia militiæ tyrocinia educando. RIGO. Miram mihi commemoras philosophiam. CONO. Quod initio dixi, ætatem maximè probari à trigesimo anno ad sexagesimum: Nam, adolescentiæ illa lasciuia deferuescente, neque amoribus neque aliis auocamentis abstrahitur ab officio. Vbi enim his se dederit vitiis, nihil aliud cogitabit, quàm amores, neque præmium iucũdius, quàm libidinis fructus, nec supplicium grauius, quàm frustratæ cupiditatis. Adhæc sexagesimum annum excedens, piger, & deficiẽtibus viribus lassus redditur & tardior. Equidem vnius villici operam malim agilem & industriam, quàm plurium aliorum seruorum negligentem, non aliter, quàm ille, qui ducem leonem militibus ceruis optauit potius, quàm contrà ceruo

Aetas villici.

duce

duce leones milites. Hoc imprimis curare oportet, cùm plurimum referat, à primo mane opus aggredi, vt villicus sit vigilans, vtque patrisfamilias vices subiens, primus cubitu surgat, postremus cubitum eat, prius villam videat clausáne sit, & vt suo quisque loco cubet, vtque iumenta pabulum habeant rectéq; stabulentur, vt familiam ad opera cunctantem pro temporibus anni festinanter producat, ipse strenuè præeat, neq; patiatur statim à prima luce quenquam cunctanter & languidè procedere, sed velut in aliquod prælium, cum vigore & alacritate villicum, tanquàm ducem, præcedentem sequi, variisq; exhortandi artibus in opere ipse excitet laborantes, nonnunquam, tanquàm deficienti, succursurus, instrumentum auferat, parũper & ipse fungatur officio eius, moneatque sic fieri debere, vt ab ipso fortiter sit effectum. Atque vt diligens opilio mane oues educens, & vesperi reducens curat, necubi pecus aliquod deficiens in agro relinquatur: Sic & villicus seruos domum reducens, non in domicilio suo delitescet, sed cuiusque curam

Cura familiæ.

agat diligenter. Si quis forte vel ſaucius vel debilitatus fuerit, adhibeat fomenta,& ſi lãguidior, in valetudinarium deducatur, neceſſariamque curam adhiberi iubeat. In eum vſum ædificium illud à reliquis ſemotum deſtinatur, vt ægrotantes eò deducantur, atque inibi curentur, maximè ſi contagioſo morbo infecti, ne alij contagio lędantur. Oportet enim Agricolam hanc familiæ valetudinis curam nõ negligere. Et præſtat eos, qui rectè valent, curare, atque operariorum morbos præuertere, quantũque poſſibile, cura& antidotis anticipare: Nempe vt cibus & potus ſalubris è cellariis aut culina ſine fraude præbeatur, non corruptus, aut qui valetudinẽ offendat: Proinde villicus in conſpectu familiæ cibum, & non alium capiat: ita fit, vt cibus diligenter & ſalubriter apparetur. Et quia in agro non ſemper adſunt medici, expedit morbos diſciplinæ exemplo curare, ſumpto ab his, qui ſimiliter ægrotarunt in eadem regione eiuſdemque naturæ. Eorum, qui in ſole laborant, corpora & venas lædit Sol; igitur oportet alimentum ipſis detrahere,

Valetudinis familiæ cura.

vt non

vt non ſemel, neq; bis, ſed paulatim ac ſæpius comedant. Hæc enim ratio valetudinem conſeruat, & concoctioni proderit. Aliqui abſynthites vinum, & iuſculum, in quo abſynthium coctum, præbent. Conuenit & ſuo tẽpore quietem permittere, atq; vt iis temporibus quieti potius quàm nequitiæ vacent. Cauendũ, ne incalentes frigidiora potent, aut humi cubent; Si aqua non ſit bona, coquatur; conuenit & ptiſana. Meminiſſe oportet & homines eſſe ipſos ſeruos. Ac denique ex huiuſmodi cura naſcitur beneuolẽtia & obſequiũ. Quinetiam fidelius ſeruire ſtudent qui cõualuerint, cum eſt ægris adhibita diligentia. Et, quod in maioribus imperiis quoque difficulter cuſtoditur, conſiderare debebit villicus, ne aut crudelius aut remiſſius eos habeat: Semper foueat bonos ac ſedulos, parcat etiam minus probis, atq; etiam temperet, vt magis reuereantur ſeueritatem, quàm vt ſæuitiam deteſtentur: Id quod efficere poterit, ſi maluerit cauere, ne peccent, quàm cum deliquerint, ſerò punire: Siquidem nulla eſt nequiſſimi hominis

Imperij moderatio.

 arctior

arctior cuſtodia, quàm aſſidua operis exactio. Adeò vt veriſſimum ſit Catonis oraculum: Nihil agendo diſcere homines malè agere. Dimenſum & cibus ſuo quoque tempore præbeatur; conſueſcat familia circa larem focumque familiarem cibum capere ſemper: atq; ipſe villicus in conſpectu eorum epuletur, ſitque frugalitatis exemplum. Si quem deprehendat fidelem, & gnauiter laboraſſe, hunc beneuolentiæ indiciis ac munuſculis alat, atque in officio contineat. Adhæc cultam veſtitamque familiã vtiliter magis habeat, quàm delicatè, vt videlicet munita ſit aduerſus frigora & imbres. Mercedem laborum maturè perſoluat, ne vſquã detrectandi laboris occaſionem prætexere queant. Et ſicut cibus & veſtis neceſſaria, ita etiam caſtigatio. Nam Sapiens ait: *Flagellum equo, & camus aſino, & virga in dorſo ſtultorum.* Et iterum: *Qui delicatè nutrit ſeruum ſuum, pòſt ſentiet eum contumacem.* Præcipuè verò curabit, vt Deũ timeant: non patiatur temere atque è conſuetudine iuramentis ac blaſphemiis vti, neque ſcurrilia aut impia verba miſ-

Catonis oraculum.

Prouerb. 26. v. 3.

ba miſcere. Quinetiam prouidebit, vt Catechiſmum teneant, orẽt, feſtis diebus concionem audiant, ſacramentis ſuo tempore cõmunicent, cauponis aut nequitiæ ne vacent. Sed, vt Poëta ait, *Quædam etiam feſtis fas exercere diebus*, à ſacris & cibo ſumpto fundum obambulent, inſpiciant, ſicubi ſegetibus iniuria fiat, an à pecoribus lædantur: Sepimenta diruta reficiant, iumenta & pecora inuiſant. Breuiter, Villicũ in his omnibus ceu ἐπίσκοπον καὶ ἐργοδιώκτην eſſe oportet. Sic fiet facile, vt ſuo quiq́ue officio fungantur. Villicus autem in villa ſit perpetuò, ne abſentia ſua ceſſatricem faciat familiã, neúe ceſſandi vel delinquendi ſpatium præbeat. Non ſit ipſe potationibus, aut ludis deditus: neque etiam venandi piſcandiq́; ſtudiis, niſi ſic prædij vſus poſtulet, auocetur. Hoſpitem non niſi ex familia domini, quàm rariſſimè recipiat. Non negotietur neque ſibi, neq; pecuniam domini in animalibus, aut in aliis promercalibus occupet: quandoquidem hæc negotiatio curã villici retrahit, nec vnquam patitur eum cum rationibus domini

Feſtis quæ exercẽda, Virgil. Georg. 1.

mini paria facere, ſed vbi numeratio exigetur, res pro nummis oſtenditur. In vniuerſum hoc à villico obtinendum, ne putet ſe plus ſapere, quàm dominũ, néue exiſtimet ſe ſcire quod neſciat, quæratq; ſemper addiſcere, quod ignorat. Nam cum plurimum prodeſt peritè aliquid facere, ita plus obeſt perperam feciſſe. Columella mauult illiteratum, qui tenacis ſit memoriæ. Nam eiuſmodi villicum ait ſæpius numos domino, quã librum afferre, vel quia neſcius literarum minus poterit rationes confingere. Vxor villica ſit contubernalis, quæ contineat eum, & in re familiari adiuuet. Eam conuenit eſſe ætatis eius, quam in villico exegimus ſuperius, robore, valetudine, continentia, vigilantiaque commendatam, neque ſpecie nimis fœdam, ne villicum à ſe alienet, neque nimia ſpecie deſidem intra tecta cõtineat: cui cum familia prodeundum, & peractis operibus fatigato redeundum. Villica interim culinam, domeſticaque capeſſet opera, ancillas regat, & in officio contineat, ſupellectilem conſeruet, dimenſum cuiq; præbeat.

Villica.

beat. RIGO. At tu mihi videris è villico facere dominum ac patremfamilias, & rursus è domino villicum. CONO. Nostra ætas mollitie corrupta veterum & maiorum nostrorum studia simul & honestissima & vtilissima negligit: Siquidem tum domini ipsi Rem Rusticam regebant, & malè cum domino agi existimabant, quem villicus doceret, vt Cato tradidit. Quinetiam Varro queritur, temporibus auorum patresfamilias, falce & aratro relictis, intra murum correpsisse, & in circis potius & theatro, quàm in segetibus & vineis manus mouere. Vnde Cato & veteres, plurima, quæ nos in villicum coniicimus, patrisfamilias curæ tribuerunt. Equidem etsi villico curam familiæ commiserim, ipse tamen veteres imitatus, inspector, & agonotheta operarum esse, meoque ductu & imperio præcipuè fundum regi volo. Comiter tamen, vt ante de villico dixi, cum colonis atque ipso villico ago, auariùs opus exigo quàm pensionem. Sed nimis diu te circumduco ieiunum; Age ad prandium procedamus. Non in Apolline prandebis, neque

Patresfamilias veteris Rei Rusticæ.

Auariùs opus quàm pẽsio exigenda.

que Lucullanam villam tibi oſtendere volui, vt vidiſti, ſed Cincinnati aut Abdolomini, aut denique Laërtæ tuguriũ. Hîc vides ruſtica ædificia ab hoc noſtro vrbano foſſa diſiuncta, ſed ita, vt quæ in villa fiunt, in conſpicuo ſint. Hîc ego cum vxore & familia vrbana verſor. RIGO. Eleganter, ſcitè ac percõmodè omnia, nihil, quod ad abſolutam villæ conſtitutionem neceſſarium videatur, prætermiſſum. Accedit præterea domus pari induſtria ſimul & iucundo & vtili loco poſita. Heus tu Metella, plane Martham agis, plus ſatis in culinariis apparandis ſollicita. METELLA. Nequaquam: Ruſticis his epulis, non artocreis, non tucetis, non ferina aut oſtreis ſcauriſq; , aut denique aulico apparatu excipieris, ſed oleribus, acetariis, ouo recenti, pullo atque agno RIGO. Hæ dapes mihi ſunt longè gratiſſimæ. CONO. Fruere igitur & villum noſtrum ἀπιχώριον experire. RIGO. Certè Rheticum Falernúmque ſuperare videtur. Non arbitrabar hoc agro vitem conſeri, aut certè tam præſtantia vina gigni. CONO. Cultura diligens, & anni felici-

Vrbanum ædificium.

tas

tas ſic tribuit. RIGO. Age diutius hæremus in menſa, cœlo tam ſudo lætoq; nos euocante, piaculum eſt non frui conceſſa voluptate expatiandi fundiq; tui contemplandi. CONO. Cœlum, vt ais, cum temperatum, neque ſolis ardore neque tempeſtatibus moleſtum ſit, equum, vt dicitur, in campum prouocas: cum ipſe alioqui iuxta Catonis præceptum quotidie, quando hîc ſum, neque vel cœli inclementia vel aliis neceſſariis occupationibus impediar, agrũ circumire conſueuerim; ſi ſic videtur, educam te, agrum tibi meum commõſtraturus. Non exiſtimabis te latifundia Metelli aut Luculli, ſed mediocris cuiuſdam hominis, qui ſuis facultatibus contentus, quod ſit, eſſe velit, nolitque cum Attali aut Cæſaris conditionibus permutare. RIGO. Amabo, differas aliquid de agri ratione, culturaq;, cùm te videam diligentem patremfamilias, & huius rei non iguarum. Vehementer enim cuperem huius diſciplinæ præcepta audire, præſertim noſtris accommodata vſibus. CONO. Si turpe eſt Patricio viro, & cauſas oranti, vt Iureconſultus

De agro diligẽdo curandoque.

sultus ait, Ius, in quo versatur, ignorare, quò turpius aut certè damnosius, agricolam terram, cum qua illi res est, ignorare? Quo enim pacto de opere rustico iudicare poterit, rectè an secus factum, qui agri colendi artis sit imperitus? Cæterarum artium professores multa, quæ ad eorum disciplinas pertinent, de industria occultare solent. Agricola contra, opus suum gaudet ab omnibus cerni, rogatusq;, quanam ratione egerit curetque, libenter explicabit: adeò ingenuos hæc ars homines facit. Equidem fundum meum ad antiquorum diligẽtiam magis quàm ad luxuriam direxi. Quare prius illorum sententias explicabo, pòst nostra accommodabo. Principiò agrorum & soli Italici gradus Cato nouem facit: Vineæ primũ tribuens, quæ bonum & multum vinum profert, proximum horto irriguo, tertium salicto, sequentem oliueto, quintum, vbi pratum, sextum, vbi campus frumentarius, septimum deinde syluæ cæduæ attribuit, octauum gradũ, vbi arbustum, postremum glandiferæ syluæ. Quanquam verò hos gradus non omnes probent.

Agricolæ candor.

Agrorum gradus.

bent, vt Varro teſtatur, & his regionibus non omnium ſit vſus, ſed præcipuũ ducimus hortenſem atque frumentarium, & qui piſcinis vtilis: de frumentario prius: de paſcuis, pratis, ſyluis & ſalictis pòſt ſuo loco diſſeretur. RIGO. Huius igitur ingenium & rationem explicare ne graueris, & vnde bonum agrum agnoſcere detur. CONO. Cato agrum optimum iudicat, ad radicem montis planitie ad meridiem excurrente, qualis eſt totus Italiæ ſitus: In frigidis & ſeptentrionalibus regionibus conuenit oppoſitum agrũ orienti & meridianæ plagę, ita ne alicuius magni mõtis obiectum his duabus cœli regionibus excluſis algore rigeſcat. In calidis pars potius ſeptentrionis optanda, quæ & vtilitati & voluptati & ſaluti pari bonitate reſpondeat. RIGO. Aiunt terrę cuiuſq; ingenium indagare neceſſarium. CONO. Rectè quidem: Citius enim terræ quàm hominis ingenium agnoſces. Nam illa culta non mentietur, ſed facilem ſe omnibus præbet. In aliena terra cognoſcẽda Iſchomachus Xenophonticus præcipit, vt fructus & arbores

De agro frumentario.

illius terræ contempleris, neque colere contra cœli naturam contendas, nisi prorsus operas ludere, & θεομαχεῖν velis.

De terræ bonitate cognoscenda.

Varro contendit, terram discernendam, si in ea sit lapis, marmor, arena, sabulum, rubrica, creta, argilla, glarea, carbunculus, hoc est, quæ sole feruet, eam radices satorum cõburere. Item, si vliginosa aliisque accidentibus obnoxia. Atque hæc rursum pro regionis natura aut bona est aut mala: locis quibusdam lapidosa, infrugifera est, præsertim frugum & plantarum. Alicubi vicissim agris lætificandis vtuntur lapidibus ac tosis, vt in Arduennæ finibus quibusdam videre licet. Theophrastus narrat, Corinthios lapides è Syracusano agro legisse, agrumq; deteriorem reddidisse, cùm exemptis lapidibus in calida regione non haberet, quo se protegeret. Alibi in montosis petricosisq; locis auena feliciter prouenit. Ad eundem modum oportet in reliquis terræ speciebus simul & regionis & eorum, quæ seruantur, rationem habere. Nam & sabulum aliquot locis, tanquam terræ adeps, fœcundandæ terræ inspergitur fimi instar,

ſtar, & alicubi quædam melius ſabulo proueniunt. In Africa putres arenæ fœcunditate robuſtiſſimum ſolum vincunt, Columella teſtante. Refert quoque ſabulum album aut rubicundum aut luteum ſit. Adde terrarum ſpecies nonnullas fallere colore & qualitate. In quibuſdam regionibus nigra, quam pullam vocãt, laudabilis, in aliis pinguis rubrica melius reſpondet. Britanniæ cretoſa terra lætas facit ſegetes, & paſcua optima. Alibi denſa & glutinoſa exuberat: atque in his ipſis cognoſcere oportet, quid recuſet collis, quid campeſtris poſitio, quid cultus, quid ſylueſter ager: quid humidus & graminoſus, quid ſiccus, quid ſpurcus. Et in plantis, quæ vitibus, quę aliis arboribus, quæ ſiccis, quæ humidis gaudeant. Virgilius putre ſolum commẽdat, nimirum pingue, quodq; facile reſoluatur. Id enim & labore & impenſa minima colitur. Proximum pinguiter dẽſum, quod impenſam coloni & laborem magno fœtu compenſat. Nullum deterius ſicco pariter & denſo ac macro. Id enim & difficulter tractatur, & tractatum ma-

gno labori non refert gratiam, nec denique relictum, pascuis vel pratis abundè sufficit; quare huiusmodi solum fugiendum. Deprehenditur & notis certis terræ conditio. Nempe aqua exigua conspersa gleba si manu subigatur, & glutinosa è leuissimo tactu pressa inhæreſcat, ac picis in morem ad digitos lenteſcat habendo, vt canit Poëta, eademq; illisa humo non dissipetur, quæ res admonet ei naturalem inesse pinguedinem. Adhæc terram frumentis habilem licet cognoscere, si frequens iuncus, si carduus, trifolium, ebulus, rubus, prunus, & alia quædam, quæ non nisi pingui dulciq; solo, proueniunt: Vti vicissim macram & amaram declarant atræ & degeneres herbæ, frigidum solũ, retorridè natæ, vliginosum tristes, rubricam oculi, argillosam, quæ operi difficillima, quæq; rastra & vomeres ingenti onere grauet. Item soli commendatio habetur, si frequentes alites cordui & cornices vomerem comitentur aratoris vestigia radentes. Cognoscitur & odore terræ bonitas, cum sub occasu solis, in quo arcus cœlestis deiecerit capita, &

Notæ terræ bonæ.

pita, & cum de ſiccitate maduerit imbre, ſuauem emittit halitum è ſole conceptum. Sapore quidem, ſi glebam fictili vaſe dulci aqua madefactam ſaporis indicio explores: qualis ſapor, talis terra erit, ſi dulcis, pinguis, ſi amara, macra. Salſam autem fugiendam etiam in ſterquiliniis. Meminiſſe quoque oportet, terram ſæpe mutari, & è fœcunda fieri ſterilem; Id quod in Theſſalia olim factum tradit Plinius, & noſtra ætate pleriſque locis noſtrę regionis compertum. Accedit, eandem terram, quantumuis pinguem, nõ omnia ferre, quod prudenter admonuit Poëta:

Terram mutari.

Non omnis fert omnia tellus.

Adde, cœli rationem plurimum conferre ſolo, neque cœlum neque aërem vbique eiuſdem temperaturæ. Quare prudentis eſt patrisfamilias, ingenium & poſitionem agri ſui ſubinde contemplari, omniq; tempore anni, ſiue in herbis, ſiue in frugibus, naturam agri cognoſcere. Conſiderandum igitur, quid quoque loco ſerere expediat; alia enim ad frumentum, alia ad vites, alia oleo accommodata, alia fœno & pabulo. Ne-

Cœli ratio in tẽperatura terræ.

Quid cuĩque terræ cõueniat.

que in pingui terra ſeruntur omnia rectè, neque in macra nihil. Rectius in tenuiore terra ſeruntur, quæ non multo indigent ſucco, vt cythiſus, ſporia, cicer, præter legumina, quæ velluntur, & non ſubſecantur. Pingui rectius ſeruntur, quę ſucci ſunt maioris, vt holus, triticum, ſiligo, hordeum, linum. Quædam etiam in annum ſequentem proſpiciunt, quod relicta terram reddunt meliorem, vt lupinum pro ſtercore inarari ſolet. Diſcernenda quoque, quæ fructuoſa, ab iis, quæ ad voluptatem cõſeruntur, vt pomaria, floralia. Item quę ad victum & delectationem, neque ab agri vtilitate diſiuncta. Eligendus locus, ſalicto, & arundineto, quæ humidum requirunt. Contra, vbi ſegetes frumentarias, & legumina, & quæ ſiccis gaudent: Vmbroſis aſparagos & ſimiles: Alia, vbi vimina, ſyluam cæduam, glandiferam & ſementariam. Sunt etiam, quantumuis macra & ſabuloſa, vſibus quibuſdam idonea, nempe vt betulam aut ſimile plantes: Item humidis, alnos, iuncos, ſpartum & his confinia. RIGO. Haud dubiè cœli temperatura plurimum

Terra quæ quibuſq; cõueniat.

mum ad fertilitatem facit. Nam ipſe ſæpe obſeruaui, eiuſdem qualitatis ſolum aliis regionibus lætius, & alio cœlo alia producere. CONO. In Venefrano ſolum glareoſum oleis aptiſſimum, in Betica pinguiſſimum. Cum aliis locis vites in ſaxis non ita fœcundæ, ad Rhenum in præruptis petris vineæ reperiuntur lætiſſimæ. Plinius teſtatur, alibi in paludibus vites quoque naſci; tanta eſt naturæ ſecreta vis. In Chalcia Rhodiorum traduntlocum quendam tam fœcundum, vt ſuo tempore ſatum demetant hordeum, ſublatumque protinus ſerant, & cum aliis frugibus metant. Albanis vltro fert tellus ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα: Semelque ſata bifera triferaque efficiuntur. Homerus Phrygiam vocat ἐριπελόεσσαν, & Dulichium atque Argos πολύπυρον. Herodotus ſcribit Babyloniam adeò fertilem frumenti, vt ducenta atque etiam trecenta reddat: Plinius quinquageſimo fœnore tradit meſſes reddere, diligentioribus agricolis centeſimo. Ad Aetnam centuplam ſegetem etiamnum reddi à fide dignis viris relatum. Italia adeò fœcunda, vt

Fertilitas quarundē regionū.

Iliad. β. & ι.

Italia pe. marium dictum.

eam Varro appellet pomarium, quòd sic sit consita vbique, & fertilis, vt far Campanis, Apuliæ falernum, Venafro oleum felicius proueniat. RIGO. Audio & Germaniam & Galliam olim non ita fertiles, vineis prorsus caruisse, iam nulli regioni cedere, nihil nõ vtensile producentes. Quæ vina hodie omnium regionum commendabiliora Rheticis, & Rhenensibus? vt frumentarios agros auri, argenti, ferri atque plumbi mineras taceam. CONO. Et nostris regionibus restibiles segetes non raræ. Rapaceum, si semel seratur, sæpe duobus sequentibus annis, citra culturam & sementem renascitur. RIGO. In Hyperboreis tantam esse fœcunditatem proditur, vt matutino serant, meridie metant. In Africa riguo solo palmæ subditur olea, huic ficus, fico punica, illi vitis, sub vite frumentum seritur, mox legumen, omnia eodem anno, omniaq; aliena vmbra aluntur. CONO. Id est, quod dixi, terram pro cœli regione atq; temperatura naturam mutare. RIGO. Cæterum quia nõn omnibus solũ est tam fœcunda temperatura & pingui, quid si macrum

Germaniç fertilitas.

Hyperboreorũ terræ fœcunditas.

Africę fertilitas.

macrum & ſterile contingat, quale eſt in petricoſis & ſalebroſis ſabuloſiſque locis? num arte hoc ſolum corrigi & fœcundari poteſt? CONO. Maximè. Nulla enim eſt regio, quam benigniſſimus largitor bonorũ ſuo deſtituerit pane quotidiano, ſi modo laborem non recuſet. RIGO. Eam induſtriam audire aueo. CONO. Variis id modis fit, imprimis autem ſtercoratione, diligentiq́ue cultura, atque in eum vſum fimeta illa, quę paulo ante oſtendi, ſeruantur. RIGO. Cedò quod ſtercus agro lętificando optimum? CONO. Varro, atque hunc ſecutus Columella, tradunt ſtercoris tria prędipua genera: Primum, quod ex auibus, deinde hominum, tertium pecudum. Auium primum habetur, quod è columbariis egeſtum, deinde gallinaceum, & quod cæteræ aues edunt: exceptis anſerino & anatum; nam id noxium eſt. Maiores auiaria habuerunt tam ampla, quæ agris ſtercorandis ſufficere poterant. Deinde quod homines faciunt, ſi & aliis villæ excrementis miſceatur; Quoniam per ſe naturæ feruẽtioris terram perurit. Hominis vrina

De ſtercoratione.

Stercorũ genera.

Vrinæ vſus.

ſex menſium inueterata ſurculis & pomariis, vitibuſq; adhibita fructus exuberare facit, ſimul & ſaporem commẽdat fructuum. Tertium locum obtinet pecudum, in quo aſininum optimum, quòd id animal lentiſſimè mandit, & ideo bene confectum, ad ſimum redditur vtilius: Poſt hoc ouillum. Inde caprinum, mox bubulum & iumentorum: Deterrimum, ſuum, ſatis nocens, ab hortenſibus alicubi inopia ſimi vſurpatur, ſed gignit inutiles herbas; Plinius tamen probare videtur ſuum ſpurcitias. Equinum quoque, vbi hordeo paſcuntur equi, multum herbarum facit. Inprimis laudatur lupini ſeges, priuſquam ſiliquetur, aratro vel bidentibus verſa, manipulis circa radices arborum vel vitium obrutis. Vbi non eſt pecus, culmo ipſo & filice ſtercorant quidam: Item ſtramentis lupini ac frondium, quum foſſa depreſſa ſtercori reponendo fit, hucque congerere licet cinerem cœnúmque cloacarum, & culmos cęteráque, quæ euerruntur, in vnum conie-

conuenit. Item è ſegete euellitur cicuta, ebulus: & circa ſalicta herbam auctam euulſámque, & filicem cæteráſque frondes putridas ſubſternere ouibus licet. Qui in ſabuloſis & myricinis locis habitant, coria terræ vel myricæ ceſpites in aceruos congerunt, ac fimo ſtercoréque conſperſos inueteraſcere ſinunt, atque ſic maceratos putrefactóſque ceſpites humo macilentæ inſpergunt, maximè verò iis locis, quibus ouium greges aluntur, plerumque ouilibus ingerunt ceſpites, falce ac dolabra è corio terræ abraſos. Parum diligentes exiſtimat agricolas Columella, vbi minores pecudes ſingulæ tricenis diebus minus quàm ſingulas, maiores minus quàm denas vehes ſtercoris efficiant: Quibus accedit colluuies & cœnum chortis. Porrò illud obſeruandum, ſtercus, quod anno quieuerit, eſſe vtiliſſimum ſegetibus, nam & vires adhuc ſolidas habet, & minus herbarum creat. Pratis tamen recentiſſimum iniici conueniet, quod plus herbarum gignet: Idq; menſe Februario, Luna creſcente, fieri debet; nam ea res fœni fructum

Acerui coriorũ terræ ſimo maceratorum.

Stercus vetus ſegetibus vtiliſſimum.

Recẽs ſtercus pratis conuenit,

fructum promouere traditur. In ſtercorandis agris obſeruandũ, vt colli plus quàm valli ingeras ſimi, quòd pluuiæ pinguiorem materiam ad ima deferant. Qui autem arua præparare volet, ſi autumno ſementem facere inſtituit, menſe Septembri inaret. Si Vere, qualibet hyemis parte aceruos diſponat. Quocunque tempore fiat, curandum, vt ab occaſu æquinoctiali flante vento fiat, Luna decreſcente. Mirè enim augeri vbertatem tali obſeruatione. Non negligendum quoque, vt ſtercus vel fimum exareſcere ſinamus, antequam inaretur, & humo condatur; etſi Columella contrarium præcipiat; noſtræ tamen obſeruationes negant illi aſſentiendum. Nam humidum ſimum agro nocere magis quàm conducere, experientia docet. Et ſicut refrigeſcere agrũ, qui non ſtercoretur, ita peruri, ſi nimis & ſingulis annis ſtercoretur. Aquoſus ager maiorem, ſiccus minorem copiam deſiderat. RIGO. Vidiſſe me aliquoties memini, vbi terra è vicino ſolo effoſſa agris inſpergebatur: terra igitur terram ſtercorari arbitror. CONO. Germani præter

Ventorũ & Lunæ ratio in ſtercore.

Humidũ ſimũ nocere agro.

præteralias lætificandi ſoli rationes varias, ſpiſſiorem terræ quandam pinguedinem, veluti medullam, agris inſpergunt fimi loco. Plinius tradit Britanniæ ac Galliæ inuentum, Margam appellatum, quaſi terræ adipem, Sed potius Germanorum exiſtimo, apud quos etiamnum & nomen & lætificandi ratio eadem vſurpatur. Petitur foueis in profundum actis; Intereſt tamen, quali ſolo quæratur. Galliæ pars ad Moſam margã præbet fabuloſam, & diuerſam à Germanorum illa marga, quę terra eſt pinguior, eiuſdem tamẽ facultatis, quæ nauibus onerariis peregre tranſportata, magno venditur. Alicubi & limus è ſtagnis & fluuiis egeſtus mirè humum lætificat. Quibuſdam locis montoſis & macilentioribus agris calce vberrimos faciunt agros: Quod Plinius de Heduis & Pictonibus tradit: at in Germania, noſtra ætate, hæc lætificandi agri ratio non eſt rara. Verùm vbi ſemel exhauſtum ſolũ ea lætificatione, prorſus redditur ſterile. Vnde vulgo dici ſolet, eam rationem ſtercorandi calce, opulentos parẽtes, & liberos reddere inopes. Paulò altius

Marga. Mergel.

Calcis vſus ad ſtercorandum agrum.

lò altius non procul à Mosain Eburonibus, fissilibus petris agrum stercorant, quæ insperſæ solo dissoluuntur, terramque pinguiorem reddere creduntur.

lib. 3. c. 25. de caus. plant. Theophrast. scribit Corinthios lapides ex agro legisse agrumque deteriorem reddidisse, cum in calida regione exẽptis lapidibus non haberet quo se protegeret. Transpadanis cineris vsus adeò placet, vt fimo anteponant, & stercorationem propter insalubritatem vitandam putant. Columella suum patruum tradit sabulosis cretam ingerere consueuisse, & cretosis ac nimium densis, sabulum, atque ita lætas excitasse segetes. Ad eum modum ripensibus exundationem & limum densiorem spissis agris conuenire arbitror, si vel sabulo vel aliis temperamentis macerentur.

Cineris stercoratio.

RIGO. Varia audiuimus stercorandi genera: iam aueo cognoscere arandi colendiq; soli & seminum mittendorum rationem.

CONO. In arando præparandoque ad semina mittenda solo plurimum situm. Catonis oraculo proditum, primum esse terram bene colere; secundum bene arare, tertium bene

De arandi ratione.

sterco-

ſtercorare. Arandi autem proſcindendiq́ue ſoli varij modi, pro cuiuſque ſoli natura,& regionis more. Aratro & vomere plerunque omnes ampliores agri vtuntur,breuiores etiam foſſione. Aratra varia ſunt pro regionum varietate, quædam ſimplicia,quædam plana,quędam aurita. Partes habet ſtiuam, furcam,burim, cultrum,vomerem,& eius ſummitatem nympham appellatam,temonem,alam,rotas,adde rullam. Culter vocatur, prædenſam terram ſecans, futuris ſulcis veſtigia præſcribens, quas reſupinus in arando mordeat vomer. Vbi ſolum facile, dentali exigua cuſpide humum vertunt.In Liuonia ſola furca pro aratro vtuntur.In Syria ſolum altè præciſum penitus, reſecatur, & ideo aratris eam puſillis vti, Theophraſtus ſcribit. Rotas Plinius ſcribit Gallos addidiſſe, & appellari Plugrat, vocabulo Germanico, quod corruptè legitur planarati. Nonnullis locis, vbi humus ſolidior, ala ad dextram vomeris partē additur, quæ ceſpites proſciſſos verſat: hæc ala eſt amouibilis, vt reuerſo aratro in alteram partem transferri poſſit, ſi

Aratra & eorū partes.

Plinij locus lib. 18. c. 18. Pflugrad.

Ala Arātri.

Rulla. sit, si libeat. Rulla stimulo cuspidato vomerem detergit aratro. In opere iumẽta coniuncta habenda, quo speciosius ingrediantur sublimes, & elatis capitibus, ac minus colla eorum labefactentur, iugumq; melius aptum ceruicibus insidat. Hoc enim iuncturæ genus quibusdam magis probatum, quàm quod cornibus illigetur iugum: Siquidẽ plus queunt pecudes collo & pectore, quàm cornibus, atque hoc modo tota mole totoq; corporis pondere vtuntur; At illo, retractis & resupinatis capitibus excruciantur, atque ægrè terræ summam partem sauciant. Equis, vbi horum vsus, commodius aratrum agitur, & paucis melius, quàm pluribus. Nam, pluribus equis coniunctis, aratro præcipitanter terram proscindere, & latos sulcos facere, non probatur. Vnde videmus, terram arari optimè in Menapiis & Vbiis, vbi binis ferè equis aratur, & lento gradu procedentibus. In Italia & Gallia aliisque locis bobus sulci ducuntur, profundiores potius quàm latiores. Vbi terra spissior, vomere vtendum grauiore, eaq; altius premenda

Iumentorum iungendorum in arando ratio.

Sulcorum ducendorum ratio.

nam

nam ſi coria terræ lata vertantur, ea integra manent, neque herbas necant, neque occatione ſarriri humus ſatis queat. Sulcum non ducendum longiorem pedum centum viginti; nam id contrarium pecori, Columella cenſet, quòd iumenta plus æquo fatigentur. Quod tamen pluribus locis, vbi latiſſimi campi, non obſeruatur, vt in agro Iuliacenſi longiſſimi plerunque protrahuntur ſulci, vbi camporum ſpatia permittunt. Non arandum cœlo pluuio, & humo madida, neque cum poſt longas ſiccitates leuis pluuia ſuperiorem partem glebarum madefecit, inferiorem non attigit. Si limoſa verſantur, toto anno deſinunt poſſe tractari. Medio igitur modo aranda terra, vt neque ſucco careat, neque abundet vligine. Quippe nimius humor lutoſos facit, & quæ ſiccitatibus aruerunt, expediri probè non poſſunt. Nam vel reſpuitur duritiâ ſoli dens aratri, vel ſi qua parte penetrauit, non minutè diffindit humum, ſed vaſtos ceſpites conuellit, quibus obiacentibus impeditum aruũ minus rectè poteſt iterari. Humus au-

Pluuio cœlo non arandum.

Terra inferior ieiunior.

tem, quamuis lætissima, tamen inferiorem partem ieiuniorem habet, eamq; attrahunt excitatæ glebæ maiores: quo euenit, vt infœcundior materia mixta pinguiori, segetem nimis vberem reddat. Siccitatibus, quod iam proscissum, iterare operæprecium, pluuiamq; operiri, quę madefacta terra faciliorem culturam præbeat. Vbi solum pingue, ac diutius aquam continet, proscindendum anni tempore iam incalescente, cum omnes herbas ediderit, atque adhuc earum semina maturuerint, tanquam densis frequentibusq; sulcis arandum, vt vix dignoscatur, in vtram partem vomer actus sit: quoniam sic omnes radices herbarum præruptè necantur. Sed & compluribus iterationibus veruactum sic resoluatur in puluerem, vt vel nullam vel exiguam desideret occationem, cum seminauerimus. Nam veteres Romani, vt Columella testatur, dixerunt malè subactum agrum, qui satis frugibus occandus sit; eũ porrò, an rectè aratus sit, explorandum ab agricola: Neque id visu solùm, qui falli possit, superfusa terra latentibus scamnis, sed

nis, sed tactu quoque, qui minus decipitur; cum pertica admota sulcis inseritur; ea si æqualiter penetrat, solum esse totum motum, sin autem obsistat subeunti, crudum veruactum esse demonstrat. Si mons arandus, is transuersus sulcabitur: nam hac ratione difficultas accliuitatis confringitur, laborque iumentorum & hominum minuitur. Nõ tamen semper eodem vestigio molliendæ terra, sed iterando, modò in elatiora, modò in depressiora cliui, obliquum agi sulcum oportet. Porrò quod ad tempora pertinet, arandum maximè Vere, id quod Poëta quoque rectè docet,

Veruactũ crudum quomodo deprehẽditur.

Mõs quomodo aretur.

Tempora arandi.

Vere nouo gelidus canis cũ montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resoluit,
Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & sulco attritus splẽdescere vomer.

Virgil. Georg. 1.

nam per æstatem terra durior & intractabilis, hyeme limo obducta est. Vere autem resoluta humus facilem se præbet, & herba maximè vertitur, quæ & terram fimi loco lętificat, & ante exclusum semẽ euersa pullulare prohibetur. Quare hisce locis circa medium Mar-

tij aratra educere solemus. Sabuloso tamen & exili solo aratur etiam media hyeme, si per tempestatem licet. Plinio etiam graue solum tum moueri placet. Ager exilis & planus, aquis abundans, aretur primùm vltima parte Augusti, & Septembri iteretur, pareturq; sementi circa æquinoctium. Graciles cliui non sunt æstate arandi, sed circa Kalend. Septembris; quia si ante proscindatur effœta, & sine succo humus, æstiuo sole peruritur, nullasque virium reliquias retinet. Vliginosos campos proscindi debere post Idus Aprilis, quidam volunt, quo tempore cum arati fuerint, diebus interpositis circa solstitium itemratos esse oportet, ac deinde circa Kalendas Septembris tertiatos ex Columellæ sententia. Circa tempus ab æstiuo solstitio, conuenit inter peritos Rei Rusticæ, non esse arandum, nisi magnis cogentibus imbribus. Nam sic nihil prohibet etiam Iulio arare. Interim cauendum ne lutosum solum aretur, vt supra diximus. RIGO. Etiamne noctu arare licet? CONO. Maximè: per æstatem locis calidioribus à vespera exordio

Noctu arare.

dio facto per totam noctem ad solis exortum, quò humiditas & pinguetudo obumbrata sub gleba permaneat, & ne iumenta solis ardore lædantur, atque ægrotent. Quoties autem ager ad seminandum arandus sit, id partim terræ habitus, partim seminum diuersitas docet, vt in singulis mox dicetur. Nam terram sabulosam & leuem non opus toties iterare quàm spissam. Id tamen est obseruatum, quò sæpius iteretur, hoc lætius producere, adeò vt quibusdam seminibus mittendis terram non solum iterare, & tertiare oporteat, sed etiam quartare; vt fœcundissimis Italiæ & Vbiorum Germaniæ regionibus cõpertum. In Misnia & Pannonia tantum duas habent arationes; Spissius solum, sicut plerunque, in Italia quinto sulco seritur melius, in Tuscis verò nono. Ita quæque regio suum habet hac in re, sicut & in aliis, pro soli ratione morem.

Quoties arãda terra ad sementem.

RIGO. Sed an non quotannis citra intermissionem eundem agrum arare & conserere oportet? CONO. Reperiuntur quidam, quos quotannis liceat conserere, velut in Italia, Pannonia, & hisce

ripenſibus aliquot agris, vel alluuione vel naturali fœcunditate lætis. In aliis oraculum illud ruſticum obſeruãdum,

Segetem ne defruges.

Segetem ne defruges, hoc eſt, ne nimia fœtura exinanias. Vergilius alternis ceſſare arua ſuadet, & hoc, ſi patiantur ruris ſpatia, vtiliſſimum proculdubio. Hinc qui quotannis reſeritur, reſtibilis ager veteribus dictus. Communiterautem etiam lætum alioqui ſolum intermiſſionem poſtulat tertio quartóue, aut ad ſummum quinto anno. Varro

Reſtibilia quotãnis.

tradit in Olynthia quotannis reſtibilia eſſe, ſed ita vt tertio quoque anno vberiores fructus ferant. Oportet enim aut relinqui alternis annis pro ſoli natura, aut leuioribus ſationibus conſerere, hoc eſt, quæ minus ſugunt & emacient terram, qualia ſunt lupinum, & alia, vt inferius dicetur. Multum quoque intereſt, nouale ares ſolum, an reſtibile & veruactum. Noualis enim ager, ſi ſit ſolum graue, pingue vel paſcuum, & ad ſeminarium præparetur primùm, id ſe mel vertere ſufficiet, & mox conſerere atque inde occare atque ſarrire. Sin autem leue & ſabuloſum nouale, tertiar

id opo

id oportet prima maximè aratione. RIGO. Audio varia huius disciplinæ vocabula, ea mihi cuperem explices paucis ante quàm progrediaris. CONO. Habet quidem hæc disciplina, sicut aliæ artes, suas peculiares voces, & quia etiam ab eruditioribus in his aliquoties erratur, ne ignotis vocibus obscuretur nostra narratio, agri eiusque colendi vocabula breuiter per digressionem perstringam, suspenso interim reliquo dicendorum ordine. RIGO. Id percuperem. CONO. Vt igitur ab ipso agro ordiar, Agrum nos in nostra disputatione intelligimus non pro territorio, diœcesi, aut comitatu, & vt in formulis veterũ Iurisconsultorum, in quibus latiorem, quàm fundi, significationem habere videtur. Sed, vt Iabolenus & Florentinus, pro rure, quod colitur & aratur, atque pro eo etiam, qui nõ aratur ager, sed pascuus sit, vt pars sit fundi. Ager aruus seu aruum ager, qui aratur & frumentis seritur. Varro tamen maluit aratum, & non satũ sic appellare. Ager alius cultus, alius consitus, alius pascuus. Ager restibilis, qui restituitur, ac

Voces agro colendo vsurpatæ.

Agri vocabulum.

Ager aruus Aruum.

Restibilis ager.

reſeritur quotannis παλιμφυής, quòd eius fœcunditas in annum ſequentem reſtet, & ſeges quotannis renaſcatur.

Noualis. Noualis ager à Varrone vocatur, vbi ſatum fuit ante quàm ſecunda aratione renouetur. Plinio alternis ſeritur annis. Iuriſconſultis appellatur terra proſciſſa, quæ anno intermittitur. Nos communem loquendi vſum ſecuti, (Nam loquendum vt multi, ſentiendum vt pauci) Nouale appellamus, agrum iam primum arari cœptum, & ante incultũ: Vnde noualium decimæ ortæ. Etſi non ignoro eſſe eruditos, qui nouale vocẽt, cum poſt meſſem ager tonſus quieſcit.

Veruactũ. Veruactum Varroni eſt ſolum, quod verno tempore actum, & quod interdum requieuit. Sæpe autem hoc nouale eſt, & ager, qui anno ceſſauit, ac primo vere proſciſſus. Sic enim inquit Varro, Multum intereſt in rudi terra, an in eam ſeras, quæ quotannis obſita, & vocatur reſtibilis, an in veruacto, quę interdum requierit. Adde Columellæ & Plinio vſurpari non rarò veruactum pro nouali, verno tempore proſciſſo, nempe à temporis argumento, vnde

νξὸς, νεομένη, νέατος, νεατὴ, nunc noualis, nunc veruacti nomine transferri ſolet, & νεᾶν, noualem vel veruactum facere. Dicitur autem ager vel ſolum, arari, & proſcindi aratro, quãdo vertitur: πολεῖν, Proſcindi. Heſiodus ait, ἔτιαρ μ πολεῖν, θέρεος δὲ νεομένη οὐ σὲ ἀπατήσει. Proſcinditur autem, cum primùm aratur, grandioribus glebis relictis. Cum autem ſecundò aratur, Offringere agrum dicitur, ſicut Iterare, Offringere. Iterare. iterum arare, Δὶς πολεῖν. Tertiare, tertiò arare, & ager iteratus & tertiatus, frequentia Columellæ & Plinio vocabula. Tertiare. Nouare eſt agrum ante ſementem bene cultum tranſmutare atque arare, vt interim fermentetur, & ſub ſementem iteretur. Nouare. Occare eſt comminuere, ne ſit gleba, inquit Varro. Occa, inſtrumentum inſtar cratis, ad glebas comminuendas & ſemina operienda. Dicimus & Cratire terram eodem ſignificato. Occare. Cratire. Atrare, quando ſata inarantur, cum & nata ſunt & excreſcunt. Plinius inquit aruo atrare, quaſi aratrare. Atrare. Sarrire, eſt ſarculo purgare. Sarrire. Runcare & auerruncare, ex agro noxias herbas euellere; dicitur & deruncare: Exherbare Runcare.

Paſtinare. Columellæ. Paſtinare & repaſtinare,
Paſtinum. perfodere, vitibus conuenit. Paſtinum,
inſtrumentum bifurcum plantandis
Lirare. malleolis aptum. Lirare agrum & occa-
re idem fere, cum ſic aramus, vt inter
duos latius diſtantes ſulcos medius cu-
mulus ſiccam ſedẽ frumentis præbeat,
ſicut in hortis areola. Atque hinc voca-
Lira. Porca. tur Lira ſpacium illud, ruſtici Porcas
vocant, nempe terram inter duos ſul-
cos elatam, ſic dictam, quod ea ſeges
frumentum porrigat vel porriciat, id
eſt, prohibeat aquam frumentis. Et Li-
Scamnũ. ra hortenſis, quę in hortis areola. Scam-
num eſt terra cruda, quæ aratro non-
dum proſciſſa eſt, teſte Columella. Pli-
nius ſcamna inquit, inter duos ſulcos
cruda ne relinquantur, glebæ ne exul-
tent; Intelligens glebam grandem, quæ
Scãnatus ager. prima aratione execari ſolet. Scamna-
tus ager à Vibio Vrbico vocatur, qui ab
occidente in orientem creſcit in longi-
tudinem. Qui ſi longior eſſet quàm
latior, & à Septentrione ad meridiem
Strigatus ager. pertinet, ſtrigatus dicitur. Terra au-
Terrę epitheta. tem ipſa alias cruda dicitur, quæ non
ſubacta, quæque neceſſe habet, vt ca-
lore

lore ſolis & hyemali frigore excoquatur, & verno tempore eſt proſcinenda. Item fœcunda, fertilis, fructifera, Contra quæ maligna, hoc eſt, fructum non facit, macra, exilis, aut ſalſuginoſa, ἀλμοδέστερα. Item ſalſa, amara, vliginoſa, quæ ſemper humida, & ex qua humor non recedit. Humida verò, quæ aliquando exiccatur, & in qua non eſt vligo. Carbunculata, quæ ſole peruſta, Carioſa in qua putilago, vt in arboribus carioſis. Dicitur & læta terra, dulcis, nigra, putris, reſoluta, quæ bonitatis indicia ſunt. Sed de his iã arbitror ſatis. RIGO. Vt in perpetua narratione te continẽ, Reuertere obſecro eò, vnde digreſſus es. CONO. Proſciſſo agro ſi noualis ſit, vt diximus, ante non proſciſſus, hic mox conſeri poterit & occari, & ſi opus, ſarriri. Reſtibilis autem & qui quieuit ager, nouandus iterandusque, atque etiam tertiandus, pro ratione ſoli ac ſeminis iniiciendi. RIGO. Quoniam docuiſti quo pacto terra ad ſemẽtem præparetur, reſtat de ſeminum generibus & qua arte quæque ſolo concredenda ſubiicias. CONO. Id ſcilicet ſupereſt. Semina

Ager qui vna aratione conſeri poſſit & q; iterandus.

De seminibus & eorum diuersitate.

mina, quæ è frugibus gignuntur, sunt legumina & frumenta. Iam enim appellamus fruges, quę è segetibus gignũtur, Græcis λητία & ὡραῖα, quòd suo tempore, & cum pulchra sint & vegeta, colligantur. Iulianus Iurisconsultus fruges esse censuit, quibus homo vescatur, & rectè. Veteres tamen latius interpretantur, vt sint quidquid ex fructu terræ in alimentum venit, vnde arbor, & terra frugifera dicitur. Plinius duplex tradit frugum genus, frumentum, quod aristam habet, atque ea continetur, vt Gallus Iurisconsultus definit: alterum, quod siliquam, vt legumina. Prioris generis sunt triticũ, siligo vel secale, hordeum, Zea, auena, triticum faginum, vel si malis Græcè, φηγόπυρος, oriza, far. Etsi frumenta non eadem vbique, neq; vbi eadem sunt, iisdem nominibus appellantur. Alicubi far non est, maximè vbi Zea frequens, alij auena & phagopyro non vtuntur. Inter legumina censentur faba, pisum, lens, cicer, vicia, eruum, milium, panicum, phaselus, lupinum, sesamum. Etsi vero semina varij sint generis, & sua quæque regio peculiaria

Fruges & frugũ genera.

Legumina.

Semina quæ eligẽda.

liaria habeat, & pro natura regionum ac ſoli ſerantur: In vniuerſum tamen hoc præcipitur, vt ſeminanda non ſint vetuſta & exucca, ſed recentia. Semen vetus interdum naturam commutare proditur. nam ex ſemine braſſicæ ſatæ aiunt naſci rapa, & contra ex raporum ſemine braſſicam. Primi anni ſemina optima, bima deteriora, trima peſſima: vltra, ſterilia. Adde ea eſſe optima, quæ grauiſſima, & quæ in imo areæ ſubſiderint: Item, quæ ſolida, & ſi frangantur, bonum habeant colorem: Rugoſa autem & quæ per interualla in ipſa ſpica diſſita ſunt, reiicienda. Eſt & alia obſeruatio neceſſaria. Si aliunde petantur, & è deterioribus locis in meliora transferantur ſerẽdo, & non contra: Sicut nec è frigidis locis in calida, nec è præcocibus in ſerotina: Videndumq; ne ab auibus aut muribus & formicis ſint arroſa: Vtque præſtantiora proueniant, ſemperuiui herbæ ſucco rigata ſerito. Si veratrum frumento admixtum foris per ambitum ſeminaueris, ab auium iniuria vindicabis. Artis quoque, æqualiter æquaq; manu καὶ ὁμαλῶς ſerere, manúſque

Serendi ratio.

que congruere debet cum gradu, maximè cum dextro pede. Plena manu seritur triticũ, secale vel siligo, hordeum, auena, & alia quædam, inprimis quæ siliquis teguntur, veluti milium atque panicum: at rapaceum non item, sed ternis tantum digitis. RIGO. Forte sicut cytharœdis exercitio opus, vt vsum artis manus suppeditet. CONO. Sic est. Et quemadmodum vino vehementiori plus aquæ indere oportet, quàm leni: Et robusto homini plus oneris imponitur, & quidam firmiori cibo aluntur, sic aliis agris plusculum, aliis minus seminis inspergendum. Neque certò definiri poterit catholicẽs, quantum iugero iniiciendum seminis, etiam si video veteres certas mensuras iugero tribuisse, & potuisse illis locis obseruari: Sed falli nos, si ea aliis regionibus accommodemus, atque omni agro eandem seminis mensuram tribuamus. Primum quòd terra alia plus seminis, alia minus postulat, vt solum grauius atque leuius fuerit. Nam grauior terra, velut Rhenanus ager in Batauis plusculum requirit, leuis humus minus, & prima sementis ra-

Seminum mensura nõ omni agro eadẽ.

tis rarius ſerere permittit, nouiſſima ſpiſſius, vt inquit Columella. Deinde quòd menſura iugeraque varient, neq; dum hoc tempore de his inter auctores conueniat. Iam verò quæ ſemina cuiq; ſolo congruant audi. RIGO. Id expecto. CONO. Poſt quietem aut ſtercorationem primum vel hordeum ſerendum vel triticum. Verùm triticum & ſi lætum ſolum deſideret, attamen ſi præpingui ſeratur, nimium luxuriare & procumbere ſolet; quare optimè, ſublato hordeo, piſo, phagopyro, triticum ei ſolo concreditur. Triticoq; ſublato, idem ſolum ſiligini ſerendæ præparatur, poſt ſiliginem rurſus hordeum, niſi ſolũ ſit emaciatum. In præpingui agro ſtatim à meſſe rapacei ſeminis phagopyrum ſerere licet, vna aratione facta, ita vt eodem anno biferus ſit ager. Ad eundem modum & rapum capitatum à meſſe ſiliginis eodem aruo ſecundam eiuſdem anni ſupplet meſſem. Piſa, vicia, lentes, fabæ atque legumina fere omnia pingui humo ſeri poſtulant, atq; his ſublatis idem ager reſtibili ſegete optimè triticum excipit, milium, panicum

Que ſemina cui ſolo conueniant.

nicum, rapam. Rapas negat Plinius nisi in stercorato solo serendas, at nos experientia didicimus, etiam in solo non ita pingui, sublata siligine, eodem anno rapas capitatas feliciter proueni-re. Agrum sabulosum tertio quoque anno quiescere biennio aut triennio oportet, vt deinde stercoratus siliginẽ recipiat aut phagopyrum, ac dein auenam. Agro nouali aut è pascuo proscisso, huic primum committitur auena locis fœcundis, idque vna aratione, atque inde restibili aruo rapaceũ semen, post hordeum, deinde triticum vel siligo, ac tandem auena, aut siligo, si sic soli ratio fert. Inde aut stercorandum aut quiescendum. Si tenera terra, sublato hordeo, milium quibusdam locis seritur, eoq; condito raphanus, his sublatis hordeum & triticum, qualis in Campania, taliſq; ager saris aratur, cùm seritur. Alibi vbi adoreum fuerit, cesset tribus mensibus hybernis & vernam fabam recipit. Nec minus pingue solum alternari potest: ita si frumento sublato legumen tertiò seratur, gracilior in annum tertium cessat. Frumentum quidam

dam ſeri vetant, niſi in ea, quæ proximũ annum quieuerit. Poſtquam autem ſemen iam ſolo rite arato atque iterato ac tertiato, & prout natura poſtulat præparato, miſſum fuerit, mox ſequitur occatio, quæ fit crate dentata ſupertracta, quibus glebæ comminuuntur & ſemina operiuntur. Alicubi tabula aratro adnexa trahitur, id vocant lirare, operientes ſemina. Nonnunquam ſarculatio neceſſaria, quæ induratam hiberno rigore ſoli triſtitiam laxat temporibus vernis, nouoſque ſoles admittit. Triticum, hordeum, fabam, bis ſarrire melius. Qui ſarrient, caueant ne frumenti radices ſuffodiant. Item volumulo vel cylindro ducto glebas maiores durioreſque confringant. Runcatio, cùm ſeges in articulo eſt, euulſis inutilibus herbis, frugum radicem vindicat, ſegetemque diſcernit à ceſpite. Porrò quod ad tempora pertinet, in hoc conuenit apud omnes, circa brumam ſerendum non eſſe. Quòd hyberna ſemina, cum ante brumam ſata ſint, aliqua ſeptimo die erumpant, ſi poſt brumam, vix quadrageſimo. Quidam

Occatio.

Lirare.

Sarculatio

Cylindri ductus.

Serendi tempus.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

vere potius, quàm autumno malè ſe-
rendum cenſent. Treuerico agro tradit
Plinius hyeme prægelida ſegetes captas
reſeuiſſe Martio menſe campos reſar-
rientes & vberrimam meſſem habuiſ-
ſe. Inter frugum autem ſemina quæ-
Hyberna ſemina. dam robuſta hyberna ſunt, quæ ſerun-
Vergiliarũ occaſu. tur, & calidis regionibus circa Vergilia-
rum occaſum, authore Vergilio, quod
Columella interpretatur altero & tri-
geſimo die poſt æquinoctium autum-
nale, hoc eſt, nono Calendis Nouem-
bris, & in Gallia & Germania, menſe
Septembri & initio Octobris, vt ſunt
rapacium, triticum, ſecale vel ſiligo,
hordeum hybernum, quæ per brumam
in herba aluntur, verno tempore faſti-
giantur in ſtipulam. Sunt qui ante ſeri
iubeant duntaxat in terra arida, calidiſ-
que prouinciis; Aliqui in frigidis ab
æquinoctio autumnali, in calidis ſerius,
ne ante hiemen luxurient, aut à lum-
bricis ac limacibus abſumantur. Non-
nulli properant, pronunciantes feſtina-
Serotinã meſſem ſemper decipere tam meſſem ſæpe, ſerotinam ſemper
decipere. Sationem locis humidis cele-
rius fieri, ratio eſt, ne ſemen imbre pu-
treſcat.

treſcat. Siccis ſerius, ne diu iacens atque non concipiens vaneſcat, itemque feſtinata ſatione denſius ſeri, quia tarde concipit, Serotina rarius, ne denſitate nimia necentur. Aeſtiua autem ſemina, quæ æſtate ante Vergiliarum exortum & vere ſerũtur, vt ſunt faba, piſum, & quæ ſiliquis continentur, item milium, panicum, ſeſamum, hordeum æſtiuum, linum, canabis, auena, triticum faginum, ſeu mauis Græcè phagopyros, Sporia, & id genus alia, vernæ ſunt ſationis. In Aſia & Græcia omnia Vergiliarum occaſu ſeri proditum. Iam verò etſi de tempore ſerendi & quantum cuique iugero iniiciendum, quorundam præcepta extent: Illi quidem pro ſua & regionis & ſoli conſuetudine iudicare potuerũt, vt diximus ante: Certè in vniuerſum hac de re definiri non queat, ſed ſui cuiuſque loci terræque vſus magiſter optimus. Et canon eſt antiquiſſimus agriculturæ, quo monemur, in locis frigidis nouiſſimè, tepidis celerius, calidis ocyſſimè ſerendum. Eratoſthenes tradit, Indiam æſtiuis imbribus madere, & eo tempore linum,

Aeſtiua ſemina.

De tẽpore & Quantum iugero iniiciẽdum certo definiri nequit.

Canon Agriculturæ.

ſeſamum, Orizam & milium ſeri: Hyberno autem tempore ſeri triticum, hordeum & legumina, & alias fruges eſculentas quarum nos ſumus ignari. Heſiodus qui Princeps de agricultura præcepit, tempus ſerendi, quo in Bœotia Helladis ſeri conſueuit; Vergilius, Cato, Varro, Columella, Plinius, Italiæ vſum ſerendi prę ſcribere poterant, quę ſi omnibus regionibus accommodare velis, nihil aliud feceris, quàm vnum idemq; operculum omnibus ollis adaptare. Cæterùm vt ad rem propius accedamus, cum diuerſæ naturæ ſemina, diuerſa requirant ſerendi tempora, tractandiq; modum, & ea in re ſuum quæque regio habeat vſum: Nos generalioremharum regionum conſuetudinem ſequuti, per ſpecies ſingula diſtinguentes, diſciplinam ſummariam ſerendarum frugum deſcribemus.

Heſiodus in Bœotia ſcripſit

Vergilius & alij de Agricultura in Italia.

Principio inter fruges victui neceſſarias merito primus locus tribuitur tritico (quod Græcè πυρὸς, Italicè *Grano*, Germanicè Weitz/ Gallice *Fromẽt*,) frumento humano generi cum primis neceſſario, & ob id nihil eo fertilius, quod ideò

Fruges victui neceſſariæ. Triticũ.

ideò naturæ à Deo tribuitur, quoniam hominem alat. Eius seminis nullum auidius, nec quod plus alimenti trahat: Mira quibusdam regionibus fertilitas. Augusto procurator eius misit ex vno grano 400. germina: Et testatur Plinius è modio centenos quinquagenos modios redditos in Bizantio Africano. RIGO. Sunt qui contendunt, triticum, quod vulgus sic vocat, & Germani Weitz/ Bataui Terve/ non esse verum triticum, sed siliginem, atque verum triticum, quod Itali grano appellant, tantùm gigni in Italiâ & Hispania. CONO. Imò in Italia & Sicilia hodie simile nostro figura, colore ac farina; licet illic grana quibusdam locis paulò maiora & pinguiora polline: quare seruari diu negatum, maxime in agro Romano, Spicas autem cũ his locis vel leues & muticas habeat, illic solum muticas aristis carentes. Muticas vocamus spicas sine aristis, quasi mutilas: Aristã autem, quæ velut acus est, & telum in tritici & hordei spica, quo frugem ordine structam contra auium morsus defendit, vt Cicero testatur. A Virgilio Arista pro fru-

Plin. lib. 18. cap. 10.

Spica.

Mutica.

Ariste.

mento quoque, vti pars pro toto, vſurpatur. Spica autem, quæ mutica non eſt, tria habet continẽtia, granum, glumam, ariſtam. Gluma folliculus eſt grani, eius apex ariſta eſt. Frit, quod in ſumma ſpica matura minus, quam granum. Vt ad triticum reuertar, non inficior eſſe, qui de tritico noſtro dubitent; adeò temporum iniuria obliuioni tradita pleraque, vt ne fruges, quibus quotidie veſcimur, ſuo certo nomine appellare liceat. Nos conſuetudinem loquendi magiſtram ſequimur. Veteres plura genera tritici tradiderunt, atque ex his maximè ſerendum, quod Robus dicitur pondere ac nitore præſtanti. Secundum genus ſiliginis, tritici deliciæ, cuius ſpecies in pane præcipua, põdere deficitur. Tertiũ trimeſtre, quod ſatum tertio menſe matureſcat, licet Columella neget trimeſtris proprium genus, cum Græcis trimenon antiquiſſimum ſit, atque id non niſi hyemalibus prouinciis: Apud Thracium ſinum etiam bimeſtre, plurimis tunicis veſtitum, ob nimia eius plagæ frigora. Quin etiam hiſce regionibus triticum & ſiligo in-

Gluma.

Frit.

Frugum quib' veſcimur nomina ignoramus.

Genera tritici.

Robus.

Siligo tritici dilitię.

go inter æstiua seruntur, sicut & rapaceũ: sed non ita vtiliter: hyberna enim præstant & consummatiora reddun-tur, vt Theophrastus docet, per hyemem terra nutrita. Inter omnia genera Italicum Plinius præstantissimum ait candore & pondere, quo maximè decernitur. Nos duorum generum vtimur tritico, hoc solùm discrepantium, quòd alterum spicam habeat muticam aristis carentem, alterum aristis asperiorem, & spica ipsa parum ab hyberno hordeo ac Zea differentem. Cætera communia habet vtrunque genus, Seritur mense Septembri, cœlo sereno, solo vt plurimum tertiato, ac bene sarrito aut occato, tametsi in solum, è quo succisum pisum, aut vitia, aut lens, aut Phagopyrus, optimè primo sulco seritur. In temperato solo Columella & Plinius quinque tradunt modios iugero iniiciendos tritici ac siliginis, etsi pro ratione mensura hæc moderanda, vt superius diximus. nos tritici minus quàm siliginis serimus, & siliginis minus quàm hordei & sic deinceps. Vtile maturiùs serere, si hyems gelida sequa-

Hyberna frumenta præstantiora.

Tritici satio.

tur, ſin tepidior, ſeriùs præſtat. Amat triticum loca plana, læta, aprica, atque ſicca. Vitanda vmbroſa herboſaq́;, & colles quoque, etiamſi Plinius teſtetur, robuſtius, ſed minus tritici reddi. Triticum ſatum exit radicibus multis, ac prætenuibus, folio vno, germinibus multis, ſed quæ in ramos brachiare nõ poſſunt. Per hyemem, ſicut alia hyberna frumenta, in herba aluntur. Remollito cœlo cauliculis de medio aſſurgit, cuius quarto aut tertio genu ſpica geritur, non priùs euidens, quàm folliculo incluſa, quæ gluma dicitur, conſummato eo, flos erumpit quarto aut quinto poſt die. Si nimium luxuriauerit, in herba depaſcitur, aut quibuſdam locis reſecatur herba luxurians, atque inutilibus herbis liberatur runcando. Floret circa ſolſtitium æſtiuum, ſerius, ocyus, pro aëris tẽperatura: Eodem ferè tempore, quo vitis; duo videlicet nobiliſſimi flores ſimul erumpentes ſuauiſſimo odore fragrant. Varro tradit, quindecim diebus frumentum in vaginis latere, 15. florere, 15. areſcere. Poſt florem craſſeſcit, inquit Theophraſtus, matu-

Triticum & vitis eodem tempore florent.

ratur-

raturque intra quadrageſimum diem, cum tardiſſimè, octauo à ſatu menſe metitur, aliâs quater nouenis diebus abſoluì proditur, & nono menſe meti. Non ſpicatur ante abſoluta genicula. Genicula, inquit Plinius, ſunt tritico quaterna, farri ſena, hordeo octona; Verùm noſtris regionibus tritico, ſiligini, hordeo, auenæ, genicula vel internodia ſunt ferè quaterna, etſi neque id perpetuum in omnibus. Ante geniculorum prædictum numerum cõceptus non eſt ſpicæ, qui vt ſpem ſui fecerit, quatuor aut quinque tardiſſimè diebus florere incipiunt, totidemq; aut paulò pluribus defloreſcunt. Cum defloruerint, frumenta craſſeſcunt maturantúrque, ac cum plurimum diebus quatuor perficiuntur. Folium tritico arundineum, anguſtius tamen quàm hordeo, caulis quoq; leuior & lentior, nec perinde fragilis, multis integitur tunicis. Culmus ſpicam ſuſtinens tritico altior, quàm hordeo, Spica quoque recta remotior à folio, palea mollior, ſuauior & ſuccoſior, Inconditæ explanatæque tritico ſpicæ tam muticæ quàm ariſtis

Genicula.

horridæ, Hordeo inuerſus diſpoſitæ. Quod minus eſt quàm granum, dixi-
Frit. mus vocari Frit. Quod vero ad culmi cacumina infirma ſpica geſtatur minus
Vruncus. item quàm granum, Vruncus dicitur. In Bactris proditum eſt grana tritici noſtras ſpicas æquare. In Babylonia triticea hordeaceaque folia quaternûm digitorum latitudine tradit Herodot.
Tritici grana rotorumq; magnitudo. Triticum poſt tertiam ſationem in ſiliginem verti ſcribit Columella: idque pleriſque locis Germaniæ compertum,
Amylum. vt ſuperius dictum. E tritico fit amylum, eius modum, quo fiat, Cato docet & Dioſcorides.

Tritici ſationem excipit noſtris re-
Siligo. gionibus ea, quam ſiliginem vulgus vocat. Sunt qui eam eſſe contendant, quæ
Olyra. Græcis ὄλυρα: etſi Homerus ὄλυραν equorum pabulum tradit, & Zeæ ſpeciem eſſe plerique volunt. Herodotus tamen panem ea fieri ſcribit. Laurentius Valla Far, Gaza ſiliginẽ vertit. Eru-
Secale. diti aliquot, Secale, &, quam Plinius, farraginem eſſe exiſtimant: Galli *Segle*, Germani Rocken/ Inſubres aſiam, Itali ferè ſægalam vocant. Color paulò nigrior

grior ſemini, panem quoq; ſubnigrum præbet. Plinio autem delicata illa tritici mollities, pondere defecta, candore vincens, ſiligo eſt, paniſque ſiligineus laudatiſſimus celebratur, Item ſub tritico continetur. Quòd poſt tertiam ſationem, vt diximus, pleriſque locis triticum vertatur in ſiliginem ac ſecale, ſi ſolo macro & gracili mandetur, & cõtrà ſecale in triticum, ſi læto & pinguiori ſolo ſeratur, idque pluribus regionibus non rarum ſit, Celſus ſcribit. Triticum firmius milio, & ex tritico firmiſſima ſiligo. Nos conſuetudinem vſurpati apud nos noſtro tempore vocabuli ſequentes, Siliginem noſtram intelligimus vulgo ſic appellatam. Seritur ea mox à tritici ſatione circa finem Septẽbris aut initio Octobris, terra læta: In ſabuloſis etiam in Februario ſeritur, æſtiua ſiligo vocata. Gaudet locis lætioribus aprico & ſolido ſolo, non tamen recuſat ſabuloſum & leue, ſi ſit ſtercoratum, offenditur humidis, ſicut & triticum. Vtrunque tamen frumentum terra ſeritur profundiori & campeſtri. Sed paulò poſt tritici ſationem ſiligo ſeritur.

tur. In ſeminando tertia parte plus quàm tritici vtendum. Naſcitur qualicunque ſolo cum centeſimo grano plerunque. Sulco vt plurimum tertio, ſicut & triticum, occaturque eadem propemodum ratione. Stipula eſt culmo triticeo, graciliore, proceriore, ac ſolidiore, ſpica procumbente atque ideo rubigini obnoxia, quòd imbres contineat, cùm floret, & pruina & nebulis offenditur. Culmi prodeunt lenti, flexiles, feſtucandis vitibus & ædium tectis vſurpati locis pluribus.

Hordeum. Iam ſequitur hordeũ, veteribus inter nobiliſſimas fruges numeratum, neque hoc tempore contemnendum frumẽtum. Itali *beade* vel *beaue* vel *orze* vocant, Germani **Gerſten** / Gallis *Orge*, Græcis κριθή: & quanquã Græcię & Italiæ, apriciſq; & felicioribus regionibus, pabuli vice vſurpetur, quod & Homerus teſtatur: Septentrionalibus tamen regionibus, ſimul & cereuiſiæ & panis conficiendi vſum prębet. Eſt autem duorum generum, alterum hexaſtichon & polyſtichum, quòd in tres, quatuor aut ſex aliquando verſus ſpicatur, producitque

ſæpè

sæpè vnum granum, spicas plures, quarum singulæ plus quàm 80. grana contineant, miro diuinæ liberalitatis dono. Alterum distichon, quòd in duos tantũ versus assurgit. Et rursum, aliud hybernum, aliud æstiuum. Hybernum fœcundius, sed facile læditur præsertim humoribus nimiis, & excipiente gelu. Nihil enim magis offendit sata hyberna, præsertim hordeum & rapaceum, atque siliginem, quàm humores hyberni, gelu crebriore constricti ac solis tepore remissi, subinde rigoribus repetiti. Vtrumq; hordei genus solum amat pingue. Hybernum altero aut tertio sulco seritur in Septembri: Aestiuum Martio vel Aprili, sulco altero, nonnunquam necessitate compellente, vna aratione. Seminis hordeum requirit dimidiato propemodum plus, quàm triticũ. Requirit terram solutam & pinguem: quare optimè seritur solo stercorato. Floret hybernum ac sæpè matureſcit in Maio, ad summum Iunio. Hybernum his regionibus seri non solebat, sed nostro exemplo pleriq; excitati plurimam sentiunt vbertatem, Aestiuum plurimis

mis regionibus trimestre est. In Celtiberia bis nasci, Plinius scribit. Septimo die satũ erumpere incipit, & caput alterum grani in radicem exit, alterum in herbam, quæ prior floret. Radicem crassior pars grani fundit, tenuior florem, cæteris seminibus eadem pars & radicem & florem, vtrunque folio scabroso. Festinantius, quàm alia frumenta, erit demetendum, nam fragili est culmo. Ex hordeo & cereuisia & Zythum fit, atque Courmi, teste Dioscoride. RIGO. Reperio hic cereuisiam optimam; indicato quęso, qua arte in ea conficienda vtamini. CONO. Nostrum in ea re morem non celabo. Hordeum in cupa primum madefit, ac maceratur vno aut altero die; hybernum crassiore cortice, diuturniorem postulat macerationem, Aestiuum teneriori cortice, minorem: indé vel tabulato vel infumibulo exiccatur tantisper, dum dissiliat tumore, & fibras velut filamenta emittat; si rarius spargatur, æstate & Martio inprimis, sua sponte citra ignem adhibitum, exiccatur & rumpitur. Cauere oportet, ne dissiliens nimium erumpat

Cereuisia Zythum. Courmi.

& farina

& farina euaneſcat. Hinc molita farina in cupam mittitur, coctaque aqua ſuperfunditur: atque iterum bina trináve bullitione bene coquitur; additis autẽ coctioni lupi ſalictarij floribus, ſuccu-lentior ac ſalubrior redditur, ac tandem ſpuma cereuiſiaria impoſita, defecatur refrigeratus cocturæ liquor, nam quò vberius defecatur, hoc redditur purior & ſalubrior. Spuma quam inter defecandum euomit tanquàm excrementum cereuiſia colligitur, ac recenter cocta cereuiſiæ defecandæ panibuſque coquendis fermenti vice, vſum præbet. Commendatur potus, ſi tritici quadrantem aut ſextantem addideris. Quò enim largiorem ſegetem adhibueris, hoc præſtantiorem habebis & ſucculentiorem, coloriſque commendabilioris potum ac vinoſiorem. Inprimis autem curandum, vt bene excoquatur & defecetur & lupulo temperetur, alioqui hordeum per ſe putreſceret: & hoc temperamento potus redditur neque inſalubris neque ingratus. Optime & diutiſſime citra acorem durat, quæ Martio coquitur. Fit & alica ex

Alicæ

hordeo

Ptisana. hordeo, non inutilis cibus, & ptisana, quæ quo fiant modo Plinius tradit.

Zea. Hordeum & triticum sequitur Zea, quam vulgo tam Itali quam Germani Spelta. *Speltam*, Galli *Espeltram* vocant. Homero celebrata ζείδωρος ἄρουρα, terra videlicet Zeam præbens: inter triticum & hordeum quasi medium frumẽtum, vt Galenus testatur, siquidem vtriusq; commune quiddam habet, estq; duorum generum. Vnum culmo, spica & genu tritico simile, cuius grana in singulis tunicis seu glumis gemina, & dicitur ob id δίκοκκος. Alterum culmo & spica breuioribus, singula in singulis tunicis duplici ordine dispositis proferẽs, ac in summitate aristis suis plane hordeo respondens. In Italia præsertim circa Mirandulam & Concordiam equorum pabulo vsum præbet, vt supra de hordeo dictum. His regionibus non ita vsurpatur. Ego primum hic serere cœpi, cum solum animaduerterem respõdere, & pani ac cereuisiæ conficiendis non esset inutile frumentum, nisi quòd in molendo molestius, propter duplices granorum tunicas. Solum desiderat humi-

humidiuſculum, lætum & pingue. Seritur eodem, quo triticum, & ſiligo vel ſecale, modo, mẽſe Septembri aut Octobri; floret Iunio, matureſcit Iulio. Hybernis regionibus non incommoda, quòd gelicidiis & frigoribus minus obnoxia.

RIGO. Eſt & genus frumenti, ni fallor, hyberni far, veteres adoreũ appellauere, plurimis terris commune. CONO. Recte mones. Nam etſi de omnibus frumentis priſcis far diceretur, veluti far triticeum, far hordeaceum, far ſiligineum, & cum molæ nondum eſſent, pila frãgerent frumenta, atq; hinc quoque dicta farina: poſtea tamen adoreum ſic vocatum. Licet Columella cõiunctè dixerit far adoreum, eius quatuor genera diſtinguens. Galli *Brance*, Itali *ſandala*, & vulgo quoque *far* appellant, Germani **Dünckelkorn**/ cuius granũ propè tritico ſimile, niſi quòd breuius & craſſius, & vbi triticum fiſſuram habet, ibi far quaſi gibbo tumet, hordeo ponderoſius, tritico leuius, plus panis reddit quàm alia frumenta. Populum Rom. è frumento farre primũ

Far. Adoreum.

vixisse 300. annis, Plinius auctor. In Ægypto sine arista gignitur, spica maiore & ponderosa. Genicula farri sena; purgari nisi tostum non potest. Gallia duo farris genera alit, vnum rutilo colore, quod rubrum frumentum vulgus appellat, alterum cãdidius, quod rustici blance vocant, frumentum τρίστιχον, non dissimile zeæ. In Italia pulmentaria rusticis ministrat. Far siue adoreum Virgilius seri voluit ante vergiliarum occasum, nempe post autumnale æquinoctium. Vliginosis tamen & frigidis exilibúsque locis circa Calendas Octobris, vt prius cõualescant radices quàm hybernis gelicidiis ac pruinis infestentur. Committitur loco humili aquosiori & cretoso, solo vliginoso. Satum occari, sarriri, runcarique desiderat. Sarculatio induratam hyberno rigore tristitiã laxat temporibus vernis. Sarriendo cauendum, ne, quod & de aliis superioribus dictum, radices lædantur. Runcatio cum in articulo est, euulsis inutilibus herbis, radicem vindicat, discernítque segetem à cespite. Galli serunt concauis tractibus, qui facilè sentiunt rubiginem,

nem, existimantes nec pruinas nec ęruginem horrere. Sationem eius in excelsis locis, etsi illic prouenit, tamen damnant, quòd quadrupedibus respuitur, quia spica rigidiore noxioq; aristarum cingitur vallo, & simul quod ægrè suis glumis euoluatur, quibus nisi extricetur, & vsui & panificio fit incommodum. Aceroſæ paleæ iumentorum pulmonem tussi offendunt.

Inter hyberna semina & Rapacium referendum; semen id est à rapi specie, ni fallor, quam Plinius tertiam commemorat & sylvestrem: Cuius radix raphani similitudine in longitudinẽ procurrit, folio scabroso, sicut & aliis generibus, at culmo fruticoso, multisq; surculis brachiato. Radix quidem inutilis, sed solum seminis causa seritur, ex quo oleum extunditur, pauperum culinis seruiens, & ieiuniis lucernisque præsertim in Germania, quæ oliuarum oleo destituta rapaceo plurimum vtitur; magnamque ex eo agricolæ pecuniam cõtrahunt. Regionibus calidioribus, quæ oleis abundant, huius seminis rarus est vsus, nisi quòd auiculis pascendis vtan-

Rapum. Rapacii. semen.

tur. Seritur ad finem Auguſti, aut initio Septembris, tametſi in Martio quoque inter æſtiua ſemina ſeratur, ſed non ita felici prouentu. Solo committitur craſſo, præpingui, aut ſtercorato, tertiùm arato, beneque culto. Seminatur rariſſimè, nam cùm minutiſſimum ſemen ſit, non plena manu, ſicut frumenta, ſed tribus tantùm digitis ſpargendũ. Florem emittit in Martio aut circiter, pro cœli conſtitutione, diúque floret, luteo colore, ſuauiſſimoque odore & apibus gratiſſimo, & vbi defloruerit, mox matureſcit. Attollitur bicubitali celſitudine, in ſiliquis calyculatis ſemen ferens vberrimum, eq; ſeminis vno modio ſæpe centenos producit. Hactenus de hybernis frugibus, iam de æſtiuis dicendum. RIGO. De rapi interim radice dicendum nihil? cuius tamen vſus agricolis frequens, neque negligendus, vt quæ magno proueniat incremento, & cibum non ingratum tam hominibus quam pecori præbeat. CONO. Rapum vel rapa, Græcè γογγύλη, Italicè *rapo*, Germanicè Rũben/Gallicè *Raues*, dicũtur: Eius generis culturam etſi ad hortenſia

De Rapi radice.

tenſia pertinere putabam, & tu melius de his diſſerere poſſes: tamẽ cum tu requiras, & ruſtici agros hac ſemente conſerant, paucis obſeruationem & diſciplinam de hoc genere noſtram accipe. Duorum ferè generum ſunt: ac prius radicem mittit in longitudinem, vt raphanus; quod in Germaniæ quibuſdam locis gratiſſimi cibi loco habetur: alterum aut in rotunditatem globatur, aut in latitudinem panditur latius quàm rotundius. Nebulis, pruinis & frigore, vltro aluntur tribus menſibus amplitudine mirabili; Plinius ſe vidiſſe ſcribit quadraginta libras excedentia; Alicubi centenas libras pendentia proditum: mirum eſt è tam paruo ſemine tantam prouenire radicem. Græci maſculinum ac fæmininũ genus fecere, atque ea diſtinguuntur ſerendi modo ex eodem ſemine. Denſiori enim ſatione maſculeſcere: Semen præſtantius, quò ſubtilius. Sementis duplex, aut enim in Martio ſeruntur, quæ ad ſolſtitium matureſcunt, aut Iulio vel Auguſto primo ſulco, & plærunque ſublatis ſiligine & hordeo, hyberno ſolo committuntur:

Rapi magnitudo.

Quæ frigore hyemis dulciora reddi creduntur, & incrementum in radicem, non in folia verti. Seruntur & Vere in calidis & humidis regionibus, vt Plinius tradit. Lætiorem fieri, si cum palea seratur: Serere nudũ volunt precantem & sibi & vicinis nasci. Vindicantur ab erucarum iniuria, quæ plærunque tenella folia abrodunt, commista sationis tẽpore semini fuligine, aut maioris sedi per noctem macerato semine. Columella hoc remedium comprobatum experientia didicisse affirmat. RIGO. Iam perge de æstiuis seminibus. CONO. Aestiuæ fruges omnes ferè trimestres sunt, ad summum quadrimestres, quædam etiam celerius consummantur, si cælum & solum contingat clementius. Inter æstiua, primùm frumenta recensebimus, inde legumina.

Et sibi & vicinis nasci.

Aestiua frumenta.

Auena.

Inter frumenta, auena primùm seritur, etsi Virgilius eas steriles appellet, & Plinius, Vitium frumenti auenam esse, atque hordeum in eam degenerare, Gallis tamen & Germanis equorum iumentorumque pabulum optimum existi-

existimatur: Pultes quoque ex ea fieri, quibus Germani vtantur, Plinius testatur, & Dioscorides pultis auenariæ meminit. πόλτος ἐκ βρώμης γίνεται, Græcisque ægilopa & bromon, Latinis auenam appellari, Italicè *vena*, Gallicè *Auoine*, Teutones Habern: Quæ etsi Italis rara, in Apennino tamen & regno Neapolitano circa Sipuntum reperiri certum. Duorum autem generum apud nos est, alterum ponderosum, farinam prębens in annonę difficultate pani cõficiendo ac cereuisiæ coquendæ, maximè si hordeo misceatur, atque id genus solo pingui & noualibus feliciter prouenit. Alterum leuius, quod vulgus Brómhabern appellat, leuiusculum hoc & parum præbens farinæ atq; alimenti, quod in sabulosis & macilentis locis nascitur; equorum tamen & quadrupedum pabulo vsurpatur; vtrunq; à summitate culmi variis sarculis spargitur, à quibus velut locustæ semen dependet, flore albicante, ex vno grano plures culmi spargũtur. Dioscoridi auenæ genus est Bromus, quod folio & stipula triticum imitatur, & tanquam syluestre

Bromos.

Bromos.

triticum naſcitur, Theophraſtus αἰγίλωπα nuncupauit: Qualecunque ſolum non morosè recipit, etiamſi nihil aliud ſeri poſſit.

Triticum faginum.

Heiden-Kern / ſiue Buch-weitz.

Eiuſdem propè culturæ, quod Veteribus ignotum frumentum, eſt Triticum faginum, id eſt, φαγόπυρον, vel nigrum triticum μελάμπυρον, etſi melampyrum aliud ſit: Nos faginum triticum malumus vocare, quòd granis ſit triangularibus, faginis glandibus non diſſimilibus & colore & forma, niſi quòd grana minora ſint. Caule eſt craſſo ſtrigato cubitati aut excelſiore filici propè aſſimilis. In multos ramos ſpargitur, ſurculis in cacumine paruulis, ſed quibus flore albo ceu nucamento ſquamatum compactili & comante ſupra cacumen vmbella criſpatur. Floret diu, tandem grana emittit triãgularia, primùm alba & ſubuirentia; Vbi maturuerint, nigra vel caſtanei coloris. Flos tempeſtates, & pluuiam, & ſiccitatem immodicam reformidat. Frumentum hoc non ita pridem è Sarmatiæ Septentrionalibus oris in Germaniam aduectum, iam in frequenti vſu, & ſuibus ſaginandis &

dis & pultibus faciendis aliiſque frumentis deficientibus, cùm annonæ premit penuria, & cereuiſiæ & pani conficiendo, plebi vſurpatur. Seri poteſt quocunque, & quantumuis leui & ſabuloſo ſolo, etſi pingui felicius proueniat, menſibus Aprili, Maio, atque etiã Iunio: à rapacia meſſe ſeritur pluribus locis. Semen mittendum rarius quarta parte tritico aut ſiligine: Solet enim in lætiori ſolo à ſublato rapacio mox ſeri, ita vt duplicem meſſem eiuſdem anni & eodem ſolo facere liceat. Vbi ſatum, circa quartum aut quintum diem, niſi deſit humor, mox erumpit foliis portulacæ non diſſimilibus.

Aeſtiuum hordeum.

Inter æſtiua frumenta Hordeũ quoque refertur æſtiuum, quod ab æquinoctio verno ad finem Martij aut Aprili ſeritur; vt plurimum trimeſtre, aut ad ſummum quadrimeſtre metitur. Solum perinde atque hybernum requirit pingue & reſolutum, ſeminatúmque alterno ſulco, aliquando neceſſitate cõpelliente priore. Aeſtiuum quanquam non ita copioſum & abſolutum fructũ ferat, & hyberna, vt Theophraſtus ſcri-

bit, ſemina robuſtiora perfectioráque reddãtur, ita hybernum hordeum culmos robuſtiores ſpicaſq; grauiores producat : attamen quia cortice duriore, æſtiuum autem teneriore, ideo à quibuſdam magis expetitur, creditúrque plus farinæ præbere, quàm hybernum, Aliis viciſſim hybernum præferentibus.

Millium. Milium à Latinis & Gallis vocatum, Græci κέγχρον, Itali *milio* vel *miglio*, quaſi mille grana vno culmo complectens, atque hoc videtur Feſtus comprobare, Galli *millet*, Ripenſes Germani Hirß vocant, pultes miliaceas ex eo facientes non inſuaues, & panes. Sarmatæ pulte hac maximè aluntur, cruda farina, lacte, vel ſanguine ex equorum venis admiſto. Aethiopas non aliã frugem quàm hordei miliiq; noſſe Plinius teſtatur, & Campaniam milio gaudere potiſſimum. In fermento præcipuum eius vſum volunt. Nullum frumentum ponderoſius, quod coquendo magis creſcat, nam ſexaginta pondo panis è modio reducere, modiúmque pultis ex tribus ſextariis madidis. Hoc tempore paſſim

passim seritur, licet inferiori Germaniæ rarius. Est autem frumentum hoc stipula cubitali, geniculata, folio arundinaceo, semine in longis panniculis tereti & pendulo, multiplici culmo fruticante, caule arundineo, lanugineo flore: Comam illam effusam, arundinaceam iubam vocant: Adolescit pedes Iuba. ad altitudinem septem, Gaudet solo limoso, vliginoso, sabuloso etiam, si frequentius irrigetur, siccum & cretosum reformidat. Quidam præcipiunt in frigido & aquoso solo primum, pòst in calido serendum. Ante Ver non seritur, quia teporibus lætatur. Seminis pauxillo amplus ager completur. Si densius seratur, noxam contrahit, cùm vix iugerum recipiat, quantum plena manus continet; quare in sarriendo superflua vellenda. Iugerum quadraginta modios profert, si diligenter seratur, & ex vno grano terni sextarij. Vetant inter vites arboresque frugiferas seri, sarriri & runcari continuò desiderat. Cùm spicas ediderit, antequam semina hiēt æstibus, manu carpuntur, suspensaque in sole exiccantur ac recōduntur. Purgamenta

Apluda. gamenta milij & panici & seſami Apludam vocant. Diu hoc frumentum seruari posse tradunt. nam centum manere annos, si condatur, quò venti non penetrant.

Est & aliud consimile, quòd Indicum appellant, Neronis principatu in Italiam aduectum, amplo grano & nigro, culmis arundineis prægrandibus, Lobas vocant, si Plinio credendum: Cum tamen lobæ siliquæ potius sint in leguminibus & phobæ iubæ vel comæ miliaceæ, vt ex Theophrasto liquet.

Lobæ.

Phobæ.

Panicum. Panicũ, ἔλυμος Græcè, Germani alij Pfennich/alij heidengriß/heidel/Welschhirß Italis *panacho*, Gallis *paniz*, Hispanis *panizo*, dictũ à paniculis, quibus semen inest, milij similitudine prosilit, denis cum minimum foliis luxurians, culmo penè in surculum extenuato: nutante rubido paniculorum fastigio, prædensis aceruato granis, magnitudine sinapi, aliis luteo colore, aliis purpureo, aliis nigro & candido. Eadem fere, quæ milio cultura. Aestate satum quadragesimo die à satione matureſcit locis quibusdam, aliis Maio, humidis locis satũ,

Septem-

Septembri metitur. Messis & vsus fere idem, qui milio. Purgari vt milium non nisi tostum potest. Cum in articulum seges ire cœperit, runcanda, ne herbis vincatur. Pinsitum & euolutum furfure, pultem cum lacte non fastidiendam præbet. In panificio panici, quàm milij rarior vsus; panis enim siccior, & arenæ ac cineris in modum friabilis, lentore humoriſque vinculo destitutus; proinde rustici addito suillo pingui aut oleo ariditatem glutinantes farina vescuntur. Ponticæ gentes nullum cibum panico præferre dicuntur, quemadmodum Galli Vascones hoc tempore eo potissimum vtuntur. Quibusdam locis semine panici columbæ aluntur.

Inter externa est & Oryza, vt Theophrastus scribit, lolij aspectu, milij ac panici iubam, non spicam proferens, granáque continens zeæ, folia carnosa, porro similia, sed latiora, altitudine cubitali, flore purpureo. Rarum Gallis & Germanis hoc frumentum. Italiæ & Insubriæ frequens, vocatúrque *el ryso & menestre del ryso.* Galli sublata quóque priori litera *ryson*, Græcis ὄρυζα. Plinius etipha Oryza.

etipha fieri oryzam tradit. Fit ex ea ptiſana, vnde Horatius ptiſanarium oryzæ dixit. Seritur Martio menſe, vt milium & panicum. Indos aiunt ſerere zeæ modo piſtam, vt concoctu ſit facilior: Item potum ex ea facere eoſdem Strabo teſtatur. RIGO. Ecquid de ſeſamo, quod veteribus plurimum in vſu? CONO. Seſamum Græcis σήσαμον, Itali *ſeſamo* Galli *iugioline* vocant. Hiſpani *iorgilire*, olim frequentiori fuit in vſu, & laudatum à Columella & Plinio, hodie paucis regionibus notum, ſicut pleraque alia ſemina, adeò vt frugem, ex quo panis nobis fit, vix dignoſcere liceat. Quidam frumenti, alij leguminum generi adnumerant, culmo non vt milio & panico geniculato, ſed ferulaceo, foliis ſanguineis, ſemine candido, infra lini magnitudinem, quod vaſculis, vti papauer, continetur. Seritur æſtate ante vergiliarum exortum Italiæ ritu. Columella ſcribit, ſe vidiſſe in Cilicia & Syria ſeri, Iunio Iulióque, & per autumnum, cum permaturuerit, tolli. Deſiderat ſolum putre & pullum, etſi pinguibus quoque arenis & congeſtitia humo proueniat:

Sēſamum.

poſt

post sationem imber officit, cum cæteris frugibus prosit, vnde sesamum nullum animal attingit. Maximè macrat solum, vtpote cui crassior & multiplicior arũdo sit quàm milio,& radix quoque numerosior. Ex India aduectum scribit Plinius, atque in cibum parari, oleúmque ex eo confici sesaminum. Sesaminũ oleum.

Porro vt ad vulgaria reuertamur, Inter fruges æstiuas & Miscellaneæ numerantur. Nonnunquam enim semina miscentur farraginis instar, partim pabuli causa, partim quoque ea cautione, vt si alterum intereat, saltem alterũ maneat incolume. Sed hic videndum, ne misceantur hyberna æstiuis, & contra: nam id absurdum esset, & alterum perire necesse. Commodè miscetur hordeum æstiuum auenæ aut fagino tritico, non tam pabuli iumentorum causa, quàm cereuisiæ coquendæ. Atqui vicia & legumina quædam auenæ miscentur tantùm pabuli gratia. Hæc seruntur temporibus & locis, vt supra de singulis æstiuis frugibus dictũ. RIGO. De frumentis iã satisfeciſſe mihi videris; De leguminibus restat dicẽdi locus. Miscellaneæ fruges. De Leguminibus.

CONO.

CONO. Legumina Græci ὄσπρια vocant; altera frugum pars: Horum complura ſunt genera, ſicut & frumenti. Quidam leguminibus quoq; attribuũt milium, panicum, & ſeſamum, quæ Columella alias frumentis, alias leguminibus annumerat; Nos Plinium hac in re ſecuti inter frumenta eas fruges recenſuimus; inter legumina referentes, quæ ſiliquis cõtinentur, qualia ſunt faba, piſum, lens, cicer, phaſeolus, vicia, & cætera huius generis, quæ omnia æſtiua ſunt ſemina.

Porrò inter legumina primũ honorem deberi fabæ Plinius teſtatur, vt quę pluribus vſibus tam hominibus, quàm quadrupedibus ſit accõmodata: Græcè
Faba. κύαμος, Italis latiniſq; faba, Gallis *Febues*, Germanis Bonen. Hæc inter legumina ſola ſine adminiculo naſcitur, magna interdum proceritate, folio carnoſo, flore criſtato verſicolore, partim atris, partim albis maculis diſtincto: Varro lugubres vocat literas: ſiliqua prælonga, fructu intus lato, humani vnguis ſimilitudine: ſuis inhærent valuulis, colore vario, foliis exit multis, vt piſum,

ſum,non ſingulis, vt triticum. Seritur leguminum prima, verna ſatione, ex Virgilij ſententia, & maturè, propter fabalia,quæ purgamenta ſunt fabarum. Fabalia. Sunt enim ſiliquæ cauleſque gratiſſimi pabulo pecori, ſiquidem Columella teſtatur, ſe audiſſe ruſticos peritos maluiſſe fabalia maturæ ſationis, quàm trimeſtrem fructum. Luna creſcente ſeri volunt, vnaque aratione, quia ſolutum ſolum requirit, Plinius fabam & vicia non proſciſſo ſerere, ſine damno, compendium eſſe operæ tradidit. Aiunt ſi caprini fimi cauatis fabis ſemina inclu-ſa ſerãtur, mire prouenire, Eroſam etiã luna creſcente expleri: Si circa radices arborum ſeratur, arborem areſcere. Sunt qui aſſerant, ſemina capi ſanguine macerata aduerſantibus herbis liberari,aqua pridie infuſa citius naſci, Gaudet ſolo pinguiſſimo vel ſtercorato, ſicut omnia ferè legumina, humidum & depreſſum non recuſat, etiamſi cætera legumina ſicco lætantur. Runcari non geſtit,quoniam euincit herbas. Sola leguminum ſcapo recto conſurgit geniculato & inani: Cúmque legumina om-

nia diutius floreant, diutissimè faba, diebus quadraginta. Non autem singuli scapi tamdiu, sed alio desinente alius incipit, nec tota seges, vt frumenti, pariter. Siliquantur verò omnia diuersis diebus, nam caulis pars infera primum florem emittit, atque ita ordine ad superna itur successu continuo. Alicubi eius tanta fertilitas, vt scapus vnus centum fabis onustus sit repertus. Fabę suis valuulis inhærent, & nigrum, quod in summo, hilum vocatur. Valuuli, folliculi leguminum, vermes, qui innascuntur, Midæ appellati. Lomentum, farina fabacea, qua veteres ad erugandam cutem vtebantur. Fresa faba, quæ mola leniter confracta & decorticata; altera solida faba, Refrina dicta, quòd è frugibus auspicij causa fabam referre mos esset, Plinio teste. Fabam in aqua nitrosa, pridie quàm conseras, macerandam putant, vt ad coctura fiat commoda. Palladius auctor est, fabam à curculionibus non lædi, si luna minuente vellatur, & antequàm Luna procedat, excussa & refrigerata recondatur. Faba & reliqua legumina solum, in quo sata sunt, stercorant,

Valuull.
Hilum.

Midæ.
Lomentũ.

Plin. lib. 18. c. 12. & 17.

corant, & legumen pro ſtercore eſt.

Proximum fabis nobilitate ſationeque piſum, Græcè πίσος, Theophraſto, aliis λέκυθος: Italis *piſe & piſelle*, Gallis *pois*, Germanis Erbſen / legumen caulibus fiſtuloſis in terram ſparſis ramoſiſque prætenui ſurculo, folio frequenti & lõgiuſculo, ſiliqua cylindracea, granis rotundis & candidis, etſi Plinius ſcribat, angulos habere, vt cicer, quale reperitur etiam hoc tempore cæruleo colore, flore papilionis, forma circa vmbilicum purpurea. In valuulis grana continet, quæ ſe inuicem quaſi tangunt, vt in eruo. Piſum duplex eſt, alterum in altum ſcandit, paliſque affigitur, quibus ſeſe capreolis vinciens alligat, idque fere in hortis ſeritur: alterum humile & caducum, humi ſerpens. Vtrunq; eſui aptũ, etiam cum valuulis nondum induratis editur cum ipſis granis. Apricis locis ſerere conuenit, frigoris impatientiſſimum. Mandatur terræ vel in veruacto, vel melius pingui & reſtibili ſolo ſemel ſubacto, vti omnia ferè legumina, facili interim & ſoluta humo, & cœlo tepido humidoque. Stercorari agros piſo Co-

Piſum.

lumella censet, si confestim aratrum sequatur, & quod falx reliquerit, prius quàm inaretur, vomis rescindat atque obruat; id enim cedere pro stercore & fimo. Seritur ferè primum inter æstiua semina cum fabis pisum & lens, mox vicia & auena (vt supra dictum) circa Martium & Aprilem. Pisa, Vicia, lentes, luna decrescente seri volunt, ne nimia luxuria inæqualiter floreant, cum cætera legumina seminaque melius augescente sydere serantur. Sunt qui probent, legumen, quod ὄροβος Græcis, Latinis eruum dicitur, Italis *ervo*, Germanis Erwen siue Roßwicken vocatur. Duo eius genera, alterum candidum, alterũ rufum, atque hoc sylueſtre est, sponte in dumetis & aruis proueniens. Exiguus frutex, tenuis, angustis foliis, floribus vel candidis, vel in candido cæruleis, aut puniceis, sicut pisa, se inuicem contingentibus. Eius non est tam operosa cura: Gaudet solo macro, non humido, quia plærunque luxuria corrumpitur. Seri ante Martium volunt, siquidem eum mensem huic legumini non conuenire, eò quòd tum pecori noxiũ sit.

Eruum.

sit. Eruilia similia paruis fabis, coloris alia nigri, alia albi, alia varij, culmo pisaceo, instar lupuli, in sublime scandenti; siliquas habent planas instar pisorum, folio quàm faba longiore, flore apibus gratissimo. In Gallia vel Insubria Doram vel Dorellam vocant. Eruilia.

Phaseolus, Græcè σμίλαξ κηπαία, smilax hortensis, aliqui fasiolum & dolichium vocant, Itali alij *fagiuoli*, alij *smilace de gli horti*, & *fagiuolo Turchesce*, alij *lasanie*, Galli *fabueoles*, Germani vocant Faſelen/ vel Welſche oder Wide bonen. Leguminis genus, colore tum candido, tum rubro, tum giluo, tum etiam maculis & orbibus atris distinctum, folia habet hederæ similia, molliora tamen, caules tenues, & capreolis vicinas, fruticibus se implicantes, vt cameras & tabernacula effingere possint, siliquis fænogræco longioribus, intus versicoloribus & renibus similibus. Pingui & restibili solo in hortis & quauis terra satũ prouenit, & cum longis serpat flagellis, propè pali poni debent, quas capreolis suis, vbi increuerint, complectantur, reptatuque suo palos & arbores scandunt Phaseolus.

atque vinciũt, in hortis pergulas ac ſcenas inumbrant. Seruntur quibuſdam locis ab Idib. Octobris in Kal. Nouembris, alicubi & apud nos Martio. Floret æſtate. Edulium anceps inter bonum & malum, ſucco ambiguum, folliculi cum ipſis manduntur granis, ſaltem eo modo quo aſparagi: Iudæi Romæ macerata vendunt, & eduntur cruda.

Lens & Lenticula.

Lens & Lenticula, Græcè φακὸς ἢ φακὴ, Italicè, *Lenditie bon meneſtre*, *Lentilles* Gallicè, Germanicè Linſen. Racemoſum legumen, folio Viciæ, tribus aut quatuor in ſiliquis granis inter legumina minimis, molliter in latitudinem fuſis; alba dulcedine præſtantior, melior tamen, quæ coctibilior, & quæ maximè aquam abſorbet. Columella tradit duplicem eius ſationem, alteram maturam per mediam ſementem, alteram Februario, creſcente luna vſque ad duodecimam, Germanis plurimum Martio & Aprili ſeritur, luna creſcente, loco reſoluto, pingui & ſicco; Plinius tenue quàm pingue mauult, cælum ſiccum: floret Iulio, in flore facilè luxuria & humore corrumpitur. Quare vt celeriter

leriter prodeat & grandeſcat, ſimo arido, prius quàm ſeratur, permiſceri debet, & cùm ita quatuor vel quinq; diebus requieuerit, ſpargi. Aiunt proceriorem euadere, quæ in aqua tepida cũ nitro prius maduerit quàm ſeratur, nec vllam ſentire corruptionis labem, quæ laſerpitio aceto cõſperſa ſit, Et ne à curculionibus abſumatur, extrita in aquã demittenda, & quæ inanis ab alia ſeparetur, atque ita ſiccata in ſole & radice ſilphij trita cũ aceto aſperſa ſiccetur ac recondatur. Varro præcipit à vigeſima quinta luna ad trigeſimam ſerendã; ita à limacibus tutam fore: Etiam cineri miſtam commodè ſeruari Columella teſtatur.

Cicer, Theophraſto, & Græcis ἐρέβινθος. Italicè *ceci & cicere, cicere roſſo & cicere biance*, Gallis *ciche*, Germanis Zifererbß / Richern / Frutex eſt inſtar arbuſculi, ſiliquã proferens rotundã, bina grana, forma triangulari continens. Eius tria genera numerant quidam, albũ, rufum, & nigrũ, differentia ſolùm florum colore. Cicer ſatiuum caule lignoſo, obliquo, foliis exiguis, multis circinatis, flore al- Cicer.

bo vel purpureo vel nigro. Et cum cæteris leguminibus ſiliquæ longæ, & ad formam ſeminis latæ, ciceri ſunt rotundæ. Gaudet ſolo pullo craſſoque, edax legumen, propterea noualibus incommodum. Seri poteſt Martio toto, cælo humido, loco quàm lætiſſimo. Serendum pridie maceratur, vt citius enaſcatur. Floret Iunio & Iulio menſibus, & ſubinde ſemen producit, floret diutiſſimè, vt eruum, quadrageſimo die vellitur, celerrimè fructum perficiens. Florenti pluuiæ obſunt ſoli leguminum. Cùm matureſcere cœperit, citò rapiẽdum, nam citò exilit, latetque cùm decidit. In cicere nullum animal gignitur, contra quàm in cætero frugum genere, & quia erucas arcet, olerũ medicina creditur. Cicercula quæ λοίθυρος à Theophraſto dicitur, Italicè *cicerſe*, differt ſolo colore nigriore, quam Plinius minuti ciceris inæquales angulos habere ſcribit veluti piſum: Plæriſque locis etiam apud nos perinde atq; piſis vtuntur, immò his etiam præfertur. Siquidem & pollinis plus quàm piſum præbeat, & citius coquatur, nec vermi-

Cicercula.

bus

bus ita obnoxium. Columella non tam leguminibus quàm pabulo annumerat, quibus ea, quæ ſequuntur, accommodanda.

Ac primum Vicia, Græcè Βίκιον, etſi Galenus etiam Latino vti Græcos ſcribit, Idem Germani imitati vocant Wicken, Galli *Veſce* nominant; vt Varroni placet, dicta à vinciendo, quòd capreolos habeat vt vitis, quibus ſurſum ſerpit ad ſcapum lupini aliúmve calamum, cui adhęreat. Surgit cubitali altitudine, foliis aphaces, niſi quòd anguſtioribus, flore piſi, minutis nigricantibuſque in ſiliquis ſeminibus, quorum figura non prorſus rotunda, ſed latiuſcula ſimiliter lenti. Loca ſicca deſiderat, non aſpernatur etiam vmbroſa, & terra quacunque facillimo cultu prouenit, nec ipſa agricolis operoſa, vno ſulco ſata, nõ ſarritur nec ſtercoratur, ſed ipſa ſolũ reddit lætum, maximè ſi pabularem viciam viridem deſectam aratrum ſequatur, & quod falx reliquerit, priuſquam inareſcat, vomere obruatur, nã radices relictæ ſolo ſuccum auferunt. Cato tamen in agro herbido minimeque aquoſo ſe-

Vicia, & quæ pabulo ſeruiũt.

Vicia pabularis.

ri iubet, & in terra proſciſſa, non ante quàm rorẽ diſcuſſerit, & humor omnis ſole ventoque diſcuſſus ſit: Neque amplius proiici debet quàm quòd eodem die operiatur: Siquidem noctis humor quantuſcunque corrumpere ſolet, Et ne ante vigeſimam quartam lunam terræ mandetur, alioqui à limacibus infeſtatur. Sationis aliqui tempora aſſignãt circa occaſum Arcturi, vt Decembri menſe paſcat, ſecundam ſationem Ianuario, nouiſſimam Martio: In Germania Martio aut Aprili ſeritur tanquam ſeminis pabuli cauſſa. Viciam, quod & de faba diximus, ex Plinio, non proſciſſo ſerere ſolo, ſine damno compendiũ eſſe operæ. Floret Iunio, atque tum aquis purgandis vtiliſſimum pabulum. Volunt integra cum valuulis vicialia diligenter à ruſticis reponi, vt pecudibus conditiua pabulo cedant. Vicia cũ auena inter miſcellanea ſeri ſolent.

Lupinus. Lupinus, Græcis θερμὸς ἤμερος, Latinis ſatiuus lupinus dicitur, Gallis & Italis nomen ferè retinet Latinum, Germanis, Römiſche Bonen / vel Wickbonen / Feigbonen: Eſt legumen vnicaule; foliis

foliis quinq; fariam diſſectis, flore candido, ſiliquis per ambitum crenatis atque ſerratis, quinis ſeniſve intus granis, duris, latis, rufis, cadunt ei folia tantum. Hoc legumen minimum operarum abſumit & viliſſimè emitur, maximè ex iis, quæ ſeruntur, iuuat terram: Nam vineis iam emaciatis & aruis optimum ſtercus præbet, ac vel effœto ſolo prouenit, vel repoſitum in granario patitur æuum. Boues per hyemem coctum maceratumq; alit, famem quoque, ſi ſterilitas annonæ inceſſit, hominibus propulſat, vt Columella teſtatur. Sabulum & arenas & omnino vitia terræ ſequitur, horretq; culta ex omnibus, quæ eduntur. Plærunque leniter ſulco integunt, cretoſam hinnoſamq; terram odit. Adeò amat tellurem, vt quamuis fruticoſo ſolo coniectum inter folia vepreſque, ad terram tamen radice perueniat. Lupino contraria ſarritio, non infeſtatur herbis, imò herbas perimit. Si ſtercus deficiat, lupini præſidium ſtercorandi expeditiſſimũ. nam ſatum & vel vomere ſucciſum, optimi fimi vicem præbet. Primum omnium ſeritur, nouiſſi-

nouissimum tollitur. Seritur præ aliis leguminibus post æquinoctium autumnale. Qualitercunque obruas, sustinet coloni negligentiam, teporem tamen autumni desiderat; & vt celeriter confirmetur: nam nisi ante hyemem conualuerit, frigoribus affligitur. Ter floret, primùm Maio, deinde Iunio, postremò in Iulio. Post vnumquenque florem siliquas producit: Antequàm flores edat, boues immittantur, quippe cùm omnem aliam herbam depascant, solum lupinum ob amaritudinem, dum viret, intactum relinquunt: siccatum autem hominibus & quadrupedibus in cibo datur, cum paleis bobus, hominibus cum triticea vel hordeacea farina in panes digeritur. Condi fumo maximè conuenit, quoniam in humido vermiculi vmbilicum eius in sterilitatem castrant. Aiunt sole circumagi, horáque agricolis etiam nubilo cælo demonstrare.

Sole circũagitur lupinum.

Fænumgræcum.

Fænumgræcum, Theophrasto & aliis quibusdam βύκερας καὶ τήλη, Dioscoridi præter hæc κάρφος & αἰγόκερας, aliis κεραίτης dicitur, Gallis *fenegres* & *fenigrene*,

grene, Italis *fænigræco*, etsi à quibusdam etiam Latinis Silicia & silicula vocetur, Germani partim Latino nomine, partim Kühorn / & Bockshorn / à Græco fenigrec appellatum, quòd semen in siliquis corniculorum instar incuruis cõtineat. Cauliculis emicat exilibus, folio penè trifolij. Crudæ terræ & tenui solo committitur passim non incommodè: danda opera vt spissè aretur, nec tamen altè: nam si plus quatuor digitis obrutum sit, semen eius non facilè prodit: proinde minimis aratris proscindenda terra, & sarculis statim operienda. Est autem duplex: alterum, quod siliquam rustici vocant, quod pabuli caussa Septembri seritur, alterum Ianuario, vel initio Februarij, cum in messem seminatur: Floret Iunio & Iulio, & vnà siliquas producit, semen tamen in Augusto maturum legitur. Estur lupinorum ritu aceto & garo, aliqui oleum adiiciunt. Pabulo & pluribus aliis vsibus vsurpatur.

siliqua pro Fœnogræco.

Porrò de leguminibus, quæ & legumenta à Gellio dicta, hoc in vniuersum habemus, quòd siliquantur omnia, singulas-

Generalia de Leguminibus. Legumenta.

gulaſq; habent radices, præter fabam, vt dictum, eaſque ſurculoſas: quia non in multa diuiduntur: altiſſimas cicer. Caulis fabæ & lupini vnus eſt, cæteris ramoſus, & pertenui ſurculo, omnibus fiſtuloſus. Omnia ferè legumina vernæ ſationis, ſolumque poſtulant reſolutum & pingue, aut reſtibile, pręter lupinum, quoduis non reſpuentem. Seruntur creſcente luna, præter piſum. Prius macerentur felicius ſerenda. Citò rapienda, cùm matureſcere cæperint, legumina, quoniam citò exiliunt. Seruãtur breuiſſima obſeruatione, ſi interlunio legantur, Plinio teſte; Plurimum autem refert, condere quis malit an vendere: creſcente enim luna, grandeſcere ſemina. Sunt qui vrceis, cinere ſubſtratis & illitis, acetum habentibus legumina ſuperingerunt, ita non naſci maleficia credentes: Alij ſimpliciter cinere recondunt, Alij aceto laſerpitio aſpergunt, vt de lente diximus. Præterea de leguminibus in vniuerſum Græci præceperunt, in fimo cum ſeruntur, nonnihil nitri permiſcendum, ita mirè cocturis oportuna reddi: Quod ſi factum nõ

ſit

sit, vt citò contenereſcãt, in ollam ſinapi momentum iniicïas, & confeſtim cocta fatiſcent. Theophraſtus alia quædam addit, quæ longius eſſet hic referre. RIGO. Expedítne hæc omnia legumina & frumenta agricolam in ſuo ſerere agro? CONO. Nequaquam, ſed vt prius de terræ & ſeminis ratione dixi, ea maximè deligenda, quæ agro quem colis conueniunt: Sunt tamen quędam, quæ non recuſent quamlibet terram. Quædam ſunt, inquit Varro, quæ non tam in præſentem, quam in futurum vſum ſeruntur: & quædam quæ omnibus agricolis neceſſaria, veluti fruges ad hominum cibum & pecorum pabulũ: Eorum cum primis oportet rationem habere, vt in agro non deſint, quorum quotidianus & neceſſarius vſus, veluti Siligo vel ſecale, auena, fagopyrus. Lupinus, & legumina quędam pabulis idonea, nullum quantumuis macrum ſolum reformidant. Porrò cùm agricolam non ſolùm hominũ, quo cibo alantur, curam habere conueniat, ſed etiam iumentorum & pecorum, ſine quibus ager exerceri non poteſt: proinde legumina

Frugès neceſſariæ magis.

De pabulis iumentorum.

mina & ad hominum & ad pecorum, pabulum autem, ad pecorum vſum ſerere copioſius oportet. Inter pabula præſtantiſſima celebratur à veteribus Medica & Sylla præſertim Italiæ, vbi nomen retinet: aliâs etiam vocatur *trifolio*, Galli *grand trefle*, quaſi grande trifolium, ruſtici fænaciam, alij Burgundienſe fænum, quòd à Burgundionibus allatum, nominant, Iam etiam in Germaniam transfertur, Welſche klee/ Græcis μηδικη Dioſcoridi & Theophraſto. Plinius ſcribit à Media regione per Romanos in Italiam deportatam. Nihil propemodum à trifolio differens, niſi quòd maior, excelſior & copioſior: nam omnino caule, foliis & flore reſpõdet, geniculata quidquid aſſurgit in caule contrahitur in folia; In ſcaporum cacumine breues ſiliquulæ prodeunt in corniculorum ſpeciem intortæ, denticulato foris inflexu & velut exiguos mucrones exerente, in quibus ſingulare ſemen ferè lunatum continetur, lentis magnitudine folliculo cohærens, quod freſum dentibus piſi ſaporem repræſentat: ſingulæ thecæ ſingulorum ſemi-

Medica.

ſeminum ſunt capaces. Poſtulat ſolum ſuccoſum, elapidatum, pingue ac lætum. Pluribus locis non prouenit, aliis cumulatè emergit. Varro obſeruari præcipit, ne in terram nimium aridam mittatur, aut variam, ſed temperatam. Plinius ſiccam, ſuccoſam vel riguam requirit. Columella addit agrum, in quẽ Medica ſerenda, circa Octobrem proſcindendum, eumque tota hyeme putreſcere ſinendum, deinde Februario iterandum, purgatiſque lapidibus diligenter occandum, & circa Martium ſubacto, vt in hortis, ſolo formandę ſunt areæ latæ, pedum denûm, longæ pedibus quinquaginta, ita vt eis aquæ miniſtrari, & ab vtraque parte runcari facilè poſſint, tum iniecto antiquo ſtercore in Aprilem reſeruentur, & ad finem eius menſis ſerito tantum, vt ſinguli cyathi ſeminis occupent locum latum pedibus quinq;, longum decem, ſed mox ligneis raſtellis obruantur iacta ſemina, quia ſole citius comburuntur. Poſt ſationem, cùm altitudine fuerit vnciali, ferro locum tangere non licet, ſed raſtris ligneis vel manibus mundetur, ne

alterius generis herba teneram medicam premat: alioqui degenerat in prata. Prima messis tardius fiat, vt aliquantum semen excutiat. Ceteræ messes quàm volueris citò peragantur, & iumentis præbeantur. Ruris disciplinæ periti tradunt iactato semini medicæ adiiciendam auenam, vt quæ radiculis fundamenta iacere putetur. Seritur Aprili, aut tardius Maio, alioqui pruinis opportuna, iacturque semen, sicut frumentum. Cùm cœperit fruticare, omnis alterius herbæ generis eruncentur. Sic culta sexies demeti anno potest: Sexies florere, aut quàm minimum quater traditur, modò non secetur. Vbi secueris, sæpius riga, & cùm fruticauerit, iterum runcato; ita, vt diximus, sexies per annum metere poteris, & decem continuis annis permanebit. Agrũ stercorat, omne armentum emaciatum pinguescit ex ea; ægrotanti pecori remedium: sed cùm tenera prosiluerit, inter initia, dum consuescant, parcius præbendum, ne nouitas pabuli noceat: inflat enim & multum sanguinẽ creat. Columella tradit, iugerum eius toto

anno

anno tribus equis abũdè ſufficere. Quibuſdam locis ſponte ſcatent prata hac herba, vel naturâ ſoli, vel cæli conditione nata, quædam etiam olim ſatæ reliquiarum veſtigia eſſe queant, vel quæ multos annos caduco ſemine reſtibili fertilitate regerminat, & herboſo ceſpite victa deſciuit in pratum. Nihil prohibere videtur, quin ſponte ſua naſcatur, niſi fortè peregrina & externo orbe petita ſationem deſideret. A fæniſecibus melius metitur, cùm incipit florere: nam in ſemen matureſcere prohibendum, quia pabulum vtilius vſque ad trimatum, ſiccatumq; digeritur in faſces, qui ad trimatum ſeruantur, magno rei pecuariæ compendio: Nam, vt dictum, veterina optimè paſcuntur, & pecora eo pabulo villici ſaginant, quæ nullo alio magis cibo lætantur, pingueſcũtque. Proximè ad Medicę laudem accedit Cytiſus, ab Ariſtomacho, vt ſcribit Plinius, miris elogiis prædicatus frutex, pabulo ouium, vt Virgilius teſtatur, & aridus etiam ſuum cibus gratiſſimus, ſpondetq; iugero eius annuos perplures vel mediocri ſolo reditus: Vtilitas Cytiſus.

herbosa, & eò lætior satietas, quòd per-quã modico pinguescunt & quadrupedia, neq; ex alio pabulo lactis copia vel maior vel melior: Super omnia, pecorũ medicina à morbis in omni vsu præstãs est. Apes etiam nunquam defore, cytisi pabulo contingente, promittunt Physici. Quare quamplurimum in agro habere refert, gallinis, capris, & omni generi pecorum vtilissimum. Gallinis ieiunis cytisi apponenda folia & semina, Alij telinen, alij triphyllum, alij lotum magnum vocant, Romani trifoliũ maius vocãt. Frutex est incanus totus, vt rhamnus, cubitalibus ramis, sæpe maioribus circa quos folia fænigræci aut loti trifoliæ sed minora, dorso in mediis tumente. Inuentus in Cytno insula hic frutex, inde translatus in omnes Cycladas, & in Græciã, magno casei prouẽtu. Neq; est vlla iam regio, vbi non possit huius arbusculę esse copia vel maxima, teste Columella. In Italia circa sepimenta vinearum prouenit: Non æstus, non frigorum, non grandinum aut niuis iniuriam expauescit. Terram stercoratam desiderat. Si pluuia non incesserit,

Trifoliũ maius.

ſerit, rigandum erit: ſimulatque nouum frondem agere cœperit, ſarrito, & poſt triennium cædito & pecori præbeto. Varro in terram bene ſubactam mitti vult, tanquam ſemen braſſicæ, inde differri, & in ſeſquipedem poni, aut etiam de cytiſo duriore, virgulas deplantari, atque in ſerendo pangi. Satio cytiſi vel autumno vel vere fieri poterit ſemine, ſubacto ſolo & in areas digeſto. Si deſit ſemen, cacumina diſponuntur, ita vt quoquo verſus quatuor pedum ſpacia diſtent, & ſtercoratam terram circum aggerato. Poteſt etiam ante Septembrẽ ramis commodè ſeri, quando facilè comprehẽdit, & iniuriam ſuſtinet, perficitur triennio. Cytiſus Columellæ duplex, ſatiua, & altera ſuæ ſpontis, Agreſtis capreolis optimè paſcit: Hederæ modo vincit & ſtrangulat. Inuenitur in ſegetibus præcipuè hordeaceis. Flore piſi luteo, folia ſi terantur, erucam ſubolent, commanducata cicer reſipiunt. Eſt & pabuli genus inter ſtirpes veteribus ignotas referendum, quadrupedibus ſimul & auibus expetitum. Haud ſcio ſi aliis regionibus quàm Germaniæ

Sporia. nota herba, Sporiam vel Spori vulgus vocat, caule pedali, aut cubitali altitudine assurgens, in multos ramulos brachiato, florem emittit candidum sine foliis; flos ad modum lini in folliculos matureſcit rotundos, semen continens minutissimum, rapacio non dissimile. Errare videntur, qui putant cytisum, cùm hic frutex sit, teste Dioscoride, folia habens fœnigræci, Sporia foliis careat; Neque semen respondet, etsi vsu non multum differat. Non alio pabulo Germanis lactis maior & copia & suauitas, butyrum è nullo lacte gratius, quàm hoc nutrimento collectum. Quare æstimatione propè hordeo aut frugibus æquatur semen, stramenta superant fœnum, paleæ plus quàm quæuis excrementa cereuisiæ, alunt pecora. Semen columbas maximè alit, & domesticas aues hyberno tempore. Seritur locis sabulosis ac facili terra, tota æstate, & quidem seminis habendi gratia vere serunt, quando & auenæ satio: Autumno autem & messis tempore seritur depascenda pecori. Seritur, sicut rapaceum semen, tribus tantum digitis, atque iterato

rato gressu, quo semel sparsum eodem fiat regressus. Agricolis sabulosa loca colẽtibus magno vsui, quare quamplurimum eius generis habere conuenit, quòd gallinis, apibus, ouibus, capris, bubus, & omni generi pecudum vtilissima expetitur. Lini satio & Cannabis restat. RIGO. Expecto. CONO. Hæc etsi neque inter frumenta, neque inter legumina referenda, nec denique inter pabula & hortensia: inprimis tamen harum cultura agricolis necessaria, nimirum sine quibus nulla domus vel exornetur, vel necessarius amictus suppeditetur homini, & in lanæ mollitiem contusa, lintearum texturis funibúsque intorquendis vsurpantur; Adde è tam paruo semine nasci, vt Plinius ait, quod orbem terrarum vltro citróque portet, quod Ægyptum Italiæ admoueat; herbam esse, quæ septimo die ex Gadibus Ostiam nos transportet. Linum, Græcis λῖνον, Italis *lino*, Gallis *du Lin*, Germanis eandem prope appellationem retinet, licet Germani linum semen Lein appellant, & stirpem Flachß. Herba vulgatissima mulierum operibus, caule te- Linum.

nui, à ſporia haud multum differens, niſi quòd procerior paulo, & caule craſſiore, foliis anguſtis, oblongis in faſtigio, floribus cæruleis, quibus decidentibus, folliculus naſcitur orbicularis, inſtar piſi, in quo ſemina continentur fulua. Gaudet pingui ſolo & modicè humido, nonnullis placet macro ſolo quàm ſpiſſiſſimum ſemen vno ſulco committi. Seritur vere, æſtate vellitur. norunt in Menapiis ac Iuliacenſium agro, vbi plurima eius fruticis ſatio, ante Maij initium ſerendum. Et ſunt qui tria ſationis tempora obſeruant pro cœli cõſtitutione: nam pluuiam & humores requirit. Maturitas intelligitur flauescẽte ac intumeſcente ſeminis folliculo: tum vulſum, & in manuales faſciculos colligatum, ſiccatur in ſole, conuerſis ſurſum radicibus, vt ſemen excidat. Aliqui ferreo pectine carminando detrahunt folliculos, atque iis ſole toſtis ſemen eliciunt. Faſciculi poſtea in aquam ſole tepefactam immerguntur, pondere aliquo depreſſi. Maceratorum indicium eſt laxatior membrana, iterúmque faſciculi diſſoluti, ſoleq; ſiccati

ſtupario

ſtupario malleo contunduntur. Inde membrana decorticatur, ferreisq; hamis pectitur: Iniuria enim ſemper redditur melius. Stuppa à lino diſtinguitur in ſuos vſus, & vtrunque in penſa & fila digeritur, particulatimq; tractum in glomos, telas ordiuntur magno hominum vſui. Poſtremò tela in aprico conſperſa ſubinde aqua albeſcit in nitidiſſimum candorem. memoria proditum, pulchriorem aliam veſtem fœminas Germanorum non nouiſſe. Hoc tempore è Sarmatia & Liuonia apportatur præſtantiſſimum, noſtrate & procerius & excellentius. Lini ſemen niſi magnus ſit eius in ea regione, quam colis, prouentus, & precium proritet, ſerendum non eſſe Columella ſuadet. Agris enim prçcipue noxium, quod & Virgilius notauit: Stuppa.

Vrit enim lini campum ſeges. &c.

Quare niſi mulierc ularum ſtudiis indulgendum, & maiori compendio arua ſegetibus conſerentur, & lintea ementur, maximè ſi agri iacturam, & impenſas filandi texendiq; æſtimes.

Cannabis, Græcis quoque κάνναβις Cannabis.

κάνναβος & Italis *canabe*, Gallis *chambure*, Germanis Hanff/ planta ferulacei generis, graui odore, ſimplici adoleſcit caule in tantam proceritatem, vt aliquando mediocres arbores æquet, plãta magnis in vita vſibus, & funibus ducẽdis, & telæ texẽdæ, crebris geniculatur nodis, è quibus ſurculi prodeunt foliis anguſtis mucronatis. A Dioſcoride & ſylueſtris & ſatiua pingitur folio fraxini, caulibus inanibus, graui odore, ſemine rotundo. Eſt duplicis generis. Mas exflos verſicolorium fert ſemen & oleoſum, fœmina albo flore ſterilitatem compenſat. In hortis aut aliis locis cultis ſeritur, vt Plinius cenſet, à Fauonio: apud nos ad finem Aprilis: nam frigoris impatiens eſt: Aliqui Arcturo oriente, hoc eſt, ad finem Februarij, aut initiũ Martij: Loca enim amat pinguia, ſtercorata & rigua, vel planũ & altè ſubactũ ſolũ. Pluuio cœlo improbè ſeritur. Quò denſior ſeritur, hoc tenerior prouenit. Quare nonnunquam ter conſpergitur. Etſi ſint qui in quadrũ pedẽ ſeri eius grana ſex tradant: at denſius ſerendũ, experientia docet. Cannabis fœ-

fœmina prius vellitur, mas poſt, maturo ſemine, vellitur, ac faſcibus in ordine deponitur, triduo quatriduóve aut amplius in aprico relictis. Poſtea in aquam pondere demergitur, ad dies octo aut decem, dum maceratur, ſicut & linum, dum membrana laxior ſentitur. Exempta inde in ſole ſiccatur, vt areſcat. Poſtremò ligneis machinis, quaſi mãdibulis confringitur, pectinatumq; filis funibusq; vſum præbet. E cannabe funes fiunt, & plagæ, ac retia & carbaſea vela, maximè autem ruſticę familiæ veſtibus & linteaminibus induſiiſq; vſurpatur. Semina quoque decuſſa, furnis ignibuſque alendis præbent vſum. RIGO. In Iuliacenſi agro & Galliæ quibuſdam regionibus vidiſſe memini herbam magno ſtudio à ruſticis cultam, tinctoriis vſibus vt ferebatur, deſtinatam. CONO. Sic eſt, Eam herbam Cæſar lib. 5. comment. belli Gallici, Glaſtum vocat, Græcis ἰσάλις ἥμερος, Itali *guado*, vulgus Gallorum *guadum & gueſde*, Germani Waid / qua lanarum infectores vtũtur, eſtque apud hos in magno precio, maximumq; quæſtum Menapiis, Iuliacenſibus, Glaſtum.

sibus, Turingis & plerisque regionibus affert, folia fert lapatho, vt Plinius testatur, non dissimilia. Dioscorides glastum satiuum & syluestre commemorat, & satiuum, quo infectores lanarum vtuntur, folio plantagini simile, verùm pinguiori: syluestre foliis lactucæ proximis, flore luteo. Ea herba tradit Cæsar Britannos corpora tingere solitos, vt terribiliores essent hostibus. Sationem & solum requirit, quale triticum, sed vehementer humum exhaurit atq; emaciat. Postulat pinguem & resolutam benéque pastinatam humum, quæ ligonibus magis quàm aratro vertitur ad huius plantæ sationem, runcatúrque diligenter. Seritur in Menapiis, Aprili mense, & vulgi obseruatione circa hebdomadem Paschę sacram. Quinto quoque sulco pinguedinem terræ, quam margam appellant, iniiciunt, euersæ terræ post semen immittunt. Runcare sedulò oportet. Vbi ad spithamæ, aut dodrantalem altitudinem excreuerit herba, florere non patiuntur, sed ferro in hoc parato ab radice resecant, lauantque, & ad molam deferunt, patiũturq;

turq; iterũ ſuccreſcere, idq; tertia atq; quarta meſſe. Poſt ſemini relinquitur. Viridem herbam truſatilibus rotis, ac trapetis, aut molis conficiunt premendo, vt liquorem herbaceamq; ſaniem eliciant, inde manibus in pilas atq; paſtillos ſubigunt glomerãdo, tabulatisq; exponunt exiccandos. RIGO. Magna me affeciſti voluptate audiendæ diſciplinæ mittẽdorum ſeminum, ſine quibus non ruſtica ſolum, ſed ne vrbana quoq; vita ſuſtinetur. Iam vero audire cupio rationem meſſis, quæ reſtat, agricolæ ſumma expectatio & laboris præmium. CONO. Pergam huius partis operam abſoluere. Cùm maturæ fuerint ſegetes, antequàm torreantur vaporibus ęſtiui ſyderis, qui ſunt vehemẽtiores per ortum Caniculæ, maturè demetendæ ſunt. Nam diſpendioſa eſt cunctatio, primùm quòd auibus prædam cęteriſq; animalibus prębet: Deinde grana & ipſæ ſpicæ, culmis & ariſtis arentibus, celeriter decidunt: ſi verò procellæ ventorum aut turbines inceſſerint, maior pars ad terram defluit; propter quæ procraſtinari non debet, Meſſis.

ſed

sed æqualiter iam flaueſcentibus ſatis, antequam ex toto grana indureſcant, cùm rubicundum colorem traxerint, meſſis facienda, vt potiùs in area & in aceruo quàm in agro grandeſcant frumenta. Conſtat enim ſi tempeſtiue deciſa ſint, poſtea capere incrementum: ſiquidem & creſcente luna frumenta grandeſcunt. Et plurimum refert, vendere an condere velis frumenta. Nam interlunio legenda, quæ vitio carere velis. Varro inter ſolſtitium, & caniculam meſſem faciendam ſcribit, quòd frumentum dicunt quindecim diebus eſſe in vaginis, & totidem florere, atque quindecim diebus exareſcere, cùm ſit maturum. Inter frumentorum legumínúmque meſſes prima fere rapacci ſeminis, & quia ſemen, cum ſiliquæ incipiunt flaueſcere, maturitatem indicat, celeriter demetendum: Cúmque faciliter effluat ſemẽ, plurimis locis in ipſis campis, area lęuigata, aut linteo cr[illegible]more ſubſtrato, ſtatim, vt demeſſum, excutitur: Sin importetur horreis, lintea plauſtris inſternenda, ne ſemen vehiculi quaſſatione excuſſum pereat. Ma-

Frumentũ 15. diebus in vaginis eſt & totidem floret.

Meſſis rapacea.

ximè hic, ſicut in omnium leguminum meſſe, cauenda & anteuertenda pluuia: nam ea ſuperueniente dehiſcunt folliculi. Mox à meſſe rapacei, ſi ſolũ euertatur, triticum faginum inſeri poterit, ita vt ex eodem fundo eodemque anno geminam meſſem exercere liceat. Rapacio proximè ſuccedit hiſce regionibus hordei hyberni meſſis, quæ cõſummanda eſt, antequam grana, arefactis ſpicis lapſa decurrant, quia nullis, ſicut triticum, folliculis veſtiuntur, & ſpicæ fragiles facilè decidunt. Hordei culmos iacere in agris aliquantulum ſinendum exiſtimant quidam, quòd hoc modo grandeſcere grana credantur. Inde ſequitur Cannabea meſſis: prius tamen, vt diximus ſupra, fœmina euellitur, atque in ſole pauliſper ſiccatur, inde manipulis colligata in aquam demergitur, ac pondere aliquo deprimitur, ne extra aquam emineat: poſtea mas quoque, ſemine maturitatem indicante, vellitur, ſiccaturque, & excuſſo flagellis ſemine, in aquam mergitur, dum cortex emolleſcat. Inde ſiccata in ſole, reponitur in faſciculos, hybernis lucu-

Hordei meſſis.

Cãnabea meſſis.

lucubrationibus confringenda, decorticatáque repurganda. Siligo vel ſecale, Iunio vel Iulio demetenda, atque mox triticum. Lex aptiſſima, antequam granum indureſcat, & cùm iam traxerit colorem: Oraculum verò, biduo celerius meſſem facere potius quàm triduo ſerius, vt Plinius tradit. In ſiligine non tantum periculum effluendorum granorum, quãtum in tritico: quæ matura cùm fuerint, etiam ventorum procellis excutiũtur. Quare cauendum, ne poſt maturitatem tardetur meſſis triticea: Etſi Plinius tradit triticum copioſius fieri, ſi ſerius metatur, ſed diſpendioſam eſſe cunctationẽ conſtat, primùm quod auibus prædam cæteriſque animalibus præbet, deinde quòd grana & ipſæ ſpicæ culmis & ariſtis arentibus celeriter decidunt, atque ventorum vi excutiuntur, cuius rei exemplum præbuerunt ventoſæ procellæ anni ſexageſimi ſeptimi ſupra ſeſquimilleſimum redemptionis.

Siliginea & triticea meſſis.

Hinc piſi & fabæ, viciæ, lenticulæ, prout citius ſeruntur, ſequitur meſſis: In quibus obſeruandum, vt in rapacio, ne de-

Reliquarum frugũ & leguminũ meſſis.

ne de messis pluuia superueniat, qua dehiscentes effluant, aut vento vehemẽtiore dissipentur. Postremò æstiua reliqua frumenta, veluti hordeum æstiuũ, panicum, milium, auena metuntur. Experimento discitur, resectæ auenæ vtilem esse pluuiam; hac enim grana intumescere & grandescere creduntur: quapropter aliquoties duabus tribúsue hebdomadis, & tantisper in agris resecta linquitur, dum pluuia conspergatur. RIGO: Metendi modum quem obseruatis? CONO: Varia metendi genera pro locorum regionumque varietate vsurpantur: Alij falcibus, quæ & pro vsus diuersitate variæ. His regionibus trium generum messoriis falcibus vtimur: Aut enim falce vtimur lunata, quam dextra tenentes secant stipulam secundum terram, sinistra autem vnco prælongo resecata conuoluunt, inque fasces contrahunt, atque hoc pacto triticum & siligo, & quicquid est frugum robustioris culmi demetitur. Alicubi in Iuliacensibus, vbi lætioribus campis frumẽta densius, & in maiorem proceritatem excrescunt, hîc prehensos ma-

Auenacea messis.

Metendi modi varij.

nipulos ſiniſtra,ac ſerratis ſeculis dextra reſecant, ſtipulam inferiorem longiuſculè agro ſtercorando relinquentes : Alij falce maiuſcula verriculata, longo manubrio, & ligneis quaſi cratibus denticulatis affixis, vtraque manu ſegetem abradunt, ſternuntque ordine plano in faſces conuoluendam colligandamque, quales ferè ſunt fœnariæ falces; atque his leuiores ſegetes demetuntur. Varro & Columella ac veteres, alios plures referunt modos metendi: Plinius & Palladius præter hominum labores vnius bouis opera ſpacium totius meſſis abſumi tradunt in Gallia ſolere, nempe valli prægrandes dentibus in margine infixis duabus rotis per ſegetes impelluntur, iumento in contrarium iuncto, ita vt direptæ in vallum cadant ſpicæ. Hunc morem in campeſtribus latifundiis & æqualibus vſurpari; Sed his regionibus hæc abſurda videntur. In metendo obſeruandum, vt ſecundo vento metatur; nam aduerſo metere, & oculis & manibus moleſtum eſſe Xenophon quoque animaduertit. Si calami breues ſint, tellure tenus reſecari

reſecari debent, vt aptiores ſint manipuli: Si oblongi medij ſeculis, vt diximus, quò expeditius & inuehantur & triturentur, & ſtipula remanens vel comburitur, Virgilij præcepto, vel putrefacta agro lætificando relinquitur: Aliqui quam longiſſimam ſeruant, tectis horreorum ſtabulorumq;, ac etiam ruſticis ædibus operiendis cum primis vtilem. Vbi fœni inopia, etiam pabulũ miniſtrat; hordei enim ſtipula bubulo pecori grata: Deinde omnis ſtipula ſubſtratui animalium vtilis. Demeſſam ſegetem mox in faſciculos colligere præſtat, etſi hordeum & auena & alia quædam frumenta perinde atque legumina in metas & aceruos cõgeruntur quibuſdam locis, ſed non ſine iactura & detrimento. Reſecta autem ſeges non protinus in horreum conuehenda, ſed exiccanda pro natura cuiuſque frumenti vel leguminis: Nam ſi nondum exiccata importetur, cumulata vel fatiſcit, vel incenditur, vel aliâs corrumpitur facilius. Auena & triticum faginum diutius relinquuntur, ſicut & lentes, piſa atque legumina, quia tardius

ſiccantur: Triticum autem citius inuehitur, niſi herbis immodicis ſit miſtum, quæ exiccationem remorentur.

A meſſe ſolũ inarandum.

A meſſe ſolum mox inarandum propter inutiles herbas, & vt terra futurę ſationi habilior reddatur. Seges autẽ demeſſa exiccatáque aut horreis aut nubilariis, aut metis conditur, & deinde per hyemem nocturnis lucubrationibus, & ſuo tempore vel pecudibus exterenda, vel flagellis excutienda, vanniſq; expurganda. RIGO. In Italia veterinis triturare videntur, quod de Græcis etiam Xenophon teſtatur. CONO: Et nos olim vidimus, & ſunt, qui equos malint quàm boues. Ibidẽ paleas quoque immiſtas vento ſeparant, adq; eam rem Fauonius putatur eximius, quem tamen operiri lenti eſſe agricolæ, Columella teſtatur. RIGO. Horreis vos video vti operoſioribus: qua ratione in his conſtituendis vtimini? CONO. Horreum ſic conſtituatur, vt commodè inuehi ſegetes poſſint, vndique clauſum, prętcrquam antica & poſtica, ita tamen, ne oſtia occidenti ſoli ſint aduerſa ſed potius Septentrioni & Orienti; Et

Horrei poſitio.

ab vtra-

ab vtraque parte areæ, fruges in ſuis quibuſque cellis & lacubus ſeparatæ reponantur, atq; ita, vt ad ſingulas aditus præbeatur, quando vſus poſtulat. Et quanquam ſupra aream quoq; fruges ſtratis lignis imponantur: in medio tamen vſque ad culmina horrei pateat, vt dictum, aditus, vt ab omni parte depromi poſſint trituranda. Quibuſdam locis in medio trochleam habent, per quam fune ductorio in ſublime & ad ſumma culmina frumentorum faſces ſubducantur. Apud Batauos pauca reperiuntur horrea parietibus vel ſepimentis clauſa, ſed in metas & aceruos reponuntur fruges, quaternis aut pluribus tignis paliſue veluti columnis in excelſum porrectis æquè diſtantibus, tecto penſili ſic impoſito, vt clauis paxilliſq; ligneis immiſſis atque exemptis & demitti & altius tolli poſſit, vt ſupra quoque indicatum. RIGO. Id genus horreorum aiunt non ita obnoxium muribus, & impenſæ minoris eſſe. CÓNO. Qualecunque ſit horreum, conſtituendum erit loco editiore, ne humoribus lædantur recondita. Malunt ſti-

Horrea penſilia.

pulis tegi aut culmis, quàm tegulis. Est autem pro modo agri frumentarij amplum ædificandum. Quidam, vt cati ac teles subire & mures venari queant, areolis lateritiis distinguunt solum, atque superstratis ligneis perticis segetes imponunt. Area bene compacta, sit, in qua frumenta vel flagellis excutiantur vel triturentur, quoties libet. Nam Messis ipsa alibi tribulis in area, alibi equorum gressibus exteritur, alibi perticis flagellatur, quod & Plinius tradit. Columella silice constratam probat, & veluti signinum opus, paniculis condensatam, quòd & celeriter frumenta hîc atterantur, non cedente solo pulsibus tribularum, vngularúmue iumentorum, & eadem euentilata mũdata sint, lapillisque careant & glebulis, quas per trituram terrena remittit area. Sed nos contenti terra bene subacta ac rasa, quæ confossa sit ad trituram habilis, permistisq; paleis cum amurca, si adsit, exterſa. Nam ea res à populatione murium formicarumq; frumenta tuetur, æquatam autem paniculis condensatámque sicut & solum horrei, &

Area.

rursum

rursum subiectis paleis inculcatam, siccandam relinquimus, Arcenda pecora & gallinæ, quæ solum vel calcando, vel scalpendo inæquale reddant. Vbi exiccata area indurverit, impositæ segetes flagellis excutiuntur, ac vannis repurgantur, etsi alicubi bestiarum calcatu triturare malunt, & iactu ad ventum, veteri more repurgare. RIGO. Iam verò vbi excussum frumentum, quo pacto conditur, vt à curculionibus sit tutum? CONO. Granaria, quibus frumenta iam excussa & repurgata condi debent, sublimia esse conuenit, vt perflentur vento ab exortu, & Septentrionis regione, ad quæ nulla aura humida è propinquis locis aspiret: Nam positio cæli maximè frigida, & minimè humida, vtraque conditis frumentis perennitatem afferre creditur. In Hispania & Apulia, calidioribúsque regionibus, non à lateribus, per fenestras solùm, sed etiam subtus à solo, vento respiranti datur aditus. Quidam granaria habent sub terris, vti speluncas, exhaustáque humus editos à se fructus recipit, Syros vocant. Horum vsum in

Granariorum cura.

Syri.

Hiſpania & Carthagine eſſe prodit Varro. Noſtris quoque regionibus, & vini & frumenti apothecas ſubterraneas reperire licet. In regionibus, quæ abũdant vligine, magis conueniunt granaria pẽſilia, & ſuperioribus ædium cõtignationibus, adhibita cura pauimentorum ac parietum. Porro cum curculionibus & ſimilibus beſtiis obnoxia ſint frumẽta, niſi diligenter reponãtur, celeriter abſumuntur, Quare conuenit parietes luto, cui pro paleis pili ſint admixti, deinde argilla alba intus & foris obducere: poſtremo cucumeris ſyluęſtris radices & folia ad biduum aqua macerata, & ſi cum aqua calcem arenariam ſubegeris, inde internas granarij partes oblinere licet. Etſi Plinius calcem frumentis inimiciſſimam eſſe tradit. Quidam calci pecorum vrinam admiſcent, vt quæ hæc animalia necare putetur: Vel folij ſemperuiui, vel abſinthij, vel lupuli, maximè, ſi adſit, amurca, ad omnia animalia necãda prodeſt. Sũt qui huius loco ſalſugine arengarum vtantur. Ad eum modum parietibus & pauimento adornatis & ſiccatis, frumen-

Aduerſus curculiones remedia.

frumentum ſi inferatur, à curculionũ, aliorumq; ſimilium noxiorum animalium iniuria defendi arbitrantur. Sunt qui Conyzam ſemifrigidam ſubſternant frumento. Strabo frumẽtum chalcidica immixta ſeruari ſcribit. Alij certiſſimum eſſe remedium: ſi ſubinde ventilentur fruges in area, & quaſi refrigerentur, Cæterum id falſum eſſe affirmat Columella: neque enim hoc pacto expelli animalia, ſed miſceri totis aceruis; qui ſi maneant immoti, ſummis tãtum partibus infeſtantur: quoniam infra menſuram palmi non naſci curculionem, lõgeq; præſtare id ſolum, quod vitiatum eſt, quã totum periculo ſubiicere; nam cum exigat vſus, facilè eo ſublato, quod vitioſum erit, integro inferiore vti. Experientia tamen nos docemur, curculionem nullo magis remedio expelli, quàm frequenti agitatione ac ventilatione, præſertim æſtiuo tempore. Poſt biennium negant infeſtare frumenta. Sed fatigo te longius circũducendo. Si libet, reuertamur domum.

RIGO. Si tibi ſic videtur. Alioqui mihi voluptati eſt obambulanti, de agrorum

disciplina te audire differentem. Hiccine pascuos agros video? atque in iis nitentes boues atque equas cum pullis exultantibus? CONO. Sic est: pascuum agrum sepimentis, veluti classibus, distinctum suo cuiq; pecudum generi tribuimus. In proximis pascuis boues pascuntur ad saginam, deinde equi cum matribus ac pullis. Reliqua anniculis bimisque iuuencis atque equuleis destinata. Quæ in Valle conspicis prata, ea fœnisecciis seruantur. At proximis villæ huic alũtur lactantes, quæ quotidie ter veniunt ad mulctraria vaccæ, atq; ideò in propinquo eas pasci cõuenit. Quanquam & eorum animalium, quæ longius pascuntur, quotidie curam habere, & semel ac iterum inuisere necesse est, vt si quod fortè ægrotare incipiat, curetur. RIGO. Vbi semel tibi molestus esse cæpi, non acquiesco, quin omnem agri tui philosophiam cognoscam. CONO. Nihil prorsus mihi molestiæ hoc est, imò, vt ante quoque professus sum, recreat me harum rerum commemoratio; hîc enim in mea videor esse arena. RIGO. Ne igitur pigeat pascuorum,

De pascuũ agris, & pratis.

prato-

pratorumque & fœni tractandi rationem declarare, cùm harum rerum cura maximè videatur cum agro frumentario habere communitatem: & quia interdũ quoque inarari ſolent, videtur hæc pars culturæ adhuc explicanda CONO. Equidem lubens hac quoque in re tibi, quantum in me erit, parebo. Ac verò quia de frumentario agro ſermo habitus eſt, non incongruè ſubiicitur pratorum diſciplina. Et quanquam Cato alicubi primas tribuit viti, Veteres tamen alij in agricolatione primas ferè concedunt pratis, nimirum quorum cura facillima, quaſi protinus parata nomen retinent, authoritate Varronis, & neque laborem neque impenſas deſiderant, nec denique tempeſtatibus affliguntur, ſicut aliæ partes ruris, niſi quòd ea quæ in inſulis & ripis fluuiorũ ſita, inundentur aliquoties. Id incommodi compenſat limus ex illuuie ingeſtus, ipſa prata exhilarans, certiſſimos reditus ſingulis annis præbens vel paſcendo vel fœno cuehendo. Pratorum apud nos & aliis quibuſdam locis promiſcuus eſt vſus, vt tam paſcendis pecudibus

Prata quaſi parata.

Pratorum ratio.

dibus quàm fœniſecio deſtinentur ; & viciſſim modò paſcunt, modò fœno ſecando ſeruantur, maximè iis locis, vbi ſolum durius, neque ſua ſponte lætum, ſed ſiccaneum eſt, neque nimio humore madens. Id paſcuis malunt attribuere, vt iumentorum ſtercoratione lætificetur, quod fœniſecio crebriore muſco obductum & exoletum. Humidiora autem prata & rigua, fœno ſunt accommodatiora. Columella pratorum duo genera commemorat, quorum alterum ſiccaneum, alterum riguum. Læto pinguique campo non deſiderari influentem riuum, meliuſque haberi fœnum cenſet, quod ſuapte natura ſuccoſo gignatur ſolo, quam quod irrigatum aquis eliciatur : Quæ tamen ſunt neceſſariæ, ſi macies terræ poſtulat: nam & in denſa & reſoluta humo, quamuis exili, pratum fieri poteſt, ſi facultas adſit irrigandi. At nec campus concauæ poſitionis, nec collis præruptæ eſſe debet : ille, ne collectam diutius contineat aquam, hic, ne ſtatim præcipitem profundat. Proinde mediocriter accliuis præſtat, ſi pinguis, aut mediocriter riguus ſit: Maximè

ximè probatur planities, quæ exiguè prona, non patitur diutius imbres aut influentem aquam resídere, aut si qua superueniat aqua, lētè prorepat. Quod si palus in aliqua parte subsidens restagnet, sulcis deriuanda est. Quippe & abundantia & penuria aquarum æquè obest pratis. Optimè conuenit, si prata siccanea & exili loco è propinquo vel riuo vel stagno ductis incilibus irrigari, quoties libet, possint. Breuiter, cultus pratorum maiorem curam quàm laborem requirit. Primùm, ne stirpes aut spinas maioriſque incrementi herbas innasci patiamur, atque alias, veluti rubos, virgulta, iuncos per autumnum ante hyemem, alias per ver euellamus, vt intyba ac solstitiales spinas atque carduos. Suem quoque non immittendam in prata, quoniam rostro suffodiat, & cespites excitet: Neque pecora maiora, nisi cum siccum solum est, quòd vngulis conculcant & demergunt gramina, atque herbarum radices atterunt, nec sinunt serpere ac condensari. Macriora & pendula loca hybernis mensibus maximè Februario, luna crescente,

fimo

fimo iuuanda ſunt, omneſque lapides, & ſi qua obiacent falcibus noxia, colligi debent, ac longius exportari, ſummittíque pro natura locorum aut temporius aut ſerius. Sunt etiam quædam prata, ſitu vetuſtatis, obducta veteri vel craſſo muſco, quibus mederi ſolẽt agricolæ ſeminibus de tabulato ſuperiectis: Vel ingeſto ſtercore maximè colũbino: Nihil tamẽ ęquè proderit, quàm ſi cinerem ſæpius ingeras: ea enim res muſcũ enecat, attamẽ ſegniora ſunt iſta remedia, certiora autem, ſolum de integro exarare: ſiquidẽ ager poſt longam deſidiam lætas afferet ſegetes. Verùm vbi exaratus fuerit, ſerius vel paſcuis vel fœniſecio vtilis: Vix enim intra triennium aut quadriennium ad priſtinam graminis fœcunditatem redit. Proſciſſum autem, ſi rurſum paſcere velis, auena conſerito, ſolumq; crate inducta bene coæquato, grumos diſſipato; ſunt etiam ex pratis lapides eiiciendi, necubi fœniſecæ ferramentum poſſit offendi: auena enim herbarum plurimum creat. Aliqui fœniſemen vel florem è fœnilibus atque ex præſepibus dilapſum ſpar-

Muſcus qua arte necatur.

gunt

gunt prius quàm cratiantur. Sunt qui ſeneſcentibus pratis fabam ſerant, vel rapum, vel milium: & ſequenti anno frumentum, ac tertio anno rurſum in prata relinquant. Cauere oportet, ne reſolutæ humo riuos inducas, ante quàm conſpiſſatum ſolum ſit, quoniam impetus aquarum proluit terram, nudatisque radicibus non patitur herbas coaleſcere; propter quod nec pecora immittenda: altero tamen anno minora pecora tolerari poterunt poſt fœniſecia, ſi modò ſiccitas & conditio loci patiatur. Tertio autem anno poterit & maiora pecora recipere. Quod ſi cliuoſus locus ſit macrior, poterit ſuperior ſtercorari menſe, vt dixi, Februario, immiſtis ſeminibus fœni: editior enim cliuus præbet etiam ſubiectis alimentum, vel imbre, vel manu factis riuulis, deducentibus ad inferiora, vt ſuprà de ſtercoratione frumentariorum agrorum admonuimus. Porro ſi nouella inſtituere libeat, & loci deligendi eſt facultas, eum obſeruabimus, qui pinguis, roſcidus, planus vel leniter inclinatus: vel huiuſmodi vallem deſignemus,

Prata nouella quomodo facienda.

mus, vbi humor nec ſtatim præcipitari cogitur, nec diutius immorari. Nec luxurioſa pabula ſemper ſunt pinguis ſoli indicia. Nam quid, inquit Plinius, laudatius Germaniæ pabulis? & tamen ſtatim ſubeſt arena tenui ceſpitum corio. Nec ſemper aquoſa eſt terra, cui proceritas herbarum. Nam & Heluetiarum alpes fœcunda præbent iumentis pabula: Eximia paſcua Danubij ripæ præbent in Pannonia: & Rheni, maximè circa oſtia in Batauis, item Friſiæ ac Flandriæ. Cæſar Vopiſcus campos Roſciæ dixit ſumen Italiæ, in quibus perticas pridie relictas gramen operiret. Poterit & ſoluto & gracili loco pratum inſtitui, ſi rigari queat. Extirpandus igitur ager à Septembri aut Octobri, liberandusque impedimentis omnibus, atque herbis lętioribus ac virgultis. Deinde cùm frequenter excitatus & multa aratione reſolutus fuerit, ſubmotis lapidibus & glebis vbique confractis, ſtercoretur luna creſcente, recenti lætamine. Ab vngulis pecudum ſeruetur intactus, & cætera obſeruentur, quæ ſupra commemorata. Repurgetur & à ſtirpi-

Sumen Italiæ.

bus

bus inutilibus & noxiis, ac ſi quid aliud ſit, quod paſcuas herbas impediat. Tumuli quoque terræ talparum cuniculis egeſtę, excrementorúmue aut equinorum aut bouinorum, ligone diſſiciantur, quæ ſi relinquantur, formicis aliiſque noxiis animalibus latebras pariũt, vel inutilium herbarum ceſpites gignunt. Prata per brumam, maximè autem iam Martio appropinquante, locis temperatis cuſtodienda, & à pecore vindicanda, purgandaque: ſi macra, ſparſo lætamine ſaturentur, quod eiiciendum eſt luna creſcente; nam quantò recentius, tantò plus nutriendis herbis valebit: quod à ſuperiori parte fundetur, vt ſuccus eius per totum dilabi poſſit. Herbam optimam vel paſcuis vel fœno producendo, trifolij, proximam graminis, peſſimam minmuli, vt Plinius exiſtimat, & equiſeti atque fruticum craſſiorum. RIGO. Quonam indicio exploratur fœnum maturum, & quando ſecandum? CONO. Secandi tempus, cùm ſpica defloreſcere cœperit atque roborari, ſecandumque antequam exareſcat. Cato fœnum, inquit,

Herba optima.

Secãdi fœni tempora.

M ne ſerò

ne serò seces : priusquam semen maturum est, secato: demetitur optimè antequam inarescat: nam & largius percipitur,& meliorem cibũ pecudibus prębet. Quidam pridie rigant, vbi nõ sunt rigua: Noctibus roscidis melius secari aiunt. RIGO. Secandine fœni eadem ratio quæ segetis? CONO. Magna ex parte eadem: Alij falcibus breuibus dextra,& vna manu secant, nos verò maioribus falcibus vtimur, vtraque manu secantes, quemadmodum & superius diximus, auenam & segetes quasdam rariori culmo resecari; falcis aciem vel cotibus vel assulis arena imbutis excitant. Reciſum fœnum ad solem vertere diligenter oportet, & non nisi siccum in aceruos componi. Quod si pluuia infusum fuerit fœnum,conuerti non debet ante, quàm pars eorum summa siccata sit. Est autem modus in siccando, vt neque peraridum, neque rursus viride colligatur: alterum, quod omnem succum si amisit, stramenti vice sit, alterum, si nimis viride, neque satis exiccatum in metas aut in fœnile mittatur, putrescit, atque sæpe incalescens vapor flam-

Fœni præparandi ratio.

flammam creat & incendium. Quod si iam recens resectum fœnum imber occupat, id si non moueatur, non tam citò perit; semel autem euersum subinde oportebit mouere, alioqui corrumpitur. Proinde superiorem partem patiemur sole aut vento bene perflari atque exiccari, ante quàm conuertatur, siccatum autem coartabimus in striam, & ita in manipulos colligatur. Certè quod siccatum, in metas extrui conueniet, easque ipsas in angustissimos vertices exacui: sic enim cõmodissimè fœnum defenditur à pluuiis. Quæ etiamsi non sint, non alienum tamen est prædictas metas facere, vt si quis humor herbis ineſt, exudet atque excoquatur in aceruis. Quapropter prudentes agricolæ, quamuis iam illatum tecto, non ante componunt, quàm per paucos dies tenuere congestum, vt in se concoqui & deferuescere patiantur. Metitur autem plurimùm bis fœnum quotannis, Maio vel Iunio, & Autumno, Vernum fœnum præstantius ducitur. Desectum vere vbi fuerit, rursum rigari prata debent, si detur humoris facultas, vt rur-

ſum metatur autumnale fœnum, quod
Cordum. Cordum appellatur. In Vmbria quater ſecari proditum, etiam non rigua prata. Plæriſque aliis locis ter; Medicam ſexies per annum metere licebit probè curatam: A fœniſecis hæc ſecatur melius, cùm incipit florere; nam in ſemen matureſcere prohibendum, ſiccataque digeritur in faſces, qui ad trimatum ſeruantur magno rei pecuariæ cõpendio. Sed quia de medica ſuperius diſſeruimus, nihil attinet ſemel dicta repetere. RIGO: Ampliſſimam diſciplinam commemoras agriculturæ, quæ profectò ſedulitatem aſſiduamque dili-
Diligentiæ ruſticę exemplũ. gentiam poſtulat. CONO. Diligentiam & labores poſtulat, interim operam & impenſam non ſine fœnore compenſat, cuius rei exemplum Plinius refert. C.
Creſini Furij agricolæ diligentia. Creſinum, cùm in paruo admodum agello largiores multò fructus percipe-ret, quàm vicini ex ampliſſimis, in inuidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quare à Curuli Sp. Albino in ius vocatus, metuens damnationem, cùm in ſuffragium iri oporteret, Inſtrumentum ruſticum omne in

forum

forum attulit : adduxit quoque filiam validam, & ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderosos, boues saturos, dicens: Veneficia mea hæc sunt. Nec possum ostendere aut in forum adducere labores & vigilias ac sudores. Omnium sententiis est absolutus : Sed nimis te longa narratione contineo circa rem meam rusticam: domum repetere tempus nos iubet. RIGO: Placet, si vnum impetrauero, quod vbi veluti coronidem adieceris, amplius molestus nõ ero. CONO. Quid istud quæso? RIGO. Agrum aut villam si quis mercari aut locare velit, quid huic obseruandum maximè sit: nam te existimo haud dubiè eius rei obseruationes tenere. CONO. Ischomachus apud Xenophontem refert à patre se edoctum, ne vsquam agrum emeret splendidè & benè cultum, sed qui ob domini vel inertiam vel inopiam incultus neglectusque esset, & tamen melius coli posse videretur: Sicut equum macilentum potius quàm nitidum emere conuenit, si modò senecta non sit grauis, & cætera adsint boni equi signa. Benè cul-

Agri mercandi cautio.

tus ager magno vænit & exigui fructus eſt. Quare ſimilem voluptatem non afferet, nec vtilitatem, atque ille, in quo ſpes eſt, vt cultu melior reddatur. Cato in agro mercando duo præcipua inſpicienda ſuadet, alterum loci vbertatem, alterum ſalubritatem cæli, quorum alterum ſi deſit, ac nihilo minus emere quis aut incolere velit, hunc inſanire ille iudicat, atque ad agnatos & gentiles deducendum; de vtroque nonnihil ante attigimus: Neminem enim ſanæ mentis ſumptum facere debere in cultura ſterilis agri, nec rurſus in peſtilenti quantumuis feraciſſimo agro ad fructus peruenire dominum: Vbi enim cum orco ratio ponenda, ibi non modò perceptionem fructuum, ſed & vitam eſſe dubiam, vel potius mortem quæſtu certiorem. Poſt hæc duo principalia, vt teſtatur Columella, ſubiungebat Cato, non minus hæc tria, quæ ſequuntur, intuenda, viam, aquam, & vicinitatem. Multum agris conferre iter commodum, primùm quòd aduenturum ſubinde dominũ non deterreat, deinde ad vehenda & exportanda vtenſilia

Cum orco rationem non ponendam.

Iter agro. rina.

non

non impeditum, quæres frugibus perceptis auget precium, & minuit impensas. De aqua quis dubitet? sine qua nemo noſtrûm vel proſperæ vel aduerſæ valetudinis vitam proroget. Vicini rationem maximam haberi voluit. Heſiodus inquit, πῆμα κακὸς γείτων. Quapropter plæroſque ſcio vicini tædio optima prædia atque adeo χρύσεια χαλκείων permutaſſe, quòd vel furaces vel abigeos & contentioſos nacti vicinos, & qui pecora iumentaque negligentius paſci, ſegetes & vicina paſcua violari, vineas vaſtari ſinerent, ſyluas vicinas ſuccciderent, diriperent & furarentur vicini facultates, vel de finibus rixarentur, vt nuſquam ab illorum iniuria tuti eſſe poſſent: Aut Cacum, Pyrgopolynicen, aut Centaurum ſortiti, qui nullum non iniuriæ genus inferre prætermitteret impunè: Certè M. Porcius huiuſmodi peſtes in vicinitate vitandas cenſuit. Ego certè in hoc fortunatus, quòd bonos vicinos habeam, à quibus nihil metuam. RIGO. Tu ea es auctoritate, vt nec audeant. CONO. Hos tamen quoniam ſæpe vel mors vel alij caſus mu-

Aquæ ratio.

Vicini ratio.

tant, non adeò est hac in parte ager, si cætera adsint, vitandus, nisi vel situs sit in diuersarum ditionum confinibus, aut hostium incursibus obnoxius. Sunt etiam, qui viarum rationem, vel fluminis vel magni alicuius oppidi propinquitate agrum commendent, quibus fructus agri minimis impensis ad forum deportari ac distrahi queant. Quare Veteres etiam ad militarem viam villam poni noluerunt: ne prætereuntium populationibus, & diuertentium hospitum incommodo res familiaris infestaretur, vt supra de villæ positione dictum. In locando verò animaduertenda, quæ superius de villico & operis diximus, vt in vniuersum iis agrum committat, de quorum industria, labore & probitate constet: Deinde vt auarius opus exigat quam pensionem, Quoniam & minus id offendit, & tamen omnino plus proderit: Nam vbi sedulò colitur ager, plerunque compendium, nunquam verò detrimentum percipitur, nisi cæli maior vis, quam Iurisconsultus negat colono damnosam esse debere, aut prædonum hostiumque incursus

Via villæ.

Locandi ratio.

Opus auarius quàm pensionē exigendū à colono.

curſus inceſſit, eoque remiſſionem petere colonus non audeat. Sed nec dominus in vnaquaque re, cui colonum obligauerit, tenax eſſe iuris ſui debet, ſicut in diebus pecuniarum, aut lignis & cæteris paruis acceſſionibus exigendis, quarum cura maiorem moleſtiam quàm impenſam ruſticis affert, vt Columella docet. Nec ſanè eſt vindicandum nobis, quidquid licet: nam ſummum ius ſumma ſæpe iniuria. Nec rurſus in totum remittendum, quoniam vel optima nomina non appellando fiunt deteriora. Atqui penſionem annuam ſemper ſi colonus negligat ſua ſponte perſoluere, proderit exigere, neque in ſummam excreſcere: ea enim res & colonos negligentiores reddit, & ſæpe perdit. Non etiam facilè mutandos veteres colonos, cum quod fundi naturam teneant melius quam noui, tum propter merita. L. Voluſium dixiſſe ferunt, eum feliciſſimum fundum patrifamilias eſſe, qui colonos indigenas haberet, & tanquam in paterna poſſeſſione natos, eoſque iam inde ab incunabulis longa familiaritate retinendos.

Colonorum ratio.

Optima nomina non appellando deteriora fieri.

Colonorum mutatio noxia.

L. Voluſij. dictum.

Ita res sanè est: noxia frequens colonorum mutatio. Quapropter eam consuetudinem non improbo, quòd ad vitam coloni eiusque vxoris, aut etiam alicuius hæredis elocetur prædium certa pensione annua persoluenda, ita vt ipse colonus, quandiu pensionem præscriptam persoluerit, ac fundum cum ædificiis sartum tectũ præstiterit, amoueri non possit: siquidem hac ratione coloni inuitantur ad fundum diligentius colendum & ædificia instauranda, ac denique prædia non aliter ac propria curanda: sæpe etiam sua patrimonia in ea impendentes. Maximè autem hæc ratio conuenit elocandi, vbi fundus eluuioni fluminis, maris, aut alterius periculo expositus, vt colonus omne periculum sustinere cogatur. Præstat hîc quoque, vt elocetur opulentiori alicui, quàm inopi, qui iacturam ac periculum tolerare non queat, nec prædium sartum tectum præstans, pensione non soluta, solum vertat. In iis autem locis, ad quæ est facilis domini excursus, poterit per suos ministros aut colonum partiarium colere. Vbi verò longius dissita

prædia

prædia, hic præſtiterit certa penſione locare, conceſſionibus ante dictis: nam ſi procul diſſita per proprios ſeruos colas, ij negligentius pecora paſcunt, nec induſtriè terram vertunt, neque à furibus cuſtodiunt, ſed ipſi potius diripiũt, longeque plus ſeminis & impenſarum imputant, quam opus ſit, nec denique cætera rectè diligenterque ſatis curant. In locando ſtipulari ſolẽt, ne materiam ſine domini conſenſu cædat colonus: Neue paſcuum agrum in ſeminarium vertat; quantum agri hybernis, quantum æſtiuis frumentis, quantum pabulo tribuendum ſit, quantum denique intermittendum & ſtercorandum. Habes iam omnia propè noſtræ diſciplinæ & præcepta & obſeruationes. RIGO. Magna me certè voluptate affeciſti agri tui ſeminarij ſimul & paſcui explicatione.

Stipulationes in locando fundo.

Finis Libri primi.

LIBER

LIBER SECVNDVS

DE HORTIS ATQVE PLANTIS.

PROPTER affinitatẽ plantarum cum frugibus, & quia eadem propè cura, appositè post primum librum de frugibus, sequens hic hortensibus plantisque curandis destinatur liber. Virgilius hanc partem de hortorum cultura prætermisit. Alij tamen aliquot & veterum & recentiorum, nõ indiligenter, sed sparsim tamen & confusè hoc argumentum tractarũt. Quorum sententias simul & nostras obieruationes huic libro inserere placuit. Porro dubium non est, quin sit plurimus & antiquissimus hortorum colendorum vsus, cum & Noë vitem plantarit: Genes. 9. v. 20. & Abraham arbores.

Hortorũ cultura vetustissima.

Genes.

Geneſ. 21. v. 33. & Homerus Laërtem ſenem ſcribat horti ſui cura abſentis filij tædium fallere ſolitum. Xenophon Cyrum, tantum regem, ſua manu arbores conſeuiſſe, atque in quincuncem redegiſſe, paradiſosque celebratos tradit. Q. Curtius Abdolominum commemorat ex hortulano ob egregiam virtutem in regem Sidoniorum prouectum. Neque abs re huius diſciplinæ cura habita, quòd non ad voluptatem ſolùm ſpectet, verum etiam ad vtilitatem rei familiaris augendæ, & quo victus quotidiani ſumptus lenire liceat, aduenientique domino inemtas dapes ruris miniſtret. Ac verò cum parcior eſſet apud priſcos frugalitas, Columella teſte, largior tamen pauperibus fuit epularum vſus, lactis copia, & domeſticorum pecorum carne, velut aqua frumentoq;, ſummis ac humillimis victum tolerãtibus. Mox cùm poſteritas ſplendidioribus atque longè petitis dapibus pretia conſtituerit, cænæq; non naturalibus deſideriis, ſed quòd magno cõſtarent, æſtimari cœperint, plebeia paupertas ſummota à precioſioribus cibis,

ad

ad vulgares compellitur: Hinc horti coli cœpti, quibus pauperrimus quisq; culinam instruere, & quasi alteram succidiam promptam habere posset: Ex horto plebeij macellum habent, quanto innocentiore victu? Diligentes hinc æstimabantur agricolæ prisci, & sic statim faciebant iudicium, nequam esse in domo matremfamilias, (etenim hæc cura fœminæ dicebatur) vbi indiligens esset hortus; quippe è carnario aut macello viuendum esse. Nec caules, vt nunc, probabant, damnantes pulmentaria, quæ alio egerent pulmentario. Id erat oleo parcere: Nam carnis desideria etiam erant in exprobratione. Horti maximè placebant, quia non egerent igni, parcerentq; ligno: expetita res & parata semper: vnde & acetaria appellabantur: facilia concoqui, nec oneratura sensum cibo, & minimè accenderent ad desiderium panis. Pars eorum ad condimenta pertinens, fatetur domi, (vt eleganter tradit Plinius) versuram fieri solitam, atque non Indicum piper quæsitum, quæq; trans maria petitius: Non me Lucrina iuuerint Conchilia,

Hortus altera succidia.

Hortus ne giecti' nequam matrisfamilias indicium.

Acetaria.

Plin. lib. 21 cap. 4.

chilia, vt argutè Lyricus poëta canit. Quare vt honos his adderetur, neque vilitas rebus auctoritatem adimeret, cognomina procerum inde nata, Lactucinoſq; in Valeria familia non puduit appellari. Antiquitas plurimum admirata eſt hortos Heſperidum, & regum Adonis, & Alcinoi, quos præcipuè Homerus celebrat, Item penſiles hortos, ſiue illos Semiramis, ſiue Aſſyriæ rex Cyrus fecerit. Primus Epicurus traditur hortos in vrbe Athenis inſtituiſſe: vſque ad eum, moris non fuerat in oppidis rura haberi.

Lactucinorum familia.

Porro cùm fortè Thraſybulus in negotiis principis ſui ad Marium diuertiſſet, atque ab eo in hortum, quem elegantiſſimè inſtructum habebat, inter ſpirantium atque arridentium vndiq; herbarũ areas pergulaſq; ductus eſſet: Quàm, inquit Thraſybulus, omnia blandiuntur hic, quàm eleganter hunc tuum paradiſum vndecunq; omnibus voluptatum architecturis exornaſti? Exedræ quoq; cum vniuerſa domo, ac periſtyliis intus ac foris elegantiſſimorum florum arborumq; picturis exornatæ,

Dialogiſtę Thraſybulus. Marius. Iulia.

natæ, vt non ſolum æſtate in viuis floribus, verum etiam media bruma oculos paſcere, & in altero depictum florem cum viuo certantem, in altero artificium naturæ, in vtroq; Dei immenſam benignitatem cõtemplari liceat: Adde quod ambulacra frõdibus cõcamerata inambulantibus vmbram præbeant, & quoties pluuia ſuperuenit, ad periſtyliorum tecta confugere poſſis. Inprimis autem limpidiſſimus riuulus hortum cingens, gratiam amœnitatemq; præcipuam affert: Cui accedunt ſepes illæ, viuæ ſimul & virore iucundæ & munitionis ratione, non magna opera ab incurſu hominum pecudumq; defendẽtes. Taceo quàm artificiosè herbæ in ſuas claſſes diſtinctæ, vt holera & culinaria, à voluptuariis & medicis herbis diſtincta, ſuis quæque areis ac reſupinis puluinorum foris ſingulis tramitum ſulcis ambiantur, vt pomarium ab his omnibus cum ſeminario in quadrum redactum atq; ſeiunctum, arbores ſcitiſſimè in quincunces ordines redactæ. In hac tanta amænitate, amabo te, mi Mari, de hortenſium philoſophia, qua te

Diſtinctio hurti.

qua te instructum esse declarat hic tuus amœnissimus hortus, nobis disserere non graueris. Vtere humanitate ea, qua Cyrus erga Lysandrum, horti sui culturam explicans, vsus. MAR. Age igitur, quando sic iubes, me quoque de horti disciplina garrientem audies, sed non tanta voluptate, quanta ego tibi de villa agroq; tuo administrando auscultaui. TRAS. Immo cum maxima expectatione simul & voluptate. MAR. Age igitur consideamus paulisper in hoc topiario: mox iterum inambulabimus, quieturi quoties libet. Interim Iulia cœnam adornabit.

Principiò sicut de villæ loco deligendo dictum, sic ab horti sede nobis erit auspicandum. Est autem hortorum varia ratio: nam alij ad villam collocãtur, alij in suburbiis, aut seorsum, aut in vrbibus deliguntur: omnes conuenit domui esse propinquos, si locus permittit, ita tamen, vt in villa, areæ non subiaceant, ne per trituram paleas aut puluerem venti in eum perferant, & vel sterquilinio subiectos, vt eius succo sponte fœcundentur, vel loco præcipuè Horti locus.

pingui, quiq; adueniente riuo, vel si nõ sit aqua fluens, fonte puteali possit irrigari. Felix positio, cui leniter inclinata planities, cursus aquæ fluentis per spacia discreta deriuat: Riguos enim in primis oportet esse hortos, si minus profluo riuo, imprimendus est puteus, atq; indidem pertica, organisq; pneumaticis, vel telonum, siue tollenonum haustu rigandi, vt certam perennitatis puteus habeat fidem, Columella tum demùm effodiendum suadet, cùm sol vltimas partes Virginis obtinebit, hoc est, mense Septembri, ante æquinoctiũ autumnale: siquidem tum maximè exhalorantur vires fontium, cùm ex longa siccitate ęstatis terra caret humore pluuiali. Aut si hoc nequeas, piscina superius construenda, vt illinc aquas pluuia conferente, hortus per æstiuos rigetur ardores. Vbi neq; natura loci, neque manu illatam, neq; suæ spontis aquam ministrari patitur, nullũ quidem aliud remedium, quàm hyemales pluuiæ: Si hac quoq; facultate destituaris, semper altius tribus aut quatuor pedibus ad pastini similitudinem fodies hortulum, qui

Hortus riguus sit.

Putei fodiendi ratio.

qui ſic cultus negligat ſiccitates. Vbi copia rigandi, ſatis erit non alto bipalio, id eſt, minus quam duos pedes ferramento nouale conuerti. Illud obſeruandum in hortis, quos humoris natura non adiuuat, vt diuidas per partes, & hyeme ad meridiem, æſtate ad Septenttionem ſpacia colẽda conuertantur. In loco horti, ſicut & in agro deligendo, animaduertendum, ne bonum naturalis fœcunditatis colentium inertia deprauarit. Aquarum diſcrimen habendum. Vtiliſſimas frigidiſſimas Plinius cenſet, quæq; potu ſuauiſſimæ: Minus vtiles è ſtagno, & quas elices inducunt, quoniam herbarum ſemina inuehunt. Præcipuè tamen imbres alere, nam & beſtiolas innaſcentes necari Plinius tradit. At quibuſdam ſalſæ aquę conueniunt, veluti raphano, betæ, rutæ, cunilæ, quibus ſalſas perhibent peculiarem eſſe medicinam: quæ & alioqui plurimum ſuauitati & fœcunditati conferant: Cæteris dulcium aquarum rigua proſunt. Ac quoniam de rigando dicere cœpimus, hoc loco adiiciemus, non iam ardente ſole, ſed horas rigandi

Hortus aqua deſtiturus quo pacto fodiendus.

Hortuli quando rigandi

esse matutinam & vespertinam, ne inferuescat aqua sole: Ocymo tantùm meridianam etiam conuenire rigationem. Satum celerrimè erumpere putant initiò feruenti aqua aspersum.

Sepimẽta hortorum.

Audiuisti, præcipuè in horto instruẽdo aquam requirendam, qua irrigetur. Secundum est, vt muniatur ab iniuria vel hominum petulantium ac furacium, vel bestiarum, ne & herbis & plãtis, atque adeo fructibus insidiantes & voluptatem & laborem interturbent ac frustrentur: Siue enim pecora prærodant, siue hominum manu contrectentur sæpius, seminum id & plantarum incrementum remoratur. Conuenit igitur hortum habere clausum. Munitionis varia sunt genera: alij luto inter formas clauso parietes figuratos ex lateribus imitantur: alij macerias ex luto & lapide excitant: nonnulli saxis in ordinem congestis, aut ordine dispositis sepiunt: Quibus aquæ copia, fossis præcingunt. Id genus vitandum Palladius putat, quòd horto humorem subducere credatur, nisi palustris locus colatur: Alij spinarum plantas & semina in munitio-

nitionem disponunt: Sunt, qui delutatis parietibus hortos cingant, eorumq; fastigia stramentis vel myrica contegant. Varro quatuor recenset sepimentorum genera, vnum naturale, alterum agreste, tertium militare, quartum fabrile, quorum vnumquodque species habet complures. Primum naturale, quod obseri solet virgultis aut spinis, quod habet radices viuæ sepis, ac viatoris lasciui prętereuntis non metuit facem ardentem. Secundum ex agresti ligno, sed non viuo fit, aut palis statutis crebris, ac virgultis implicatis, aut latis perforatis, & per ea foramina traiectis longuriis ferè binis aut ternis, quæ structilis & agrestis sepes à quibusdam vocatur & agreste sepimentum: aut ex arboribus, truncis demissis & in terram deinceps constitutis. Tertium militare sepimentum, est fossa & terreus ager: sed fossa ita idonea fiat, vt omnem aquam, quæ de cælo venit recipere possit, aut fastigium habeat, vt exeat è fundo. Agger is, qui intrinsecus fit, iunctus fossæ, ita arduus sit, vt eum transcendere non sit facilè. Hoc genus sepis secun-

Structilis sepes.

dum vias publicas fieri conſtat, & ſecundum amnes, ne flumina agris noceant. De his alîâs dabitur copioſius dicendi locus. Quartum fabrile notiſſimum eſt maceria. Huius quatuor genera eſſe: aut enim ex lapidibus, aut lateribus coctilibus, aut lateribus crudis fit, aut denique è terra & lapillis compoſitis in formas. Columella, vetuſtiſſimos ſecutus autores, viuam ſepem ſtructili prætulit, quia non ſolùm minorem impenſam deſideraret, verùm etiam diuturnior immenſis temporibus permaneret. Eam ad hanc rationem ſpinis conſitis conficere docet. Locus, quem ſepire deſtinaueris, ab æquinoctio autumnali, ſimul atque terra maduerit imbribus, circumuallandus duobus ſulcis, tripedaneo ſpacio diſtantibus: altitudine ac latitudine bipedanea: eos vacuos perhyemare patiemur, præparatis ſeminibus, quibus obſerantur; ea ſint vaſtiſſimarum ſpinarum, maximè rubi & paliuri, & eius, quam Græci κυνόσβατον, nos ſentes caninas appellamus. Horum ſemina quàm maturiſſima eligere oportet, & erui molliti fari-

Viua ſepes ſtructili prçfertur.

næ immiſcere : quæ cùm eſt aqua conſperſa, illinitur vel nauticis veteribus funibus, vel quibuſlibet aliis reſtibus: ſiccati deinde funiculi reponuntur in tabulato. Mox vbi bruma confecta eſt, intermiſſis quadraginta diebus circa hirundinis aduentum, ſi qua in ſulcis per hyemem conſtitit aqua, exhauritur, reſolutaque humus, quæ erat autumno regeſta, vſque ad mediam ſulcorum altitudinem reponitur. Prædicti deinde funes de tabulato prompti explicantur, & in longitudinem per vtrunque ſulcum porrecti obruuntur, ſedita, vt non nimium ſupergeſta terra, ſemina ſpinarum, quæ inhærent toris funiculorum, enaſci poſſint. Ea circa trigeſimum ferè diem prorepunt, atque vbi cœperunt incrementum habere, ſic inſueſci debent, vt in id ſpacium, quòd ſulcis interiacet, inclinentur. Oportet autem virgeam ſepem interponere, quam ſuperſcendant ſentes vtriuſque ſulci, & ſit, quo interdum quaſi adminiculo, priuſquam corroborentur, acquieſcant. Atqui nos alia ratione, magiſque expedita vtimur, qua

Alia ratio viuæ ſepis faciẽdæ recentior & expeditior.

tu inter primos in hiſce regionibus vſus, plurimíque imitati ſunt. Siquidem foſſam quandam & ipſi facimus, ſpinarumq; plantas nouellas in ſyluis collectas putataſq; capitibus in marginem foſſæ defigimus, ita vt ſemipede terra extent: euulſis circumquaque herbis, ac priori maximè æſtate, ab omni herbarum ſtirpiúmque propagine, ſuccum ipſis ſpinis ſuffurante, liberamus, terrámque circa radices ſic repurgatam ſtramine vndique contegimus, quo ſimul & ros nocturnus in radices demittatur, & ab æſtu ſolis ipſæ plantæ vindicentur. Poſtero anno fulcimenta cum virgulis, veluti longuriis, ad palos defixis, adhibemus, quibus ſpinarum virgę, & ſurſum & in tranſuerſum, vti eas adoleſcere velis, lentis viminibus alligentur, ac veluti iugis quotannis ſublatis altius, ſpinæ in eam, quam velis, ſepis proceritatem erigantur. Octonûm aut ad ſummum nouenûm pedum altitudo ſufficiet, & quidquid ſupra erumpit, in dextram & ſiniſtram ſepis deflectatur planiciem, quò difficilius tranſcendi queat. Cùm ad eum modum abſolueri-

mus

mus, quotannis vincienda, omniſque raritas, maximè ab inferiori parte, ductis ex tranſuerſo brachiis, complenda. Ita contexta annuis vinculis, adeò denſeſcet, vt ne auicula tranſire, aut perſpicere quis poſſit. Vbi ſatis fruticoſa & denſa fuerit, ſuperflua quotannis reſecanda ſunt. Hanc ſepem interimi non poſſe compertum, niſi radicitus effodiatur; ac nec ignis iniuriã reformidare: quin etiam melius renaſci, nemini dubium. Atque hæc ratio hortos claudendi & iucundiſſima, & vtiliſſima, minimiſque ſumptus. THRASY. Eſt & alia, qua ruſtici noſtri vtuntur, ſepis viuæ inſtruendæ ratio, quæ paulò eſt robuſtior: Nempe vt conſitis nouellis ſpinis, vti dictum, & vbi robuſtiores factæ, caudex ad terram vulnerentur, ſuiſque ſurculi vulnerati ac ſemifracti ſecunda ſepe, atque in longitudinem ad terram deprimantur. Ex his vulneribus alij ſurculi erumpunt, qui vbi ad iuſtum robur excreuerint, ad eundem modum flectuntur, idque deinceps tantiſper, dum ſepes ad neceſſariam altitudinẽ eleuetur. Hic modus robuſtiſſimam ſepem

Sepimenti alius modus.

reddit, vt neque ſus aut alia beſtia perrumpere poſſit, etſi prior eſt elegantior: At ſi ſpinæ non ſuppetant, num & ſeminaria procurari poſſint? MAR. Maximè. Seminarium ſic facito. Semina terræ admixta primo anno in ſcrobibus vel vaſe conſeruato, eaque ſequenti anno ſerito, non rarè, ſed denſius, & mox erumpet plantarum copioſa ſylua. THRAS. Sed de aqua & ſepimento, duabus rebus præcipuis ad hortum inſtituẽdum, pulchrè dixiſti; iam de terra horto accommoda, déque ea colenda diſſeras. MAR. De terræ generibus, iiſq; agnoſcendis, quia ſuperiori narratione, vbi de terra frumento ſerendo idonea abunde dictum, non arbitror operæpretium hic repetere. Satis fuerit addere, terram neque nimis pinguem, neque macram nimis, ſed pinguem & reſolutam, & quæ graciles herbas generat, pilorum inſtar, requiri. Hæc laboris minimum poſcit, ſpiſſa atque pinguis laborem flagitat maiorem, ſed tamen hunc compenſat vbertate: Spiſſa autem & macra, atque frigida inprimis fugienda. Id canit Columella

Terra hortis idonea.

lumella hortis agrum tribuens pin- Lib. II.
guem,

Putres glebas resolutaq; terga
Qui gerit, & fossus graciles imitatur arenas,
Atq; habilis natura soli, quæ gramine læto
Parturit, & rutilas ebuli creat vuida baccas.
Nam neq; sicca placet, nec quæ stagnata palude
Perpetitur querulæ semper conuitia ranæ.
Tum quæ sponte sua frondosas educat vlmos,
Palmitibusq; feris lætatur, & aspera syluis
Achrados, aut pruni lapidosis obruta pomis
Gaudet, & iniussi consternitur vbere mali,
Sed negat helleboros, & noxia galbana succo,
Nec patitur taxos, nec strennua toxica sudat.

Atque hæc de terra horti, qui, vt diximus, irriguus sit: aut irrigari possit ager horti: Et vel macerie, vel sepe viua, vel, alio sepimento tutus atq; clausus. Deinde aëris cœlique benignitatem, & soli atq; loci teporem postulat. nam in solo nimium frigido cœli clementia parum proficiet: Et contra, si solum sabulo nimis aduſtum, cœlum quoq; minimum proderit. A ventis noxiis auertendi horti, velut sunt aridi & ardentes venti, pruinæ, nebulæ.

In hortorũ locis deligendis cõsiderandi.

Cælũ hortĩ.

Ventorum in hortis ratio.

Iam

Iam age cultus hortorum aggrediamur. Ac primum curandum, vt ager, quem vere conſeri velis, autumno circa Cal. Octobris paſtinetur: Et quem velimus autumno inſtituere, menſe Maio conuertamus, vt aut hyemis frigoribus, aut æſtiuis ſolibus & gleba ſoluatur, & radices herbarum necentur. Nec multò ante ſtercorare debemus. Et cum ſationis tempus appropinquat, ante quintum diem exherbandus erit locus, ſtercoranduſque, & ita diligenter foſſione iterandus, vt fimo terra cõmiſceatur. Quare partes horti ſic diuidendæ, vt eæ, in quibus autumno ſeminabitur, verno tempore paſtinentur; quas ſeminibus vere complebimus, autumni tempore fodiamus. Ita vtraque paſtinatio decoquitur beneficio algoris aut ſolis. Areæ faciendæ ſunt anguſtiores, & longæ, nempe duodecim pedum longitudine, & ſex latitudine, vt ſint propter ſpacia vtrinq; purganda diuiſæ. Margines verò earum locis humidis & irriguis duobus pedibus erigantur, ſiccis vno extuliſſe ſufficiet. Inter areas ſi humor conſueuit effluere, ſpa-

Cultura hortorũ.

Areæ.

cia

cia altiora ipsis areis esse debebunt, vt facilius ingrediatur aream humor admissus, & vbi sitientem saturauerit, in alias possit reclusus auerti. De stercorum simiq; generibus ante commemoratis dicere supersedeo : Vnum addo, ad hunc vsum stercus asininum cum primis idoneum esse, quia minimum herbarum creat: Proximum armenti vel ouium, si sit anno maceratum. Solum igitur, quod conserere vere decretum, vt diximus, post autumnum patiemur iacere effossum, frigoribus & pruinis inurendum: Quippe è contrario, sicut calor æstatis, ita vis frigoris excoquit terram, fermentatamq; soluit. Quare peracta bruma, tum demum stercus iniicitur, & circa Idus Ianuarij humus refossa in areas diuidetur. Primum autem euellendæ inutiles herbæ, deinde macris cespitibus cingendæ areæ, malleisq; retundendæ, & gramina calcanda, vt xix appareant : sic tenuiter erumpent, instar pilorum, vt ante diximus; & grata erunt aspectui: Hortosq;, vt hic vides, sic distinguis speciosè, si odoratas, coronales, medicas herbas, olera,

De stercorãdo pastinandoque horto.

olera ſuis quæq; ſedibus ac puluinis ſeiungas, quæ tamen ſic informãdæ ſunt, vt facilè runcantium manus ad dimidiã partem latitudinis earum proueniant: ne qui perſequuntur herbas, ſemina proculcare cõgantur; ſed potius per ſemitas ingrediantur, & alterna vice dimidias areas eruncent. Hæc, quæ ante ſationem, veluti præparatoria, facienda, dixiſſe ſat eſt.

De ſatione hortenſiũ.

Nunc de ſatione & quid quoq; tempore ſerendum vel colendum, dicetur. De ſingulis herbis atq; plantis infinitũ fuerit differere: de præcipuis hortenſium plantis, magiſq; neceſſariis ſolùm dicetur. Ac primũ quidem, vt diximus,

Plãtarum diſtinctio.

hortenſium alia inter olera referenda, & gulę, alia voluptati aſpectus, alia odoris ac ſpiramenti gratia, alia medico vſui deſtinantur: Et rurſus, alia hyberna, alia æſtiua, alia media, inter æſtiuas & hybernas relata. Prima igitur ſementis poſt brumam fit menſibus Martio, Aprili, Maio, quo braſſicam radiculam, rapum, & poſtea betam, lactucam, runicem, ſinapi, coriandrum, anethum, naſturtium conſerere conſueuimus.

Sementes ires.

Se-

Secũdam sementem post æstiuum solstitium, ineunte Octobre, quo portum defigitur, apium, githium, atriplex: Tertiam, quam æstiuam vocant, à Ianuario quibusdam locis Olitores auspicantur, qua cucumis, cucurbita, blitum, ocymum, portulaca, satureia panguntur. Multa tamen inter has sementes rectè possunt terræ mandari, & nihilominus comprehendent. Hortensia omnia ante solstitium ferè semina ferunt. Quare quæ semina ferre nolis, post solstitium serenda. Et quædam seruntur duobus temporibus, autumno, & vere: quædam etiam sæpius, vt sunt lactuca, brassica, eruca, radices, nasturtium, coriandri, cerephyllũ, anethum. Hæc enim vel circa Martium, vel circa Septembrem seruntur, & vt Columella testatur, proueniunt vel semine, vel auulsione, alia bulbo, alia caule, alia folio, alia radice, alia capite, alia vtrisque, alia cortice, nonnulla cartilagine. Sunt quæ carne, quæ tunicis carnosis: Quædam semine & surculo, vt ruta, origanum, ocymum: præcidunt enim hoc, cùm peruenit ad palmæ altitudinem:

Semina quę ferant herbæ.

Varietas prouenientium plantarum.

Quæ-

Semine prouenientia.

Quædam radice & ſemine, vt cepa, allium, bulbi, & capitata. Et quanquam omnia ferè ſemine proueniant, id tamen in ruta negarit quidam, nam tardiſſimè coaleſcit: quare ſurculus potius pangitur. Eorum quæ radice naſcũtur,

Quæ radice.

radix diuturna & fructicoſa eſt, quare lateribus ſuis germina citat, & in plures ſepe digeritur, vt bulbi gethyi, ſcillæ.

Fruticantia.

Fruticant & alia non capite, vt apium & beta, ſiquidem radices fundunt, quibus folia cauleſq; ue proſiliant. Caule reciſo omnia fere regerminant, exceptis,

Secaulia.

quæ caulem ſeo rſum habent, ἀποκαυλα Theophraſto vocata, hoc eſt, quæ caule reciſo non regerminant, ſecaulia Gaza vertit. Raphanus & rapa, detractis foliis, cooperta terra creſcunt, durantq; in æſtatem. Aliorum fructus in terra eſt, aliorum extra, aliorum vtrobique. Quædam iacent, creſcuntque, vt cucurbitæ & cucumis: Eadem & pendẽt, quanquam grauiora multò etiam iis, quæ arboribus gignuntur. Quædam ſuſtentaculis ac fulcimentis indigent, vt altius tollantur, vt lupini, piſum, lupus ſalictarius. Seminum quædam recentiora

centiora maturius gignuntur, vt in porro, gethio, cucumere, cucurbita, Quãobrem quidam cucumis semen lacte aut aqua macerant, quò citius erumpat. Contra ex vetere celerius proueniunt apium, beta, nasturtium, cunila, origanum, coriandrum. Peculiare in beta traditur, quòd non tota vno anno gignitur, sed aliquid sequente, & aliquid tertio: itaque ex copia seminis exigua pullulat. Plurimum affert apricitas soli. Seminum ratio.

In seminum ratione & hoc obseruandum, ne vetustate sint exucca, aut ne sint admista, aut ne sint adulterina propter similitudinem. Semen vetus in quibusdam tantum valet, vt naturam commutet. Nam è semine brassicæ vetere nascitur rapa, & contra è raporum, brassica: Item, ne semina vel citius vel tardius tollas: tempus nempe vere, autumno, & caniculæ exortu idoneum, vt Theophrastus scribit: neq; omnibus locis tamen ac generibus idem. In horto satorum celerrimè erumpunt ocymũ, blitum, napus, eruca; tertio enim die prodit, lactuca quarto, cucumis & cu- Quæ celerius tardiúsue erumpunt.

curbita quinto, portulaca ſerior exit, anethum quarto, naſturtium & ſinapi quinto, beta æſtate ſexto, hyemè decimo aut duodecimo, porrum decimo nono, nonnunquàm viceſimo: contumacius coriandrum, quod ſi nouum ſit, omnino naſci recuſat, niſi conuoluatur, cunila & origanum poſt trigeſimũ diem exiliunt: omnium difficillimè apium. Quadrageſimo enim die, vel quàm celerrimè quinquageſimo maiore ex parte ſolet emergere. Eſt tamen aduertendum, quod magni refert, ſementi ſerenitas, an temporis inclementia ſuccedat: nam maturius fauente cælo proueniunt, vt tepentibus locis, & apricis, aut illuſtratis ſole. Quædam anno tantùm ſuo pariunt, quædam ſæpius, & in bimatu, ſicut apium, porrum, gethium, quæ ſemel ſata pluribus annis reſtibili fertilitate proueniunt. Quæ annua ſolùm vita contentæ ſunt herbæ, ſtatim, vt ſemen perfectum eſt, exareſcunt. Amiſſo caule fruticant porrum, gethium, cepe, allium, & in vniuerſum omnes, quæ in lateribus ſurculos creant, atque hæ omnes finem aquamq; deſi-

Cæli ſtatus conſiderandus.

Annua.

Regerminantia.

desiderant. In seminibus mittendis etiam lunæ rationem habendam putant quidam, & augescente, non decrescente luna serendum plantandumq; : Alij à quarta ipsius die vsque ad decimam octauam plantationi idoneum tempus existimant: Alij à tertia luna, alij à decima vsque ad vigesimam. Certissimum autem arbitrantur, si luna super terram existat. THRAS. Sed age iam edisseras nobis de celebriorum herbarum & hortensium cultura aliquid. MAR. Sunt, qui per menses operas hortenses partiantur, sicut alias res rusticas. THRAS. Perinde est, siue per menses, seu vtcunque ordine videmus dispositas in hoc tuo horto, cultus rationem explices. Nam in regionibus tepidioribus etiam per hyemem culturas non intermittunt: hîc nobis nostræ regionis obseruanda culturæ ratio. MAR. In hisce regionibus ad finem Februarij cælo clementiore, hortensiũ cura inchoatur. Iam igitur horti stercoratione, fossione, sarritione, atque purgatione præparandi: Asparagus & cuta panguntur. THRAS. Cedò de

Lunæ ratio.

Tempus culturæ inchoãdæ

De oleribus. Asparago, deque communioribus oleribus singulatim quædam nobis, post de voluptuariis ac medicis commemorato. MAR. Asparagus olim syluestris, iam altilis celebratur, Græcis ἀσπάραγος; Italica & Gallica lingua ferè nomen retinet: illi enim *Sparago*, hi *Sperge* vocant: Germani Sparen ac spiritus alicubi appellant: sic dictus, quòd sponte prosiliat: nã illi satiuos asparagos ignorabant. Alij dictum putant, quòd in virgultis asperis nascatur, atque ipsi scapi asperi, non leues, quibus aculei pro foliis. Quinetiam omnia olera, cùm primùm erumpunt, asparagos dixere: Sũt qui Corrudam appellent, quòd facilè corruat ac decidat. Bifariam seritur, semine videlicet, & spongia. Semine ita, vt quantum tres digiti comprehendunt, singulis fossulis deponas, vt bina ternáve grana semipedis spacio mergantur solo pingui subactoque, mense Februario, locus stercore contegetur. Herbæ internascentes subinde vellantur, post quadrageſimum diem ferè inter se implicantur, & quasi in vnum coëunt: Radix connexa capillamentis coalescit,

Asparagus.

Corruda.

coaleſcit, quæ ſpongia vocatur. In locis ferè ſiccis ſulcorum imis partibus ponenda ſunt ſemina fimo macerata. In vliginoſis contrà, in ſummo porcæ dorſo collocanda, ne humore nimio lædantur. Primo deinde anno, cùm ita confita ſunt, aſparagum, quem emiſerint, infringi oportet: Nam ſi ab imo vellas, adhuc teneriuſculis radicibus, tota ſpõgioſa ſequitur, quæ per biennium in ſeminario ſuo eſt ſtercore & aſſidua runcatione fouenda. Reliquis annis non eſt decerpendus, ſed radicitus vellendus, vt oculos ſuæ germinationis aperiat, quod niſi fiat, ſtirpes præfractę oculos ſpongiarum excæcant, nec patiuntur aſparagum emittere. Reſeruabis eum, de quo ſumpturus es ſemina. Poſteà ſcopas & ſcorpiones incendio cõſumes: circa hyemem ſpongiis adiicies ſtercus & cinerem. Seruntur & ſpongiis, quas poſt biennium in locum apricum & benè ſtercoratum transferri conuenit. Sulci inter ſe pedali diſtantes menſura fiunt, non amplius dodrantalis altitudinis, hoc eſt, duodecim digitorum, in quam ita ſpongiolæ deprimũ-

tur, vt facilè ſuperpoſita terra germinent: Sed vere, priuſquam emergere cœperint, bicorni ferramento terra commouenda, vt & facilius emicet, & relaxata humo plenioris craſſitudinis fiat radix. Sarriri iubet Cato, ſed ita, ne radices lædantur aut conculcentur, ex eo velli aſparagum à radice: nam ſi defringatur, ſtirpeſcit, & intermoritur, ſed vſque licebit, dum in ſemen videris ire. Quo anno teneris ſubſtramentis per hyemem operito, ne rigore peruratur, & nouo vere aperito, ſtercore ſaturato, Catonis præcepto. Sunt qui putent primo anno nullo cultu vexanda ſemina, ſola runcatione contenta. E radiculis, quas ſpongias vocant, primùm thyrſus exilit, cacumine in torulos turbinato, gulæ idoneus, ſi decerpatur: Sin patiaris creſcere, mox in ramos latiores explicatur, quibus inſunt folia capillamenti in morem fœniculi tenuata, ac vetuſtate in ſpinulas coaleſcunt. Poſt florem baccas fert primùm virides, poſt maturitatem rubeſcentes. Si toto anno edules aſparagos habere libeat, vbi fructum legeris, radices, quæ ſummo ceſpite vagantur,

Baccę aſparagi.

gantur, circumfodiendo aperies: hoc cultus mangonio frutex nouos dabit cauliculos. Aiunt, si arietum cornua contusa sulcatim defodiantur, rigenturque, asparagos producere. Hoc olus siccitate gaudet: quare rigationem potius respuit: appetente autumno si rigentur, torosiores prosilient. Vere caules cibo idonei, qui aqua vel iure pingui leuiusculè decocti sint: nam diutiùs per cocti in tabem fatiscunt: ac cocti sale oleoque conspersi eduntur non insuauiter. THRAS. Asparagi serendi rationem pulchrè depinxisti, perge obsecro de ruta. MAR. Ruta, quæ Græcè πήγανον, Rutæ. Italis *Rutache*, Germanis Rauten/ Gallis *Rue de gardin*, ad finem Februarij vel Martio mense seritur, ac plantatur locis apricis & siccaneis, humorem ac fimum auersatur, cùm cæteræ herbæ requirant; maximè cinere nutritur. Cùm omnia semine aiant prouenire, id tamen in ruta negatur. Ramuli cum aliqua corticis parte conuulsi verno tempore pro plantis conualescunt: sed tota transtata morietur: semina folliculis clausa singillatim manu defigũtur: si suis

inuolucris exuta ſint, ſparſa iactantur, raſtroq; obducta cooperiuntur. Gaudet vmbra fici. Furtiua, vt aſſerunt, melius prouenit. Seritur maledictis, ſicut & cuminum & alia quædam. Optat euelli, non effodi. Immundæ mulieris acceſſum reformidat.

Furtis gaudent plantæ.

Maledicta ſata melius proueniẽtia.

THRASYB. Elegantes video lactucas, quibus obſecro modis eas nutris? MAR. Lactuca, Germanis *Lattich* / Gallis *Laictue*, Græcis θρύδαξ, Italis *Lactuca* dicitur. Præter ſylueſtrem tria ſunt genera: Criſpa, quam Columella Cæcilianam & Beticam vocat, è locis, vbi feliciſſimè prouenit; eaq; maximè expetitur, Germanicè Krauſer lattich / Gallicè *Laictue creſpue*. Alia capitata, Kropff-lattich / Köpff-lattich Germanicè, Gallis *Laictue teſtue*, Plinio Laconica, & Seſſilis, quod inſtar braſſicæ capitatæ, in capitis aut mali formã extuberet, Gallicè *Laictues empommees & blanches*. Tertij generis eſt rotunda, à foliorum rotunditate & latitudine. THRAS. Sed qua ratione tàm lætas paras lactucas, & quando ſeris? MAR. Ad finem Februarij, aut initio Martij ſeritur, vt poſſit Aprili

Lactuca.

prili vel Maio transferri. Calidioribus regionibus, vt Palladius tradit, etiam Ianuario ſeritur, vel Decembri, vt planta Februario transferatur. Certum autem, toto anno eam bene ſeri, ſi locus ſit lætus, ſtercoratus & irriguus. Antequam pangatur, radices eius reſecandæ æqualiter, & liquido fimo liniendæ, vel quæ iam pactæ ſunt, nudatæ lætamẽ accipiant. Amant ſolum ſubactum, pingue, humidum, ſtercoratum. Inter has herba nata manu euellenda, non ſarculo. Latior fit, ſi rapa ponatur, vel cum producere incipiet caulem, eo leniter inciſo gleba prematur, aut teſta. Candidam fieri, ſi fluminis arena vel littoris frequenter ſpargatur in medias, & collectis ipſæ foliis alligentur: Teneram & candidam, ſi biduum antè quàm vellatur, eius comæ colligentur: Seſſilem verò fieri, nec caulem promere, ſed conuolutis vnà foliis, in globum extuberare, vel in orbem circumagi, ſi tranſlatæ radix, vbi in palmi altitudinem adoleuerit, ablaqueata bubulo fimo recenti oblinatur, & aggere congeſto rigetur, dumq; ad incrementum peruenit,

nit, erumpens germen acie ferri præ-
ſcindatur, demùm teſta fictilis non pi-
cata imponatur, ne in longitudinem,
ſed latitudinem augmentum capeſſat:
Suauiores, quæ coërcitis caulibus reſti-
bili pullulatu prodierint, quæ, quò mi-
nus in caulem proſiliant, cùm incremẽ-
tum aliquod acceperint, teſtula alióve
ponduſculo deprimantur, vt in latitu-
dinem ſe diffundant. Si vitio loci, vel
temporis, vel ſeminis, lactuca dureſcit,
planta eius auulſa & denuò poſita tene-
ritudinem conſequitur. Multis ſemi-
nibus condita naſcetur, ſi caprini vel
ouini ſtercoris baccam ſubula ſubtili-
ter excauaueris, & in ea ſemen lactucæ,
naſturtij, ocymi, erucę, apij, raphani im-
miſeris, & tũc inuolutam fimo baccam
terra optimè culta breui ſcrobe demer-
ſeris, ſubſtratoq; molli lætamine leniter
aqua rigaueris. Apium nititur in radi-
cem, cetera ſemina in ſummo, lactuca
pariter mergente proſiliunt, ſingulo-
rum ſapore ſeruato. Conſtantinus tra-
dit lactucam humidum & frigidum eſſe
holus, & ſitim extinguens ac ſomnifi-
cum; coctam magis alere, coitum com-
pri-

primere: quare Pythagorici Eunuchiõ appellant: ſemper lactucæ meliorem ſuccum præbent,& plus alunt: autumnales, quia ſucco carent , minus nutriunt. Eunuchiõ.

Intybum vel intubus, quod in propinquo, non multum figura diſtat à lactuca,vulgò *Cichorium hortenſe*, Germani & vulgus *Endiuiam*, Itali & Galli *Cicoriam* appellant. Seritur ſicut & alia hortẽſia Martio, amat humores & ſolutam terram, ſed planior area huic apparetur, ne radices terra fugiente nudentur. Quatuor foliorum transferatur ad locum ſtercoratum ; quæ autem Kal. Iuliis ſeruntur, ſemen ferunt, poſt non producunt ſemen. Quæ hyemi ſeruiet, ſeritur menſe Octobri in locis apricis. Nunc vt ad hyberna ſeruetur acetaria, cùm folia ſua fuderit, ea velut in orbem circumacta, ſummatim tenui ligamento vinciuntur, & fictili vaſculo,hærente ſemper, quo alimentum ſugant radice, conduntur: Ita & candorem & teneritudinem ſummam contrahunt, & magnam amaritudinis partem exuunt. Aiunt album fieri, ſi conſperſum prius Intybum. Endiuia. Cicoriũ.

per

per dies aliquot fuerit, & imbribus ſuper arena irrigatum. Sic ergo & incremento proficientes intybi hybernant, donec ad vſum promantur. Alij leuiori ſumptu contenti, terra duntaxat obruunt: alij ſtramentis tantùm tegunt. Iam verò nuſquam non inualuit hæc hyemandi ratio. THRAS. Et braſſicam, nobis ruſticis notam, in hoc tam nitido horto video. MAR. Eam non habebit hortus, quam omnibus oleribus noſti à Catone præferri? eius miras vires & vſurpationes deſcribente. Atqui vulgaribus illis hunc locum peculiarem tribuimus, veluti braſſicæ, betæ, intybo, cepis, rapis, napis, porris, daucis, & radicibus, allio, paſtinacæ. Nobiliores in ſuam claſſem diſtinximus, & prout cuiuſque natura fert ſolum. Braſſica vulgo caulis dicitur. Græcè κραμβὴ, Gallice *Choux*, Italicè *Caule*, Germanicè Kŏl / Veteres plura genera fecerunt, & hodie ſunt: Vnum grandibus & latis foliis, caule magno, tonſili cymarum luxuria. Hęc vulgaris eſt noticię, quę gratior hybernis temporibus gelu indurata iuſculis aut lardo incoquitur. Cymo-

Braſſica.

ſum

ſum etiam cacumen ſubferuefactum acetariis ſubminiſtratur, oleo, ſaleque ſuffuſum. Secundum genus criſpo folio, à ſimilitudine apij, ſilinoedem atq; apiariam, vulgò criſpũ caulem vocant. Tertium genus propriè Crambe minutis caulibus tenuioribus foliis, leuis, tenera, tenui ſucco. Quartũ genus additur ſeſſile, folio & capite patulo, vulgus Cabutos caules, quaſi capitatos Germanis Kappes / Gallis *Choux cabuz*, veteres *Tritianam braſſicam* vocaſſe videntur, cũ in capitis figuram extuberantur. Folia horum in orbem glomerantur exterius calloſa & per ambitum rugeta, multis intus carinarum voluminibus, externis ſemper interiora cõplectentibus. Hæc in Germania potiſſimum abundantia nobilis. Eſt quam Allobrogicam appellant vel Sabaudicam, aliis dulcior, frigoris impatiens, Gallis *Choux de Sauoye*. Item patula quædam, criſpa, rugoſoq; folio, ſed nigriore, Itali *Negrecaules* vocant, Latinè nigra braſſica, ex genere, quem vulgo rubrum caulem nominant, veteribus Marucina braſſica. Sunt & alia genera à locis nomina mutuantia,

Selinoeis.
Criſpus caulis.
Crambe.
Seſſilis caulis.
Cabuci caules.
Tritiana braſſica.

tia, vt pote Aricina, Cumana. Braſſicæ poſitionem optimam eſſe tradunt poſt Idus Apriles frigidis & pluuiis regionibus. Sæpius ſarrita & ſtercorata melius conualeſcit, plenioriſque incrementi & colliculum facit & cymam. Nonnulli à Cal. Martiis deponunt, ſed maior pars eius in cymam proſilit, nec poſtea hybernum caulem amplum facit, cum eſt ſemel deſecta. Poſſis tamen & maximos caules bis transferre, quod ſi facias, plus & ſeminis & incrementi reddit: Nam ſic exuberat ſemine, vt non minore prouentu ſeratur, quàm raparum, ad oleum exprimendum. Braſſica toto anno poteſt ſolo credi, plurimũ tamen circa Martium ſeritur pro regionis cœlique temperatura, à ſatu intra dies decem ſe demonſtrat, niſi ſemina, quæ ſolo mandantur, ſint exucca: vetus enim eius ſemen degenerat in rapam, & contrà ex raporum braſſica. Loco ſalſo ſeri feliciter traditur: Quare nitrum vel cinerem aſpergere cõuenit, idq; etiam erucas necat. Transfertur in Iunio maximè, vbi ſex foliorum erit, & cœlum pluuium fuerit, ita vt radix eius liquido

ſimo

simo prius illita & inuoluta tribus algæ tæniolis pangatur. Capitati diligentior cura. Serenda in Martio plenilunio, vt sit duabus Lunis in terra, & in Maio replantanda duorum pedum distantia. Si in repastinato seres, terram fugientes colliculos feces, à terraque proceritate luxuriosa attollentes se exaggerando aliam accumules, ita ne plus quàm cacumen emineat. Nam vt conuolutis foliis, extuberet in globum, trãslata brassica terra aggeranda, vt folia tantùm emineant, idque iterum faciendum. Omni eius generi pruinæ plurimum suauitatis afferunt. Vineas quibus brassicæ nascuntur, languidius vinum creare tradunt, & brassica vinum corrumpi.

THRAS. Perge amabo reliquam hanc olerum culturam explicare. MAR. In proximo vides Spinaciam, à spiculis (vt nosti) seminis dictã, Itali, Galli & Germani appellationem eandem retinent: veteribus aliis Teutlomalachus, aliis atriplex putatur appellata, licet sint qui existiment recentiorem, illis tamen nõ dissimilem & cultu & natura. Seritur, sicut superiora, Martio, Aprili & deinceps

Spinnet Spinacia.

Teutlomalachus. Atriplex.

ceps vſque ad Septembrem, ſi rigari poſſit, exit ſeptem diebus à ſatu. Tranſferri eam non eſt neceſſarium. Semen ſtatim cum ſeritur, obruendum, herbæ vellendę. Nullũ ſolum reſpuit, quocunque prouenit lætiſſimè. Subinde reſecatur, quia pullulare non ceſſat. Coquitur citra aquam, cũ magnam vim aquæ inter coquendum emittat, ac veluti proprio contenta iure alienum reſpuit. Ligula ſubinde percuſſum abacto lentore verſatur, deinde in manuales globos expreſſa penitus ſanie redactum, patinis in oleo vèl butyro frigitur, addito, quo magis palatum titillet, omphacio vel acerbarum vuarum melligine. Pergo culinarias herbas ordine, vt vides, explicare.

Acetoſa. Sequitur acetoſa, quæ Italice nomen latinum retinet, alibi *rombice*, & *Lapatio*, Gallis *Ozeille*, quaſi Oxalis, Germanis Rangelwurtz/Saurampffer vel Surick ab acore dicitur:

Rumex. Lapathiũ. veteres videntur Rumicem ac Lapathium vocaſſe, tametſi genera plura. Romanum quod vocant, nobilius, colore & forma ab alio differens: nos & ſatiuo & ſylueſtri vtimur, inditum iuribus

&

& acetariis magnam habet gratiam, atque è ſylueſtribus hoc ſolum melius, cum omnia ſylueſtria ferè & foliis minora & caulibus ſuccoq; acriora. Seritur ſicut alia olera, & ſponte etiam in lętioribus pratis & hortis prouenit. Cuminum, & Coriandrum terram poſtulant bene ſubactam, cui lætamen admiſceatur: ſerũtur verna ſatione: ſata herbis purgentur. Cuminum, κύμινον Græcis, aliiſque linguis pleriſque vocatum. Maledictis ſeri creditum, vt copioſius exeat, & qui ſerunt, precentur, vt exeat. Coriandrum κόριον ἢ κορίαννον Græcis, reliquis ferè eadem nomenclatura, quæ Latinis, à veteri ſemine facilius exiſſe proditum.

Cuminũ.

Coriandrum.

Apium quod vulgo Petroſelinum, & Apium hortenſe, σέλινον κηπαῖον atque etiam πετροσέλινον Græcis dicitur: Itali *Apio domeſtico* & *Petroſello* vocant. Galli *Perſil du gardin*. Germani **Peterſillie** vel **Peterlin**: ab æquinoctio verno ſeritur, ſemine paululũ in pila pulſato. Æquinoctium autem eſt, quando Sol in vniuerſo terrarum orbe diem noctibus adæquat, eo ſcilicet tempore, quo Sol

Apium Selinum.

Petroſelinum.

dux & auctor cæterorum luminum, mens mundi & temperatio, Arietem ac Libram ingreditur. E veteri ſemine celerius exire putatur quinquageſimo à ſatu, & cùm ocyſſimè, quadrageſimo die emergit, omniumq; difficillimum naſcitur. Satum calcetur pedibus. Semel ſatum pluribus annnis durat, aqua lætatur.

Fœniculum. Fœniculum, quod Græcis μάραθρον, Itali *Fenochio*, Germani Fenchell / Galli *Fenouil*. Seritur primo vere, loco aprico, modicè ſaxoſo, vel etiam qualicunque: ſemel ſatum reſtibili fertilitate prouenit. Aniſum ἄνισον pluribus linguis notum: ſicut Cuminum & Coriãdrum, terram benè ſubactam poſtulat, cui lætamen admiſceatur. Anethum ἄνηθον, Gallis & Italis ferè nomen retinet, Germanis Dill/ omnem cœli ſtatum patitur, ſed tepidiore gaudet: ſi imbre non irrigetur, rarius ſerendum. Sunt qui ſemen non obruant, exiſtimantes, aues non attingere: prouenit etiam ſponte, fœniculi more. Cerefolium vel vt alij, Chærefolia, nonnulli χαιρόφυλλον, alij rurſus γιγγίδιον: Germa-

Aniſum.

Anethũ.

Cerofoliũ

ni

ni Körbel: Itali *Gingidia*: Galli *Cerfueil* vocant, agrum lætum, humidum, & ſtercoratum deſiderat, iiſdem temporibus ſeritur, locis frigidis. Eodem menſe Beta ſeminatur, etſi poſſit per totam æſtatem ſeri, ſicut & ſpinacia, vernaculum holus. Græci τεῦλον: Italice *bietola*, Germanice Beett / aliâs Mangolt. Nulli hortenſium folia maiora, adeò vt cultus ratione arboris incrementum capeſſat. Beta dicta, quòd litteræ β Græcæ figuram referat, dum ſemine turget, vt Columella teſtatur. Duo eius genera, candida & nigra; cultus ferè eadem ratio. Seritur, ſicut braſſica, rumex, radicula, menſe Martio atque Aprili aut Maio prima ſatione. Sunt qui optimè ſemen betæ ſeri exiſtiment, dum punicum malũ floret: poteſt tamen ſeri tota æſtate, ſicut lactuca, braſſica & plæraque alia. Semen betæ vetus melius prouenit, ſicut & apij, naſturtij, cunilæ, origani, coriandri: etſi in aliis noua præſtant. Sexto die naſcitur æſtate, hyeme decima. Agrum amat putrem, lætum, humidum. Transfertur, cum quinque folia fecerit, æſtate, ſi riguus hortus: Si

Beta.

Veteri ſemine quæ ſerantur.

ſiccaneus, autumno, cum pluuiæ receſſerint, diſponi debet, vt & de braſſica dictum, quamuis aliis quoque temporibus ſata proueniat. Cum transfertur, radicem recenti ſimo perlinendam tradunt. Peculiare in Beta, quòd non tota vno anno gignitur, ſed aliquid ſequente, aliquid tertio anno : Itaque è copia ſeminis exigua pullulat. Latitudo acquiritur & candor, ſi cum cœperit colorem trahere, priuſquam in caulem exit, lapis latior, vel teſta, vel ponduſculum imponatur, vt ſuperius de Lactuca dictum: eo quaſi onere coërcita, in folio-rum amplitudinem ſe diffundit.

Naſturtium.

Naſturtium, Græcis *κάρδαμον*, Italis *Naſturtio* & *agretto*, Gallis *Creſſon de gardin*, Germanis Kreß / ſeritur & vere & autumno, quinto die naſcitur, ceteris herbis ſuccum adimit, miſta ſatis frigora contemnit; quare tam hyeme quam æſtate prouenit. Cum lactuca ſi ſeratur, egregiè prouenit. Humorem amat, ſi tamen deſit, non curat. Aquatilibus locis ſponte prouenit, vt apud Padelbornam oppidum Weſtphaliæ in ipſo fluuio copiosè naſcitur; quare ſunt, qui

Na-

Nasturtium aquaticum hoc appellent: Olim Sisimbrium vocatum. Rami in aquis cùm consenuerint, etiam candicantibus capillamentis articulatim cõfibrantur. Papauer satiuum, μήκωνος ἥμερος, fertur melius erumpere, vbi sarmẽta combusta fuerint: siccis locis & calidis cum aliis oleribus seritur. Sinapi τὸ νάπυ καὶ σίναπις etsi Athenæus neget Atticorum aliquem σίναπι dixisse. Germanice Senff / Italicè *Senape*, Gallice *Seneue* & *Mostarde*, aliud album, aliud nigrum, autumno melius seritur; etiam Martio. Quo semel consito, vix licet liberare locum; quia semen caducũ protinus viret. Terram amat congestitiam. THRAS. Raphanos elegantes habere te video. MAR. Non ita feliciter hoc tempore, vt solẽt, prouenêre, nam cùm solem & locum apricum postulent, huc in loca vmbrosiora conseruerunt hortulani mei. Cura eius est, vt terra stercorata & subacta, soliq; exposita obruatur: fimum aiunt quidam radicem odisse, atque palea contentum. Post vbi aliquod incremẽtum cœperit, aggeritur. Nam si super terram emerserit, dura &

Sisimbriũ Sisimbriũ aquaticũ.

Papauer.

Sinapi.

Raphanus & radix.

fungosa fiet. Radix per excellentiam dicitur, quod cæteras magnitudine superet. Nam Plinius ad Erfordiam Germaniæ se vidisse comprobat, ad puerorum infantium magnitudinem prouenire. Seritur bis anno, Februario aut Martio luna decrescente, ne nimium foliis luxuriet, cùm vernum fructum expectamus, digitorũ quatuor distantia: & Augusto, cùm maturius: & hæc satio melior habetur. Quæ à solstitio seruntur, semen non ferunt, sicut & alia hortensia. Tertio die à satu prosilire solet, & ex bybernis celerrimè exit, latere potius fructum parit. Calidis locis austrinis atque serenis temporibus celerius in caulem attollitur, semenque promit. Folia eius subinde calcanda, sic radix ipsa augescit, alioqui in folia luxuriat, & augmentũ non in radicem, sed in folia vertit, quæ etiam liquescere Theophrastus scribit: folium quò leuius, hoc mitior & suauior raphanus, frigus etiam adiuuare traditur. Radice terreno operta, sequenti anno germinat tellure abiecta: nam & crescere & durare ad æstatem vsq; valet. Semen habet

Raphani magnitudo.

bet in ſiliquis. Tradunt dulces naſci, ſi ſemina mulſo vel paſſarum ſucco macerẽtur. Dulceſcit & frigore, vt rapum. Salſugine amaritudo tollitur. Quare ſalſis aquis ali, & irrigari volunt raphanos. Cocti dulceſcunt, & in raporum vicem tranſeunt, Ieiunis vomitũ cient. Viti inimicus eſt, & dentibus: Venenis præſumptus reſiſtit raphanus. Summo cibo ſpiritum elidit, ructus laxat, vrinas eiicit. Poſtremo cibo deiectionem alui molitur, ſummoq; cibo ſuſpendit illata, ne ſidant. Græcis ῥαφανὶς & ῥάφανις, Italis *Raphano* & *radice*, Gallis *Refort*, *raue*, *ranenel*, Germanicè Rettich. THRAS. Eſt & aliud genus, vulgus Mirrettich vocat, exiſtimo eſſe eam, quam Romani Armaraciam appellãt, auctore Dioſcoride, & hæc vulgò apud Romanos Ramaracia appellatur, priore litera tranſpoſita. MAR. Rectè quidem, ſed hæc fronde copioſior, quàm corpore, folia ſuperiori raphano non diſſimilia, niſi quòd acuta magis & longiora, radice graciliora: quare non deſunt qui negant eſſe Armaraciam. Sed id diſputent Medici. Theophraſtus plura genera

Mirrettich.

Armaracia.

raphani commemorat. Summam hoc raphani genus habet acrimoniam, etiã Sinapium ſuperans, & lacrymas edentibus excitare ſolet. Seritur & plantatur, radice in plura fruſta conciſa, pulchrè pullulat ac renaſcitur. Nam ſi hoc raphani genus vnà cum herba euellatur, radiciſque extremum reſecetur, & per minutas particulas terræ conſeratur, reliquum cum herba impunè in terram reponitur. THRAS. Etiámne
Rapa. rapa hîc ſeris? noſtræ arbitrabar hoc eſſe curæ. Ea nos à ſolſtitio & plerunq; reſectis ſegetibus ſerere ſolemus, & hominibus & pecudibus cibum. MAR. Rectè quidem, & nos iam Maio ſerimus, riguis locis alibi citius, alicubi à ſolſtitio in Iulio ſeritur. Varij ſunt generis, quædam rotundæ radicis, nonnullarum radix in longitudinem proeurrit, quales Bingij & in Bauaria gratiſſimi ſaporis proueniunt, quædam in humani capitis magnitudinem & centum librarum pondus augeſcunt, minora tamen gratiora, fructum è latere parit, calidis locis celerius prodit. Solum putre ac ſolutum deſiderat. Eſt &

ra-

rapum ſatiuum alterius generis, quod in ſiliquis ſemen fert, oleo extundendo vſurpatum Germanis, de quo alias dictum, Græce γογγύλη & γογγυλὴς, Gallice *Raue*, Italicè *Rapo*, Germanice Rüben. Et aliud inſuper ſylueſtre genus Rapunculum vocant cubitali altitudine, fruticoſum, cacuminibus leue; hoc verno tempore, priuſquam in ſcapum attollitur, acetariis miſcetur, eruta radice cum ſuis foliis, atque hanc ſylueſtrem, eſſe rapam exiſtimant. Napus quoque βρνίας Græcè, Gallicè *Nauet*, Germanicè Steckrüben / Italicè *Napo*, inter rapa numerari poterit: nam rapa mutantur in napos, in alio ſolo per biẽnium ſata, alio verò, napus tranſit in rapum, vt Palladius ſcribit. Varro tradit, è ſemine braſſicę vetere ſato naſci rapa, & contra è raporum braſſicam. Qui & ipſi riguo, putri, ſolutoq; ſolo protuberant, quamuis deuexo & ſabuloſo gratiores cibo naſcantur, eiuſdem propè culturæ. Seruntur in Martio, alibi ante, atq; etiam Auguſto, ſiccam, tenuem, ſabuloſamque humum amat, etſi pro loci proprietate commutatur, vt iam

Rapunculus.

Napi.

dictum: Nam alio solo rapa biennio sata conuertuntur in napos.

Pastinaca. Pastinaca, σταφυλῖνος Græcè, in aliis linguis ferè Latinum retinet nomen, cartilaginei generis, satiua in cibum vtilis, loco pingui & soluto, altiusque effosso atque pastinato lætatur, vt robur & augmentum angustia non interpelletur. Seritur semine & radice vere atque autumno. Radix pastinacæ pollice crassior dodrantalis extẽditur. THRAS.

Carota. Et Carotas habet hic hortus radice rubentes? MAR. Habet? Siser σίσαρον.

Siser. Galli, *Cheruille*, Germani Merlin/ Itali *sisero* vocant, nosse te puto. Plinius scribit, Tiberium allectum huius cibi præstantia quotannis sisera ex Germania deportãda curasse, nempe ex Gelduba castello in Rheni ripa sito. Frigidis locis delectatur. Seritur ante Kal. Martias: aliis Septembre: Tertiam & optimam sationem esse in Augusto contendunt quidam.

Daucus. Est & daucus δαῦκος pastinacæ species, Itali *Dauco*, Galli *Carotte sauuage* Germani Wurtzel/ Sunt qui putent buxini coloris radices, Germaniæ frequentes, Seruntur Martio. Commune

est

est rapis, radicibus, pastinacis, ac daucis, cepis, porro, vt calcatis herbis premantur aut præcidantur, vt capita generent ampliora.

Porri duo genera, Capitatum πεφαὸν, & sectiuum, cui frondentem comam solo tenus amputant. Capitatum, Græcè κεφαλωτὸν, Itali *Porro capitato*, Germani Lauch/ Galli *Pourreau* vocant, Sectile πρισὸν Græcis, Germanis Schnitlauch appellatum: præter assiduam sarritionem & stercorationem id irrigari debet, quoties demetitur. Semen calidis locis Ianuario vel Februario seritur, frigidioribus Martio, cuius incrementũ vt maius fiat, raris linteolis grana complura collligantur, atque ita obruantur. Sed vt magis in caput extuberet, cum radices agit, furculo leuiter comprehensum subleuetur, vt à terra modo quodam suspensum, quod spacij vacuũ subter inuenerit, capitis vastitate cogatur implere, excisis foliis & radicibus transplantatur supposita tegula, dum in vnum descendere nequeunt, in latum crescunt. Porrum læto solo gaudet, odit rigua, verno tempore satum autumno

Porrum.

transf-

transferri debet, vt capite grandescat, sarculis circumfodiatur assiduè & cõprehensum alleuetur. Si dum transfertur, capiti, stylo vel arundine citra ferrũ punctσ cucumeris semen in medium inseras, mirum in modum fertur grandescere. Sunt qui rapi semen inserant pro cucumere. Vt porrum vel apium maximum nascatur in stercore caprino excauato, atque ita plantato: Nam tenera germina semel compressa ita nascuntur, vt vnius plantæ vicem referant, idque compertum Hieronymus Cardanus scribit. Non olebunt porros, qui cuminum prægustauerint. Decimooctauo à satu die prorumpit, bimatum perfert. Anniculum solo foliatu contentum magis in frondem luxuriat, bimum prosilit in caulem longum, intus cauum, multis in vertice floribus in orbem conglomeratis.

Cepa. Cepa fœminini & cepe neutri generis dicitur, Græcis *κρόμμυον*, Italis *Cipella*, Gallicè *Oignon*, vicina porrò. Et huius genera duo, capitatum, quòd in caput extuberat, Et fissile, quòd citra caput totum in frondem luxuriat, sæpiusque re-

Capitatũ cepe.

reconditur, vt porrum, qua de causa semine seritur, non deponitur. Februario vel Martio seritur sereno & placido cælo, luna decrescente. Terram pinguem postulat, benè subactam, irriguam, itaque proscindi solum iubet Columella, vt hyemis gelicidiis putrescat, deinde stercorari, mox bidentibus perfossum in areas disponi, vulsis herbis, omnibusque deletis radicibus seri. Fissilis dicitur, quòd inferiore parte findatur: Nam hyeme relinquitur cũ sua coma iners, vere folia detrahuntur, & alia subnascuntur iisdem diuisuris. Capita autem ponuntur, & si caudas ipsorum & extremitates auferas, magnæ euadent. Diebus viginti ante plantationem terram fodito & siccato, vt omni humiditate priuetur, & sic plantato, & multo maiores erunt. Capitula autumno seruntur, & semine & radice coalescunt, sicut cætera capitata. Si semina velis colligere, cum virentia caulem cœperint excitare, tum humilibus canteriolis rigor cõseruandus pilorum, scapique leuibus adminiculis veluti iugatæ vites fulciantur, alioqui thalli ventis agitati prosternun-

Fissile cepe.

nuntur, semenq; excutiunt: Quod legendum est, antequam nigrum colorem præ se ferat, siquidem & colore integritatem fatetur, nigritiaque maturitatis index. Si vero non in semen sed in caput colligi velis, folia radice tenus vellantur; sic succus ad inferiora cogetur. Cepe enim omnium olerum lunæ damna non sentit, viresque contrarias habet. Reuiresçit luna decedente, contrà inaresçit adolescente. Sunt, qui tradunt, si minuente luna serantur. tenues & acriores fieri: si crescente, robustas, saporis humecti. Cepa rubra acriora albis. Seruantur optimè in paleis hordeaceis incorrupta, si prius in calidam aquam demersa, mox insolata, donec penitus siccescant. Fumo quoque suspensa durare creduntur vulgo. Pro-

Allium. pter vicinitatem cum cepis de Allio dicere pergo, Græcè σκόροδον, Italicè *aglio*, Germanis Knobloch, Gallicè *ail ou aulx*. Id fronde viret cepitia, sed non caua, tereti caule, in cacumine flores in globum circumaguntur, in quo semen emicat. Allium & semine & radice coalescit, sicut & cepe, ac cetera capita-

ta.

ta. Seritur vulgare Allium menſe Februario aut Martio, pro cœli lociq́ue temperatura, ſicut cepe, appetit liratim ſeri, ſulcis ſemipedali ſpatio ſeparatis & nucleis non alto dorſo lirarum impreſſis, interuacante quatuor digitorum menſura. Deinde cum ternas fibras emiſerint ſpicæ, ſiue cum tria folia iam eruperint, ſarriri debent, grandeſcunt, quò ſępius id factum fuerit. Sed quò vaſtiora capita fiant, antequam caulem faciant, viridem comam omnem intorquere & humi proſternere conuenit. Vt grandeſcant bulbi, crebrò calcandum. Octobri menſe fiunt cohærentiũ ſpicarum diuortia: eæque liratim ſeri debent, arearum puluino impacto, quò minus infeſtentur hyemis aquis. Aiunt odorem extingui, ſi beræ radix in prunis toſta ſuperedatur, vt ex Menandro teſtatur Plinius. THRASYB. Quæ iſthæc herba, quæ ita in altum aſſurgit, vt baculi vice ſcapus eſſe poſſit, & foliis tam amplis ac circinatæ rotunditatis, floribus cum roſa certantibus. MAR. Malua hortenſis hæc eſt. Μαλάχη Græcè dicta, Germanicè Pappel. Italicè & Malua.

Gal-

Gallice ferè nomen retinet Latinum. THRASYB. Illáne, quam Horatius canit ſalubrem corpori. Heſiodo etiam & Martiali celebrata? MAR. Illa ipſa. Mirum etiam hoc habet, quòd folia cum ſole circumagantur, ita, vt ſolarij vice eſſe poſſit, ſole etiam non aperto, horas indicans foliorũ conuerſione, id quòd humoris detractioni acceptum ferunt Phyſici. In Africa ſeptimo menſe arboreſcere ac baculorum præbere vſum ſcribit Plinius. Seritur, cum alias tum Octobri menſe, aut in autumno maximè, vt occurſu hyemis ab incremento altitudinis reprimatur. Delectatur loco pingui & humido lætamine. Transferuntur plantæ eius cum cœperint folia habere quatuor aut quinque. Melius comprehendit, quæ tenera eſt, maior enim tranſlata languet. Vtimur & holerum vice, & in acetariis. Sapor melior, ſi non transferatur. Rara ponenda eſt, ne citò in caulem erigatur, in medio glebulas conſtituere oportet, aut lapillos. Sarculo delectatur aſſiduo; Solum vbi ſeritur, pingue facit. Grandiorem malopem Columella vocat ab emolliẽ-

Solaria herba.

Malope.

do

do malachem. Est & syluestris. THRAS. Portulacam miror an seras cum sponte passim nascatur. MAR. Hanc Græci ἀνδράχνην, Latini portulacam, apud Italos nomen retinet propriè Latinum, Gallis & Germanis *Porchelle* Burtzelen. Seritur in hortis, cultaque latius vagatur, & in vitibus sponte prouenit. Semẽ nigrum in herbaceis calycibus colligitur. THRAS. Bugloſſum βύγλωσσον, quasi lingua bubula, Germanice Ochsenzung vel Burretsch/ Borras/ Gallis *Borache*, Itali *Boragne*, hæccine, quam video flore cæruleo, speciosóque, caule pedali ac ramoso. MAR. Bugloſſum hodie officinis borago dicitur, tametsi floris similitudine nonnihil differunt, & reuera diuersa sunt bugloſſum & borago. Nam boraginem vulgarem quidam bugloſſum minus vocant, maius verò bugloſſum, quod circium Dioscorides appellasse putatur verum bugloſſum, vtriusque flores acetariis inspergunter ac vino, quòd animi voluptates augeat, quare εὐφροσυνὴ dicitur, & folia quotidianis obsoniorum viribus innatant. Seritur circa Martium, semelque sata

Portulaca

Bugloſsã.

Borago.

ſponte prouenit, quamquàm etiam ſyl-
Fraga. ueſtris ſit. THRAS. Perge de fragis diſſe-
rere, quę hic mira fœcunditate aſpectu-
que gratiſſimo prouenire video, cultu,
vt apparet, adiuta. MAR. Maximè. nam
tranſplantatione ſylueſtris fragrariæ &
in hortum areaſq; tranſpoſita feliciter
fructum fert duobus aut tribus annis;
eam tum demum quaſi effœtam tranſ-
ferimus, aut ſylueſtrem ſubſtituimus,
atque ita bifera fit & vere & autumno
frugifera. Quanquam autem opacis lo-
cis ſponte proueniat, quaſi aliarum plã-
tarum vmbra gaudere videatur, tamen
in hortorum coloniam aſcita, aprico ſo-
lo & cultura lætatur, fructúmque mini-
ſtrat vberiorem. Humi ſpargitur ſine
caule multis à radice pediculis, quo-
rum alij flore candido, alij trigemino
comantur folio per ambitum ſerrato,
fraga, hoc eſt, fructum gerunt ruben-
tem & colore & ſapore gratiſſimo. Ger-
manice Erdber/ Galli *Freſes* vocant. Eſt
& frutex altius ſurgens quaſi flagellis
laſciuiens, qui fructum fragis ſimilem
fert. Dioſcorides rubum Idæum appel-
Rubus Idæus. lare videtur, quòd in Ida monte copio-
ſe pro-

se proueniat, sic dicta. Non, vti alius rubus, spinis horrens, sed tener ac surculosus, foliis colore subcinericiis. Mora fert rubra, sed pallidiora fragis, dulci gustu. Græci βατον ἰδαῖον & ῥόμαρον vocãt, Germani Imberen/ Galli *Framboise*. THRAS. Quis nam frutex ille binûm cubitorum? MAR. Vulgo liquiricia dicitur, Plinius glycerrhyzon appellat, Græcis, γλυκύῤῥιζα dicitur. Italicè *Regolitia*, Gallis *Reglisse*, Germanice Claritz oder Sußholtz / Vocatur dulcis radix. THRASYB. Eam non arbitror hisce regionibus prouenire: ad Mœnum frequentem esse audio; quonam pacto colatur audire gestio, nam radicem habet dulcore, à quo nomen habet, commendabiliorem. MAR. Plantatur sarmentis, vt lupulus, gaudet solo nõ crasso, sed leuiore & aprico: Carpitur Septembri. THRASYBVL. Ecquid de Ribis? putásne veteribus notam fuisse hanc stirpem? MAR. Quam ribis nostra ætas vocat, Germani Sant Johans Berle oder traüblin/ quòd circa solstitium rubicundis & maturis baccis ornetur, quæ sapore acidulo æstuantem stoma-

Glyceriza

Ribes.

chum refrigerant, ſitim reſtinguunt, maximè quæ febricitantes excruciare ſolet. Salgamarij ſaccaro vel melle condiunt ad totius anni vſum. Veteribus putatur ignota fuiſſe, vulgaris nunc planta, ſepiendis hortorum puluinis cameriſque tegendis idonea, facilis cultura, niſi quòd pergulis & topiariis operoſis flexibilis. THRASYB. Cum lupuli mentionem feceris, num & vos vrbanis hortis colitis eum fruticem, qui ruſticis prædiis familiaris? Nam apud nos ſunt, qui non vulgarem ex eo quæſtum faciant. MAR. Tu igitur ediſſere nobis, qua arte colatur. THRAS. Plantatur ſtramentis, vti vitis, quod & tu de Glycyriza paulo ante dixiſti, idq; in autumno, vel ſi glacies hyberna metuatur, in Martio: Sarmenta reciduntur à radicibus etiam afflictis, & in terram merguntur, ac pingui fimo terraque obruuntur, quaſi cumulis aggeſtis, atq; ſic condita per hyemem relinquuntur. Vere terra foditur ſarculo, non ligone, atque aggeratur purgaturque inutilibus herbis ac ſtipibus. Circa Maium pali defiguntur, quibus ſcandendo circum-

Lupulus ſalictarius & reptiti⁹. Hop.

cumuoluitur, vnde reptitius lupus dicitur. Quicquid ſupra florem ſarmenti emicat, id reſecari ſolet. Circa Septembrem aut ad finem Auguſti flores decerpuntur ad cereuiſiæ temperaturam. A meſſe lupuli ſtramenta ad terram reciduntur, terraque rurſum in tumulos aggerata ſimo operitur. Vere ſtramenta è ſimo collecta auferuntur, terra runcatur, colituráque vt diximus. Cacumina & ſurculi, qui primùm è terra circa Aprilem erumpunt, decerpi ſolent, grati acetariis, & prodeſt ne nimium luxuriet. Atage tu ad explicationem horti tui reuertere. Heus, quàm elegantes Melones, Pepones, Cucumeres atque curcubitæ! horum culturam nobis aperias. MAR. Melones, à malorum figura, quaſi pomeos, appellarunt quidam. Sunt è genere cucumerũ, è quo & Pepones, qui *Pompons* Gallicè dicuntur. Cucumis ſatiuus, σίκυος ἥμερος, Italicè *Cocomero & cedruolo*, Germanicè & Gallice *Cocumbre*. In pepones & melopepones degenerat, figura & magnitudine tantùm diſſidens: cum magnitudine exceſſere, pepones, cùm verò rotundi

Melones.

Cucumer vel Cucumis.

Pepones. Melopepones.

tundi ex malo & pepone, melopepones vocantur. Totum genus hoc, Melones appellarunt ſcriptores aliquot. Græci omnia tam cucumerum, quàm Melopeponum genera, pepones nominant ac Melones: Etſi ſunt, qui Melones à Peponibus diſtinguant: Neque inter eruditos de his nominibus ſatis conuenit, neque quid veteres per pepones & melopepones intellexerint, certò affirmari poteſt. Pepones ſerpunt longius flagellis reptantibus, frondibus ſcabris, flore luteo. Eſtur, cùm maturuit, cum voluptate. Genus, quod dulcedinem repræſentat, Sucrinos appellant. Melopepones in Campania primùm geniti putantur, mali cotonei effigie. Non pendent hi, ſed humi rotundantur: Maturi à pediculo recedunt. Cucumeres alij Citrini, à colore flauo, cùm maturuerint, vocantur, & Citruli, vel Citreoli, in longum creſcunt, maculiſq; citreorum inſtar diſtinguuntur. Alij marini, rotundi, Cucuſſæ marinæ Italicè. Semen eius, veſcum eſt, antequàm maturuerit. Conciditur in iuſcula, non multum forma diſtans à melone. Eſt &

Sucrini. Melopepones.

cucu-

cucumer rotunditate immensa, modij instar: Messores Itali frusta secũ ferunt siti sedandæ. Seritur totum hoc genus mense Martio: rarius distent inter se semina pedibus duobus, locis riguis & fimo subactis, vel pastinatis maximè arenis. Mulso vellacte per triduum maceranda semina, & tum iam siccata ponenda. Hinc suaues efficiuntur. Odorati fiunt Melones, si corũ semina multis diebus rosarum foliis immergantur. Cucumeres longos & teneros fieri perhibent, si aquam in patente vasculo sub eis ponas, duobus palmis inferiorem, ad quam festinando tales fient. Aquam amant adeò, vt dissecti ad eas adrepant: Si pendeant, aut si quid obstet, curuantur, veluti si oleũ apponatur, quod vehementer odêre. In fistula flore demisso, in longitudinẽ immensam crescunt. Hyemem oderunt, sicut & Curcubita, cui similis propè natura: nam & floribus, foliis, reptantibusq; flagellis conuenit. Sed hæc in scandendo procacior, incremento pernici pergulas opacans, & parietum aspera in tectum vsq; conscendens, sublimitatis natura auida, de-

Cucumeres grandiores.

Cucurbita.

pendente à tenui pediculo enormi põderis fructu, coloris herbacei, pyri figura turbinato: quamuis vbi defloruit, ea quoq; prouenit effigie, qua cogitur, siue in caput, siue in lagenam, aut aliam formam. Tradunt nouem pedum longitudine nasci: rotundæ etiam in vsum vasorum excrescunt. Cortex musteo tener, inueterato durus: qua carne prius exinanita, peregrè proficiscentes vrceorum vice frequentius vtuntur, in eo potum condentes, quo in itinere sitim leuent. Cucurbitæ, quæ æstate in cibo vsurpantur, diuersæ sunt formæ: alia enim rotunda, alia longa, alia sessilis: & quanquam forma diuersa, vis tamen eadem est: si quidem forma fingitur arte: crescit, qua cogitur forma plerunque draconis intorti forma. Et alia reptantibus flagellis scandit in altum: vires sine adminiculo non sunt, velocitas pernix leui vmbra pergulas atque vmbracula operiens, vt diximus. Græcis dicta κολοκυνθη, Italis *Zucca*, Germanis **Kurbiß oder Fleschen**/ Gallis *vne Courge*. Semina quæ collo propinquiora, proceriores pariũt cucurbitas, quæ in medio

Cucussæ. Zuccæ.

dio, rotundas, quæ lateribus, craſſas breuioreſq; ac ſeſſiles, vt Palladius teſtatur. Tam cucurbitæ, quàm cucumeres grandiores pariunt, ſi ſemina inuerſa ponas capitibus, Columella auctore. Solum amat humidum, pingue, ſtercoratum, ſolutũ, fimo iuuatur plurimùm & rigatione. Quæ tamen ſine multa rigatione conualuit, fructum iucundioris ſaporis præbet. Copiam aquæ nacta, minorem curam deſiderat. Seſquipedali altitudine ſulci fodiendi ſunt, & tertia pars ſtramentis inditis tegenda, mox ſtercorata terra vſq; in dimidium ſulcum aggerenda, poſitiſq; ſeminibus tam diu aqua præbenda, donec enaſcãtur: vbi conualeſcere cœperint, adiecta humo, incrementa eorum proſequenda, donec ſulcus coæquetur. Rariùs ſeruntur, vti diſtent inter ſe ſemina pedibus duobus. Erumpit poſt ſextũ aut ſeptimum diem. Quæ ſicco ſolo ponũtur, diligenter rigãda: quare in fictilibus aquam apponunt, inditis faſciis, quæ humorem miniſtrent. Vbi adoleuerint, adminiculis fulciendæ. Cibis gratiores, quæ longiores. Cauendum, ne mulier

admittatur, vbi cucurbitæ cõsitæ: nam eius contactu langueſcunt incrementa virentium. Quæ ſeruantur ad ſemina, vſq; ad hyemem in ſua vite dependeãt, deinde ſublatæ in ſole ponãtur, aut fumo: alioqui ſemina putrefacta pereunt. Recentes durabunt, ſi in ſinceram albi vini fecem, picatis doliis, demergantur, aut ſuſpendantur in cado acetum continente, ita tamen, ne contingat acetum. Colecynthis ſylueſtris etiam cucurbita dicitur. THRAS. Quid ſibi vult carduus pubeſcens? MAR. Nuncubi in Columella tuo Cinaræ mentionem fieri legiſti? præſertim in carminibus de hortorum cultu, cùm inquit:

Colecynthis Carduus ſatiuus. Col. lib. 10.

Hiſpida ponatur cinara, quæ dulcis Iaccho
Potanti veniat, &c.

Athenæus ad finem ſecũdi libri dipnoſophiſtè Sophocle:

Κυνάρος ἄκανθα πάντα πληθύει γοῦαν.

Carduus eſt olitorum mangonio altilis, heroum menſis in delitiis habitus, qui, vt vides, cõpactilibus ſpicis ſquammatim coagmentatis conſtat, in quibus orbiculata & pyramidalis facies exterior vireſcit. Græci σκόλυμον & κίναρον & κίναρον

κίναρον ἄκανθαν vocãt. Latini ſtrobilum, quod ſit ipſe echinus, vel capitulum nuci pineæ ſimile. Galli *Alticocalum* appellant ab articulo Arabum al & cocalos, qui nucleus eſt pineæ nucis, deinde corrupto articulo *Artichaut* vulgò appellatur, Italicè *Cardo* & *Cardioſſe*, Germani partim gallico vocabulo, Artiſchock / Artiſchaw / partim Strobelborn/oder Welſch Diſtel. A Columella, cinara appellata planta, quod dum colitur, cineribus maximè gaudeat. Semen commodius circa Martium ſeritur, eiuſq; planta circa Nouembrem deprimitur, vt verè ſuos fœtus largiatur multo cinere ſtercorandos: vere ſata vix eodem anno fructum dabit. Cauendum, ne ſemina inuerſa pangantur; nam ſic incuruæ pumilæq; fient cinarę. Terram ſtercoratam & ſolutam diligit, & in pingui melius prouenit. Palladius quoque addit, creſcente luna ſemina in paratis areis, ſpacio ſemipedis diſcreta, non altè imprimi, ſed tribus digitis comprehenſa, donec ad primos articulos terra procedat, demergi, ac leuiter obrui rigariq; frequenter, ſi æſtas interueniat: nam Strobilus.

nam ita fructum pleniorem educabũt. Cùm adoleuerint, herbis assiduè liberentur, & cinere, vt diximus, stercorabuntur. Traduntspinis carituram, si seminum capita prius lapidis attritu retundantur. Dulces prouenient, si in lacte semina macerentur. A talpis & muribus defendere plantam oportet, vel catorum, vel mustelarum domitarum præsidio, vt Ruell. docet. Athenæus Cinaræ caulem, cactum κάκτον, qui humi procumbit, qui verò in rectum subuehitur, pernica vocari tradit. THRAS. Age, quæ isthæc est herba, quæ veluti capillamentis erumpit, flore suppurpureo ac pallescente, cœruleiq; calycis, in quo flammea eroci stamina. MAR. Crocus est, Græce κρόκος, quod nomen & Italice ac Gallice retinet. THRAS. Valeat igitur Corycum atq; Sicilia, Cyrenaque: vnde ad nos tanto pretio adportatur. MAR. Imò & in Germania prima apud Vangiones, Nemetúmque Spiram, & aliquot aliis regionibus feliciter prouenit: & odore ac temperamento cum quolibet certans externo. Seritur in Martio, radicis bulbo. Nam radi-

Cactus, κάκτος περσικα.

Crocus.

radicem habet bulbulosam, ac capitatam, instar lilij, porri aut scillę. Constantinus tradit, viui radicibus plãtari, cùm florem abiecerit: Florem autem prius remittit, quàm folia. Bulbi autem, vel radices croci sic crescunt sub terra, vt ad nonam quotannis sobolem decerpi aliqua portio possit. Quibusdam locis septimo aut octauo anno transfertur in locum bene subactum, atque ita degenerãs reuocatur. Regionibus Rhenensibus tertio anno vellitur, & exiccatur vsq; ad Augustũ, postea extrema membrana ablata in terram reponitur, ad semissem pedis dispositis singulis capitibus. Optimum quod pinguissimum, & breuibus capillis: pessimum squalidum, & quod situm & cariem redolet, odore subacuto: Iuxta semitas & fontes exire lætissimum, quando calcari gaudet, & atteri pedibus, pereundoq; prouenire creditur. Viret bruma. Colligitur autumno. Vbi bonum colorem nactus, detractis à medio flore capillis cuspide, & triduo quatriduóue resiccatis, summa pars purgatur, & si quid adhæserit albi, detrahitur, conditurque vasis

benè

benè obturatis. Sunt qui putent in vmbra ſiccandum. Seplaſiariorũ impoſturis adulteratur, recremento intrito, aut ſapa, quam ſublinunt, addentes argenti ſpumam aut plumbaginem ponderis augendi cauſa. Vitium proditur, quòd in eo pulueres intercurrunt & defrutũ vel ſapa ſubolet. Probatio ſinceri, vt impoſita manu crepet, veluti fragile: Dilutum autem cedit: Vel, ſi manu ad os prolata leniter faciem oculoſque mordeat. Quapropter optimum fuerit recens, fragranti odore, colore aureo, manus fricantis inficiens, in reuolutione oblongum, in fragendo lentũ. In Martio purgandum ſolum, & ſiue vellatur, ſiue non vellatur, nihilominus aliæ herbæ ſeri poterunt vſque ad Auguſtum. Optimè interim portulaca, petroſelinum, ac ſimiles herbæ eodem loco producuntur. Atque tum ſolum, cùm florere incipit, ab aliis herbis repurgandum: nam autumno circa Septembrem aut Octobrem floret.

Roſmarinus.

THRAS. Roriſmarini magna hîc copia: præcipuum horti ornamentum, neque cibis negligenda herba. MAR.

De

De Rosmarini cura, quia sic iubes, pauca adijciam. Sunt qui putent esse, quem Græci λιβανῶτιδα dicunt, quòd thuris propè odorem spiret, aliis ferè linguis nomen retinet Latinum. Vsum præbet & voluptatis, & culinæ. Theophrastus & fertilem & sterilem describit. Plantatur ferè è surculis, è cacumine decerptis in Aprili, cùm exponi solent: Mulierum parergis variæ formæ surculis ducuntur, modò currum, modò pauones, & alias effigies fingentes. Asperioribus locis delectatur. In capitibus vmbellæ gestantur plenæ seminis candidi & rotundi, Cachrym dicunt. Floret bis anno, vere & autumno. Carpitur flos à Maio ad Septembrem, & prodest subinde decerpere, ne nimium luxuriet. In Narbonensi Gallia sponte prouenit adeò copiosè, vt ad focum vix alio ligno vtantur. Hyeme reponitur in hypogeis, & sub vernum tempus redditur hortis: atque hic cùm primum promũtur, vitare oportet solẽ Martiũ, & paulatim cœlo primũ vmbroso cõmittere. Sũt, qui stipulis fimoq; equino veluti tuguriis cingant, atq; in hortis relinquant.

Cachrys.

Saluia

Salua. Saluia Græcis ἐλελισφακος, aliis nationibus ferè Latinum nomen vſurpatur, herba cuius natura nuliis hortis ignota, ſeritur ſemine & ſurculis, circa Martium, locis aſperis & quibuſlibet: olitores lixiuij cinere munire ſolent fruticem, vt lætius proueniat, ſemel ſata diu durat.

Mentha. Proxima huic Mentha, Græcè μίνθη & ἡδυοσμος, Germanicè Münts. Itali Galliq́ue retinẽt Latinum nomen: ſeritur colituŕque eadem diſciplina, qua ſaluia, tam apricis quàm humidis locis gaudet: quare iuxta fontes commodè ponitur. Si ſemina defecerint, licet de noualibus ſylueſtre mentaſtrũ colligere, atque inuerſis cacuminibus ponere: quæ res feritatem detrahit, & ſemel ſata pluribus annis reſtibili fertilitate durat.

Pirpinella. Pimpinella quæ vulgo dicitur, eam Græci τρέφιον vocant, quod nomen & Latini retinuerunt, acetariis vſurpata & remediis variis. Et hæc ſemel ſata durabilis eſt locis apricis ſimul & opacis, pluribus locis citra culturam erumpit:

Elsine. Sunt qui elatinen, pampinariam putẽt, an rectè, viderint illi.

Hyſſo-

Hyſſopus, Græcè ὕσσωπος, idem nomen pluribus linguis Europæ retinet, herba & ipſa olitoriis hortis nota, locum poſtulat apricum, non admodum tamen pinguem, & ſtercoratum. Seritur ſemine & plantis; vbi ſemel prehenderit, viuacior eſſe ſolet, quàm vt hyemem reformidet. Hyſſopus.

Satureia, quæ & cunila, Columellæ dicitur, thymo non multum diſſimilis, θύμβρα Aeginetæ, Italicè *Coniella, Sauoreggia* & *Thymbre*, Gallicè *Sauoreie, ſarietra*, Germanicè Kunel/ Zwibelhyſſop/ locis aſperis gracilibuſque naſcitur, ſeriturque vt præcedentes plantę. In proximo eſt, quæ vulgò Baſilica, & Italis & Germanis atque Gallis vocatur, Græcis ὤκιμον, quo nomine & Latinis ocymum dicitur, herba paſſim in viridariis ædiumque feneſtris, odoris gratia expoſita, etiam in cibis vſum præbet. Seritur ſemine, Martio & Aprili, gaudet apricis: duo grana ſimul ponuntur. Baſilica meridiana rigatur aqua, reliquæ herbæ, & matutina & veſpertina: tranſplanturq; Maio. Theophraſtus tradit ocymum maledictis ſatum lætius prouenire. Satureia. Cunila. Thymbra. Baſilica.

Amaracus eiuſdem propè vſus, aliâs
Maiorana maiorana & Germanis & Italis vocata, Gallis *Mariolaine* & *Thyn* vocatur, Græcis σάμψυχον Dioſcoridi & Paulo Æginetæ: Et hæc ob odoris ſuauitatem fictilibus atque hortis ſeruatur. Seritur ſemine in Martio, tribus aut quatuor granis, dimidij pedis diſtantia, Maio tranſplantatur, quando incipit eſſe grandior, vt & Baſilica.

Thymus Thymus his affinis Græciſq; θύμος, quod nomen aliis Europæ linguis prope commune, petroſis tenuibuſque & apricis lætatur, non etiam pinguibus & ſtercoratis, & ſemine & planta proſilit, imò & flore, vt Theophraſtus teſtatur. Hæ iam dictæ tres herbæ ſemine producuntur, ſeruntúrque curioſius, vel fictilibus, vel hortorum areis. Hactenus
Voluptuariæ herbæ & coronariæ. ferè edules deſcripſimus, quæ in maiore vſu: & quia poſteriores etiã ſpiramẽtorum gratia coluntur, ſubiiciemus & reliquas plantas, quæ odore & viſu voluptatem præbent, ſuis, vt vides, areolis diſtinctæ, hortúmque ornant, & pleriſque aliis vſibus accommodantur. De Roriſmarini cultura ſuperius facta mẽtio.

tio. Verum ab iis, quæ ante pedes positæ, ordiar.

Lauendula hæc & lauanda dicta, quę areas cingit, Græcis ψευδονάρδον vocari putant, vulgo passim nomen retinet. Nascitur locis asperis & apricis, seritur surculis, transferturque. Spicatur in Iunio, & deinceps Iulio in scopas componitur, odoris gratia, flores percolantur odoratarum aquarum gratia. Lauẽdula Lauanda.

Amaranthus quem aliqui Helichryson, ἐλίχρυσον alij χρυσάνθεμον existimant, etsi odore careat, aspectu tamen gratissimo commendatur hortis. Galli ob coloris gratiam, vel coccum quoduis, siue saturatum, siue dilutum, nitore vincentem, *Passeuolutum* vocant, Hetrusci fioruelluto, quia cum holoserico coccineo, quod Carmesinum vocant, coloris præstantia certat. Gaudet decerpi, atque hoc lætius prouenit, floresque madefacti reuiuiscunt: fictilibus seruari solet. Amaranthus dicitur, quòd non marcescat. THRAS. Sequitur Cyparissus. MAR. Cypressum vulgò vocant: Plinius putatur χαμαικυπάρισσον, quasi pumilam cypressum, alij Santoniam atq; Amarãthus.

Cypressus

abrotanum fœminam esse existimant. Germanis Cypreßen. Gallis *Cyprez* vocatur vernacula, Colitur in hortis passim, annua regerminatione fruticans.

Myrtus. Myrtus Græcè μυρσίνη, Italis *Myrto*, Germanicis Welsche Heydelbeer/ Gallis *Meurte*, Oleæ foliis non multum dissimilibus sed minoribus, angusta fronde perpetua seriatim disposita, vt vides, baccis nigris, perpetua coma viret, foliis punicæ æmulis. Seritur ligno, ramis & semine, sed terra iugiter accumulanda, dum germinantes ramuli roborentur: alij baccis seminaria ponunt, quas leuiter tunsas inuolutasq; fossulis obruunt: melius fruticabunt, si in caput figantur, gaudet iugi repurgatu, ita in proceritatem adolescit ad textile masculorum opus vtilis. Rigari humana vel ouilla vrina desiderat. Succi natura præcipuam habet admirationē in myrto, quando ex vna omnium, vini oleique genera fiunt. Cato docuit, vinum fieri è myrto siccata vsque in aridita-

Myrtides. tem, atque ita mulso indita, si non siccentur baccæ, oleum gigni. Myrtides, ipsæ myrti baccæ, myrtitæq;, & myrsynites

nites vinum à Dioſcoride traditur, qua arte fiat. Tria genera tradidiſſe Catonem, Plinius author eſt: candidam, nigram & coniugalem. Gaudet littoribus, Seruij teſtimonio: In Italia, præſertim maritimis locis frequens, etiam ſponte proueniens. THRASY. Heus quàm ſpecioſi Cariophyli atque odoratu ſuauiſſimo! Verè dixeris, neque Solomonem in ſuo magnificentiæ ſplendore ad huius floris nitorem aſpirare potuiſſe: alius cocco rutilat, alius ſaturata nitet purpura, alius niueo blanditur candore, alius vernículato & vario arridet aſpectu: Miror veteres harum nullam mentionem feciſſe. MAR. Non deſunt, qui Vettonicam aut Betonicam altilem exiſtimẽt, herbarios autem radicibus Betonicæ cariophylum adegiſſe, vel factis ſtylo foraminibus inſeruiſſe, quo iucundum odorem flores alliciant: atque ſic ex betonica ſylueſtri manſuetam, & ex minus odora odoratiſſimam redditam. Vettonicam aliqui nominant ab Hiſpanis Vetonibus populis, vt ferunt, inuentam. Sunt, qui œnanthem exiſtimant.

Cariophyli.

Vettonica Betonica.

Oenãthe.

nam floret cum vite, alij graminis ἀγρώστεως speciem esse. Solum amat apricum & tepidum, & solis illustratu lætatur. Semine rarius seritur, crebrius surculis, vti de Roremarino diximus. Sed herbarij ineunte autumno sobolem à radice copiosam eruũt, & patulis fictilibus, aut cophinis, aut cadorum turbinibus pangunt in terra fimo putri saturata, & cùm hyemis gelicidia premunt, recondunt sub tectis, locis à frigoribus tutis: Cumq; serenat cœlum, solque feruidus illuxerit, reuocant in apertum: & cum incesserit pluuia, aliquãtisper madescere sinunt. Sæpè in hypogeis & cellis totam fruticare visum hyeme, loci tempore fauente. Nonnulli in areis ramulos radice vulsos figunt: & per hyemis frigora lætamine muniunt, quò possint ab iniuria frigoris vindicari. Contingit eandem herbam, vno anno candidum & alio purpureum parere, & tertio, colorum varietate promiscuum. THRAS.

Ros. En rosarum varia genera, labyrintho distincta & topiariis: num & semine aluntur, an surculo & transplantatione? MAR. Rosæ Græcè ῥόδα dicuntur: cæteris

teris ferè linguis patria vox retinetur: Hæ variè plantantur: Alij viuiradices integras transferunt: alij euulſas vnà cum radicibus palmari altitudine, conciduntque tum ipſas radices, tum quicquid ex iis enatum, omniaque ſegmenta plantant cubiti diſtantia. Quidam coronas odoris gratia plicatas plantant. Semine deſitum eſt ſeri, cùm alioqui poſſet. Seriùs enim ita prouenit; fruticibus igitur per ſurculos pedales diſponitur. Sed ante Cal. Martias, & inter putari oportet; hoc modo culta multis annis durat. Seri nec pingui, nec argilloſo ſolo, nec riguo poſtulat, contenta ruderibus, propriéque ruderatum agrum amat. Foditur altius quàm fruges, leuius quàm vites. Roſa naſcitur ſpina veriùs quam frutice, in rubo quoque veniens. Germinat prima incluſa granato cortice, quo mox intumeſcente, & in virides alabaſtros faſtigiato paulatim dehiſcens rubeſcit, & ſeſe pãdit, in calycis medio complexa luteos apices. Plinius varia genera commemorat, Mileſia ardentiſſimo colore, Alabandica albicantibus foliis, Sper-

monia viliſſima: Damaſcenę albæ diſtillandis aquis vſurpantur. Differunt foliorum multitudine, aſperitate, lauore colore, odore. Sunt, quæ quina tantùm folia habent, alię centifolia, neque odore, neque ſpecie probabiles. Odoris indicium ſcabricia corticis, vt Plinius tradit. Sunt pallidulæ, quas incarnatas & prouinciales appellant. Hæ latiſſimè fruticant ſemel plantatæ, gratiſſimi odoris. Roſaria Februario menſe conſeruntur, quæ ſulco breuiſſimo aut ſcrobibus ponenda ſunt, vel virgultis, vel etiam ſemine. Semina roſarum, vt ſcribit Palladius, non ſunt medij floſculi aurei coloris, quos roſæ ferunt, ſed baccas nutriũt: quas in breuiſſimi pyri formam turbinatas ac ſemine turgentes poſt vindemiã reddunt maturas: Quarum maturitas ex colore fuſco, & mollitie æſtimatur. Semel plantatæ, diu durant, atque emortuæ etiam veteres nouellas emittunt. Si plantarum indigus voluerit quis ex paucis habere copioſa, quaternûm digitorum vel circiter gẽmantes ſurculos cum ſuis ſarmentulis excidere, & in modum propaginis ſternere,

Prouinciales & incarnatæ roſæ.

Semina Roſarum.

nere,

nere, ſtercoratu rigationibuſque tueri debet: Vbi anniculi ſunt, pedis ſpatio inter ſe diſtinctos transferre, luxuriantémque materiam omnem adimere, & crebris defoſſionibus exhilarare. Roſatia putari volunt: nam reſecatione fieri criſpiores, quæ alioqui ſimplices futuræ: Vſtione quoque proficere. Translatione, vt vitis, optimè ocyſſiméque prouenit, ſurculis quaternûm digitorum longitudine aut ampliore, poſt Vergiliarum occaſum ſata, dein per Fauoniũ tranſlata, pedalibus interuallis crebrò circũfoſſa. Antiqua roſaria in Februario circumfodiuntur ſarculis, & aridi-tas reciditur, & quæ rara ſunt, ducta virgarum propagine reparantur. Vt quinque diuerſos colores habeas roſarum vno ſtipite, eo tempore, quo gemmæ turgere incipiunt, ſúbula ſubter genicula deorſum terebrato ſtipitem aut ramum, & mox excoctum berſilino ligno colorem panno indito foramini, & ad eundem modum alia ſtipitis parte viridem colorem, atque alio flauum, & ſic deinceps alios, quos velis colores, poſteà foramina fimo bubula & limo

terráve pingui obducito. Si roſam temporius habere voles, duobus palmis ab ea in gyrum fodies, & aqua calida bis rigabis in die, atque ſic etiam Ianuario roſas habere poſſe, Democritus promiſit. Roſas nondum patefactas ſeruabis, ſi in canna viridi ſtante fiſſa recludas, vt fiſſuram coire patiaris, eóque tempore recidas cannam, quo roſas virides habere velis. Aliqui olla rudi conditas ac benè munitas ſub dio obruunt, ac ita reſeruant; vita vigorq; roſis manet, quæ amurca ſic merguntur, vt humor extet. Si indeſinenter habere velis, ſingulis menſibus plantato, ac ſtercorato, & ſemper habebis, vt Didymus tradit. Vt duplicem florem ferant roſæ atque ſimiles plures, è granis ſeminis duo aut tria in culmum indas, atque ſic terra obruas. Si allium iuxta roſas plantaueris, odoratiores erunt. Maximè autem ſicco loco plantatæ odoratiores fiunt. Refert cæli temperies. Quibuſdam annis minus odorata prouenit. Roſa candorem contrahit, quæ ſulphuris nidore ſuffiatur, cùm dehiſcens in folia cœpit euolui. Inter omnia roſarum genera maxi-

maximè commendantur odore & gratia, quæ vocantur incarnatæ & prouinciales. Roſaceum oleum etiam Homero Troianis temporibus vſurpatum. Et aceto roſaceo hodie plurimus vſus. Incarnatæ roſæ.

Lilium roſæ nobilitate proximum, propter odorem & candorem eximium: Græci vocant κρίνον & λείριον: Itali *Giglio*. Gallis *Fleur de lis* Germanis Lilie. Græci perhibẽt è Iunonis lacte natum, reſperſa terra. Februario mẽſe liliorum bulbi ponuntur, vel lilia iam ante habita, ſarrimus ſumma diligentia, ne oculos circa radicem naſcentes, & minores bulbulos ſauciemus: qui à matre diſtracti, atque in alios ordines digeſti, noua lilieta formabunt. Sicut & roſæ, ita & lilia odoratiora ſunt, locis ſiccis conſita. Lilia, vt & roſæ, ſemel ſatæ diu durant. Eſt & rubens lilium, alibi hominum ingeniis factum. Nam ſi liliorum ſcapi areſcentes in fumo ſuſpendantur, & nudantibus ſe nodulis deinde in fece vini nigri menſe Martio macerentur, ita, vt colorem accipiant, moxque in ſcrobiculis ſerantur vini fece circumfuſa, purpurea naſcuntur. Lilium.

Viola

Viola. Viola Græca nomenclatura eſt ἴον: Viola nigra & purpurea, ἴον μέλαν καὶ ἴον πορφυροῦν, Italis *Viola porporea*, & *viola mammola*, Gallis *Violettes*, *Violets de Mars & Careſme*, Germani Violen. Hæc etſi vulgo ſylueſtris circa ſepes & muros proueniat: eſt tamen altilis etiam, ſicut cætera olera, ſeriturq; plantis, ſicut holus. Sunt varia violarum genera, & colore etiam diſtincta: Sed eadem ferè diſciplina. THRAS. De oleribus, voluptuariiſq; plantis iam abundè mihi ſatisfactum. De tertia plãtarum ſpecie, nempè medicarum, quas hîc quaſdam video, aliquid ediſſeras: nam & medicas tibi hortus tuus præbere videtur. MAR. Naturæ placuit remedia quibuſlibet malis vulgo expoſita eſſe, ſed fraudes hominum ingeniorumq; capturæ officinas inuenere, in quibus venalis hominum vita, vlceriq; paruo medicina à rubro mari atque ex India petitur, cùm vera remedia pauperrimus quiſq; quotidie cœnitet. Nam ſi ex hortis petatur medicina, nulla artium vilior erit. Noſti, quid Cato tuus, & quot remedia Braſſicæ, quotidiano oleri, tribuat.

Medicæ. plantæ.

Officinæ.

Medicina ex hortis.

THRAS.

THRAS. Memini. nam ſe familiamque ex horto curare conſueuiſſe tradit. Sed quænam iſthæc herba caule longiuſculo, foliis in cacumine ſubnigris, oblongis atque ſerratis? ni me fallit iudicium, conſiliginem eſſe dixero, cuius radicula pecoribus mederi ſolemus. MAR. Maximè. Veratrum ais, Græcis ἐλλέβορος, etſi duplex eſt, aliud album, quod Germani Nießwurtz vocant: aliud nigrum, Chriſtwurtz / quod circa Natalem Chriſti floreat. Itali, Galli, & Hiſpani ferè Græcum retinent nomen. Radicem huius plantæ pecoribus & iumentis, vel in auriculam, vel pectori inſerunt, quoties pulmaria & aliis quibuſdam morbis laborant. Columella conſiliginem appellaſſe creditur. Hortenſis non niſi ſata prouenit, durátque diu, amat loca frigida & aſpera.

Veratrum.

Conſiligo.

Non procul eſt & alia herba remediis ac medicina nobilis Angelica, Græcis μύῤῥις creditur appellata: & Latinis myrrhis ſit nec ne, herbariis iudicandum relinquo. Italis, Germanis & Gallis Angelica dicitur; eius radix, quia peſtilentiæ reſiſtit, & aliis pluribus facultatibus

Angelica.

tatibus prædita in hortis colitur, ſemelque ſata, reſtibilis durat: prouenit & montanis locis ſylueſtris; floret Iulio & Auguſto.

Heleniũ. Enula. Huc pertinet & Helenium ἑλένιον, Italis *Enula*, alias *Enela*, Germanis Alãt/ Gallis *Aulne*. Hæc quoque valetudinis conſeruandæ gratia certis remediis colitur in hortis, ac propagine pangitur radicis gratia; prouenit & montanis, vmbroſis & ſiccis locis. Aeſtate radix eruitur, & conciſa ſiccatur: hodie enula campana dicitur, flore eſt luteo, folio verbaſci, ſed albicante, & altera parte lanuginoſo.

Enula cãpana.

Abſinthiũ Abſinthium etſi paſſim ſponte proſiliat, tamen hoc quod vides, *Seriphium* dicitur: vel, vt alij, ponticum, noſtri Romanum vocant Römiſchen wermut/ Italis *Aſſenſo*, Galli *Aluine* & *Abſinthe*: id hortis colitur apud nos, creditur-que efficacius.

Sabina. Sabina ſiue Sauina, quam colimus in hortis, ad varios vſus etiam iumentorũ laborantium remediis, Græcis βραθὺς dicitur, Germanice Seuenbaum/ Italicè nomen retinet Latinum, Gallicè *Sa-*

uiniere

uiniere vel *Sauinier*, foliis cupreſſi ac Iuniperi, perpetuò virentibus. Eſt duorum generum, altera tamaricæ ſimilis, altera cupreſſo. Arbor in latum magis diffuſa quàm procera, baccas fert, Autumno colligi poſſunt fructus, vel alio quouis tempore. THRAS. At videmus hortos variis vitiis, & beſtiis vaſtari; aduerſus hæc quónam remedio vteris? MAR. De vitiis ſoli curandis & ariditate nimia, atque humiditate ſarcienda, initio diximus. Quod ad beſtiolas attinet, quæ herbis nocere ſolent, inter eas præcipuè ſunt erucæ, limaces, talpę, ſorices, culices, atq; formicæ. Sunt, qui tradant; ſi fuligine ſemina miſceantur, aut ante ſationem ſucco herbæ ſedi, vel ſemperuiui macerentur, nihil ſic medicatis nocere erucas. Item erucæ arboribus aut oleribus non hærebunt, ſi rore aquæ perfuderis, in qua vitigineus cinis maduerit. Adde faſciculis allij ſine capitibus, per horti ſpacia combuſtis, eo nidore vinci erucas. Naſci prohibentur, ſi circa arborũ olerúmve crura bitumen & ſulphur, ignem non expertum, accendas. Idem de

Aduerſus erucas remedium.

de lixiuio è ficulneo cinere traditum. Formicas frugum aceruos non attingere, nec etiam plantas, si creta circumscribantur, vel cinerem cochlearum crematarum in foramen mittas. Atque etiam, si aliquæ captæ crementur, odore fugantur. Si oleo Cyrenaico lasere perfusum cuniculis aspergitur, prorsus extingui tradunt: Arbores non attingere, si caudices lupinis amaris, vel bitumine ex olea aspergas. Erucas conuenit excutere ab herbis vel vesperi vel mane, cùm adhuc torpent. Item aqua cum anetho per horti spatia, cum infrixit, diffundenda, & erucę necabuntur. Proditum est, si cicer circumseratur, erucas non nasci; quòd si iam natæ sint, succũ absynthij decoctum fundendum. Bubulum stercus suffitum culices persequitur: etiam sulphure abiguntur: spongia quoque aceto imbuta conuolutaque culicum agmina, cùm appenditur, ad se trahit, Item ventriculum ouis recenter occisi non elotum, sed cum suis sordibus spatio, quo blattæ aliæue bestiolæ abundant, non altè sed superficie tenus operire oportet, post biduum in-

Contra erucas.

Culices.

uenies

uenies omnia animalia ipſum ventrem compleuiſſe, id iterum atque tertiò faciendum, vt extinguantur. De talpis fugandis vel necandis tradit Græcus Sotion, Nucem vel aliud pomi genus eiuſdem ſoliditatis perforandum, atque ibi paleas & cedriam cum ſulphure ſufficienter includenda, & omnes aditus paruulos ac reliqua ſpiramenta talparum, ne fumus exeat, obſtruenda, reſeruato vno tantum foramine, in cuius aditu nux reciſa ſic ponenda, vt ab vna parte poſſit flatus accipi, quo cedriæ ac ſulphuris odorem diffundat, ſic impletis fumo cuniculis talpas perimi. Talpis quoq; capiendis decipula paratur, Tumulo recenti furcula imponitur, quæ ligurioſo commiſſa atque ſic fiſſo, vt tanquàm vagina aliud lignum inſtar cultri excipere poſſit, huic iungitur in cuniculis lignum, quaſi lingula, quæ foris clauicula tenditur, vbi talpa lingulam calcauerit, quaſi forcipe excipitur. Mures capiuntur, ſi amurca ſpiſſa patinæ infundatur, & in domo nocte poſita huic appropinquantes adhærebunt. Item helleboro nigro caſeus miſtus, vel

Talpæ vt fugentur.

Mures capiendi ratio.

Pulices olerum. panis, vel polenta, vel adeps, mures necat. Acre acetum succo iusquiani mistum fertur olerum pulices perdere, si spargas. Bestias nullas nocere, si fluuiales cancros plurimos, vel mortuos in fictili aqua mergas, & sub dio ponas, vt decem diebus sub sole vaporentur, postea herbas perfundas.

Sed nimis diu te remoror in hoc malè culto horto holerario: si libet, pomarium ingrediemur vicinum. THRAS. Non detrectabo, etiamsi hîc florũ herbarumque & color & odor, & sepimentum denique ipsum suis veluti aulęis viridantibus cinctum, me non inuitum retinet. MAR. Singuli horti suas habent & sepes & fossas, nimirum vt & à pecoribus & hominibus noctuis tuti sint: id quod initio indicauimus, vbi de sepiendis hortis ageremus. THRASYBVL. Omnia bellè vndecunq; arrident. Papæ quàm nitidus, quamque elegánter consitus locus! Alcinoi pomarium intueri mihi videor, arboribusque ipsis partim alueolato scacatóque ordine, partim in quincuncem directis, qui in quemcunque ordinem spectaueris, rectus

De pomario.

Scacatus & alueolatus ordo

Quincuncialis ordo.

ctus est: Cyri te solertiam superasse apparet: Lysander si in hunc veniſſet hortum, longè maiori admiratione adduci potuiſſet, quàm in Cyri hortis. MARIVS: Certè splendorem regium neque ambio, neque conatus sum exprimere, sed qualemcunque induſtriam diligentis hortulani æmulatus: pro noſtris opibus (vt dicitur) mœnia condidimus. Ipſe magna ex parte dimenſus sum eos ordines: plurimæ quoq; arbores mea manu vel inſitæ, vel plantatæ: Veteres æmulari ſtudui, quos pomariorum hortorumque colendorum Philoſophiam, religiosè exercuiſſe conſtat, adeò, vt exiſtimem arbores ſyluaſque, tanquam ſummum homini munus, datum: Siquidem præter honeſtam voluptatem, quam illæ nobis præbent, etiam alias innumeras vtilitates ex iis à bonorum omnium largitore cõceſſas fateri oportet. Ac primùm homini alimentum & cibi ac potus, deinde harum fronde mollior ſpecus, libro veſtis, vt Plinij verbis vtar; atque hæ vtilitates etiam Ethnicis celebratæ; nobis autem verum Deum agnoſcentibus, cui omnes creaturas

Arborum donum.

turas homini in dominium datas, acceptas referre conuenit, altiorem & reconditam magis contemplationem sacra philosophia subministrat. Nam antequam hominem crearet Deus, de victu & vestitu prouidere volens, produxerat de humo lignum pulchrum visu, & suaue ad edendum, lignumq; vitæ in medio pomarij: deinde arborem condidit ad sciendum bonum & malum, nimirum, vt Adam haberet signũ certum cultus & reuerentiæ erga Deum; vbi tanquam in templo, Dominus Adæ concionatus fuit, atque ipse, si in innocentia perstitisset, Adam post refectionem ex arbore vitæ prædicasset Deum cum suis posteris & gratias egisset pro tradito creaturarũ dominio super terram, vt canit propheticus psaltes. Id autem, quod nobis ad tantum bonum diuina benignitate concessum, posteritas impia in idololatriam vertit, arbores & lucos gentiliũ diis consecrans. THRASY. Theologizare mihi videris. MAR. Certe id hic maxime conuenit, nimirum creatorem in creaturis agnoscere, & per visibilia æternam & beneficentissimam

Lignum vitæ.

Arbor scientiæ boni & mali.

ſimam largitoris potentiam, bonitatẽ, ac diuinitatem contemplari, ac prædicare decet. Verùm de his aliâs. Arborum autem vſus, vt dixi, haud dubiè & voluptatem & vtilitatem nobis præbet. Quare hæc rei ruſticæ pars nequaquàm negligenda: ſiquidem Columella virgultorum arborumque curam inter præcipuas rei Ruſticæ functiones eſſe tradidit: cui ſententiæ Poëta ſuccinit.

Hactenus aruorum cultus, & ſidera cœli:
Nunc te Bacche canã, nec non ſylueſtria tecum
Virgulta, & prolem tardè creſcentis oliuæ,

THRAS. Amabò igitur, ediſſeras nobis arborum plantandarum conſeruandarumq; rationem. MAR. Conſideamus igitur ſub opaca hac vite, quæ & vinum & vmbram præbet iucundiſſimè. THR. Placet. MAR. Arborum ſpecies diuerſæ & multiformes ſunt. Aut enim ſponte, aut ſemine, aut ab radice proueniunt, quod ſubdit idem Poëta: Arborum ſpecies.

Pars etenim poſito ſurgunt de ſemine: Georg. 2.
Pullulat ab radice aliis denſiſſima ſylua, &c.

Aliæ ſponte ſua proueniunt, plurimæ

ſatæ naſcuntur. At eæ, quæ non ope humana, ſed ſylueſtres & feræ gignuntur, ſui cuiuſq; ingenij ſemina gerunt: Verùm quibus labor adhibetur, magis ſunt aptæ frugibus. Rurſus quædam ſunt, quæ ſemper virent, neq; hyeme etiam folia deflua habentes, quales à Conſtantino enumerantur palma, citrium, lentiſcus, laurus, olea, cupreſſus, ſiliqua, pinus, ilex, buxus, myrtus, cedrus, iuniperus. Externas arbores, indocileſq; naſci alibi, quàm vbi cœpere, noſtróque cœlo incognitas relinquimus. De eo genere primum dicemus, quod nobis alimenta præbet: Idq; tripartitò diuiditur. Nam vel arbor è ſurculo naſcitur, vt olea: vel frutex, vt palma campeſtris: vel tertium, quod nec arborem nec fruticem dixeris, vt eſt vitis. THRAS. De ſingulorum diſciplina audire geſtio. Nam artis non vulgaris exiſtimo, & herbarios hortos, pomiferaſque arbores, & vineas tam ſcitè conſererе. Mira induſtria vſus mihi videris, quòd vitibus oleas, ficus, amygdalos, præcocia interſerueris, pomarium quoq; ſepimento foſſáque à vinea, & vtrun-

Arbores ſemper virentes.

Arborum fructiferarum partitio.

De arboribus generatim.

vtrunque ab horto herbario foſſis ac ſepimentis ſecluſeris. MAR. Sic expoſcere videbatur vſus, ne familia in vno occupata in alium irrumperet nobis inuitis. Primum ſi libet, de earum cultura diſſeremus, quæ alimenta nobis præbent: poſt etiam ſylueſtrium ſyluarúmque cõſerendarum diſciplinam meam explicabo.

Principio, vt Columella noſter teſtatur, idem locus & vineæ & pomario conuenit, vti etiam hîc coniuncta vides, & ſi accliuis & montoſus atque inæqualis vineis magis congruat, quam pomario. Locus igitur pomarium conſtituere volenti idoneus deligẽdus, ſolumq; fœcundum, & æquale atq; apricum. Eo autem delecto, eundem munire oportet, vti ſupra de hortorum ſepimentis dictum, vt à pecorum hominumque iniuria tutus ſit. Nam etſi calcatio & fimus pecorum non inutilis eſſet arboribus, tamen, ſi vel à pecoribus prærodantur, vel atterantur, vel præfringantur, antequam adoleuerint, facilè corrumpuntur. Locum igitur munitum conſerere volens in promarij

Pomariũ quomodo conſtituẽdum.

vſum, ſcrobes ante annum fodiat: ita ſole & pluuia macerabuntur, & quod pòſt poſueris, citò comprehendent. Sed, ſi quo anno ſcrobes feceris, etiam ſemina ponere velis, minimùm ante duos menſes ſcrobes fodito, poſtea ſtramentis eas completo & incendito. Quò latiores patentioreſq; ſcrobes feceris, eò lætiores vberioreſq; erunt fructus. Scrobs clibano ſimilis erit, imus quàm ſummus patentior, vt laxius radices euagentur, ac minus frigoris hyeme, minúſque æſtate vaporis, per anguſtumos terræ admittant. Tum etiam cliuoſis locis terra, quæ in eum congeſta, non abluitur. In diſponendis arboribus arbuſtiſq;, ac vineis, quincuncialis ſiue reticulata alueolataq;, & ſcacaria ſymmetria ordinúmque ratio vulgata neceſſaria, non perflatu modò vtilis, verùm & aſpectu grata, quocunque modo intueare, in ordinem ſe porrigentem verſa, quod huc quoque prodeſt, vt terræ ſuccum æqualiter trahant arbores.

THRASYB. Id iam paſſim video arboratores obſeruare, vt è ſeminariis plantas transferentes, ita ſtellatim decuſſare norint

norint ordines, vt in quamcunque te verſes partem, rectam ſemper ſeriem videas, nuſquam obliquante proſpectu. MAR. Quincuncialis ordinis duplicem rationem obſeruaui, alteram quadram, quaſi alueolatam & ſcacariam, ab alueorum luſoriorum pictura formam mutuantem: alteram reticulatam, non in quadras, vt prior, ſed in rhombos diſpoſita, vitreis feneſtris ſimiles, & retibus. Vnumquenque ordinem ſuo generi relinquere conuenit, ne à valentioribus infirmæ opprimantur. Arbores paribus interuallis ſerendæ, vt cùm creuerint, ſpacium habeant, quò ramos extendant. Nam ſi ſpiſsè nimis poſueris, neque infrà quicquam ſerere poteris, nec ſic ipſæ fructuoſæ erunt, niſi eas interraſeris. Itaque placet Palladio minimùm tricenos pedes relinqui. Generatim diſponere arbores vtilius, vt inter maiores, minores interponãtur, ne aliæ aliis, veluti luminibus & ſtillicidio officiant, ita tamen ne imbellicæ à valentioribus premantur, vtpote quæ nec magnitudine, nec viribus ſint pares, neque pariter creſcant. Punicas & myrtos

denſius ſeri præcipiunt, in pedibus tantum nouenis: Malos amplius paulò, magis etiam pyros: Sed ſunt varia genera: magis etiam amygdalas & ficus. Et quoniam pleriſq; arboribus natura, familiaritas, & amicitia, atque Sympathia intercedit, vt illæ vicinæ iungantur, vt vitis cum olea, punicæ cum myrto: Ediuersò diſiungendas, quibus naturâ mutuum odium, quale eſt viti cum corylo & lauro. Sunt quædam, quæ veluti coniugio binæ amant ſeri, qualis eſt caſtaneus. Plurimum etiam ſtillicidia, quæ quibuſdam grauia ſunt, nocent: pini enim, quercus & ilicis ponderoſiſſima: Adde vmbram officere quarundam arborum, veluti iuglandis grauis & noxia etiam humano capiti, & pini, necat germina, ventis tamen vtraq; reſiſtit. Melius igitur in margine pomarij conſtituentur, vt inferiùs vberius dicetur. De loco atq; ordine fortè ſatis: Plãtandi ſerendiq; rationẽ expectas vt pergã explicare. THRASY. Quodnam tempus exiſtimatur magis plantandis & inſerendis arboribus idoneum? MAR. Plantationis tempus cùm primis idoneum autum-

Sympathiæ arborum.

Stillicidia.

Vmbræ arborum.

Plantandi tempus.

tumnale tradit Florentinus: Natura igitur tum circa inferiora magis operatur, ſicut verno tempore circa ſuperiora: Quare inſitio verno conuenit, plantatio autumnali tempori atq; hyemali: Siquidem per totam hyemem plantæ rigantur: atque ideò ſtatim poſt Pleiadum occaſum plantandum, vſque ad ſolſtitium hyemale. Vere plantanda, quæ autumno prætermiſſa. Quocunq; tempore fiat, curandum vt poſt meridiem ab occaſu æquinoctiali flante vẽto fiat, luna decreſcente ac ſicca. Mirum in modum augeri vbertatem effectúſque eius obſeruatione tali, Plinius tradit: Si enim augeſcente luna arbor plantetur, vehementer augeſcit: Si decreſcente, humilis quidem, verum robuſtior erit arbor. THRAS. Sed ſunt ne varia genera plantandi ſerendíque? MAR. Maximè: aut enim inſitione, aut ſemine proueniunt, aut plantis radicis, aut propagine, aut auulſione, ſtolonibus, & talea, emplaſtratione, & inoculatione: Quædam pluribus generibus ſeruntur, quædam omnibus. Apud Babylonios folia arborum ſeri, atq; ita arborem

Inſitionis tempus.

Temporis in plantando ratio.

Lunæ ratio.

Genera plantandarum arborum & inſitionũ.

borem prouenire traditur. De insitione primùm, pòst de reliquis dicetur generibus. Sunt qui tribus generibus insitionem contineri putant, aut enim sub cortice, aut in trunco consciſſo, aut emplaſtro. Primum encentriſmon, hoc eſt, inſitionem, ſecundum emphylliſmon, quaſi infoliationem, tertium enophthalmiſmum vocant, noſtri inoculationem. Quę denſiori ſunt cortice, atque è terra copioſum ſugunt humorem, ſub cortice melius inſeruntur, quales ſunt ficus, ceraſus, olea: Quæ autem tenui cortice cinguntur, pauciore humore contentæ, & foris exuccæ, tanquam humor relicto cortice in interiorem medullam ſe recipiat, quales citrea, malus, vitis & aliæ complures, fiſſo ligni medio ſurculi infiguntur. Inſeruntur autem aliæ aliis arboribus felicius: nam ficus rectiùs moro inſeritur & platano, morus caſtaneæ & fago, malo, pyro ſylueſtri, terebintho, vlmo, albæ populo, quo coniugio candida naſci mora proditum: Eidem trunco inſeruntur pyra, cydonia, meſpila, ſorba: pyrus inſeritur punicæ, malo, cotoneo, moro,

Insitionũ genera.

Quæ inter corticem & lignũ.

Quæ fiſſo ligno inſerantur.

Quæ quibus inſerantur.

moro, amygdalæ: Si pyri ſurculi moro figantur, rubra pyra creabuntur: malus inſeritur omni pyraſtri generi, ſalici, populo: Eadem cotonei coitu fæcundata poma dabit, quæ Græci melimela vocant: Similiter & pruno adigitur, ſed inito platani conſortio rubra mala producit. Meſpilus ſi ſpinis inſeratur, planta augeſcit, trunco exiguo manente: pino ſi inſeratur meſpilus, fructum edet dulcem, at non durabilem. Perſica in ſpina inſita grandiores profert fructus, atque etiam fago: Amygdali & Perſici ſurculi ſi cum gemmis coniuncti inſerantur in pruno, fructus carnem Perſici, & nucleos amygdali proferet. Nux in arbutum ſolam inſeri vult, cæterarum ferè ſocietatem horret. Punica variis arborum adulteriis gaudet, vt ſalicis, lauri, fraxini, damaſcenæ, pruni & amygdalæ, quibus omnibus miſceri lætatur: Damaſcena ſylueſtri pyro cuiuſcunque generis, cotoneæ, malo, & pomo impacta coaleſcit, Caſtanea iuglandi, fago infixa comprehendit, Ceraſus nec perſici nec terebinthi reſpuit hoſpitium, nec contrà ceraſi terebinthus & per-

Pyra, vt rubra proueniant & poma.

Perſici caro in amygdali nucleo.

& perſicus, Cotonea oxyacanthæ conſortium non aſpernatur, Myrtus ſalici inſeritur, & prunus damaſcenæ & thaſiæ nuci, hoc eſt, amygdalæ, Citria maluscùm veſtiatur tenui libro, vix ſubter cutem recipit aduenam ſurculum, ideò in nutritione parẽtis ſinu potius alitur. Inſitam ceraſo vitẽ vuas vere ferre promittit Florentinus, eandemq; oleæ impactam fructum producere, qui vtriuſque parentis adoptione elæoſtaphylos dicitur. In ſumma, inſeruntur nouellæ arbores, quibus ſuccus in cortice, ſi maior eſt circa radicem, melius inſeretur, vbi cortex & lignum beneficio ſoli adhærentis humeſcit. Inſerere igitur volens ſiue in trunco ſiue inter corticem & lignum, ſurculos quærat ex arbore feraci, tenera, nodíſq; crebra, eq; nouello germine, niſi vetuſtæ arbori inſerendum ſit: huic enim robuſtiores conueniunt: aliâs nouelli meliores, qui iam ſemel atq; iterum fructum feliciter reddiderunt. Sumendi autem ab ea arboris parte, quæ Aquilonem, aliis placet, quæ orientem æſtiuum ſpectat, potiùs quàm quæ vmbris tegatur. Virgi-

Elæoſtaphyli.

Surculi, quales deligendi ad inſerendum.

lius

lius è cacumine seri vetat; meliusq; ex humeris arborũ peti: breuiter, surculi seu calami sint prægnantes, hoc est, germinatione turgentes, de nouo nati, leues, integro libro, benè & celeriter cõprehendentes. Nouelli, nempe anniculi, quod indicat internodium seu geniculum, singulorum annorum incrementum distinguens. Porrò surculi nõ omnium stirpium iisdem partibus petuntur: nam vitibus ficisque media sicciora, & summa parte conceptus, ideò illinc surculi petuntur: oleis circa medias succus, inde & surculi cacumina sitiunt. facillimè coalescunt, quibus eadem corticis natura, quæq; pariter florentia eiusdem horæ germinationem succorúmque societatem habent. Surculos finiente luna decem dies ante insitionem legendos volunt. Causam addit Constantinus, quod necesse sit surculum emarcescere modicè, vt melius ab hospite recipiatur. Verno tempore insitio facienda nempè à Martio, cùm iam gemmæ turgere incipiunt, nõdum tamen florentes, licet pyrum vel florentem inserere liceat, atq; in Maium pro-

Internodia.

Tempus inserendus.

protendere insitionem. Insitioni imber vtilis, infoliationi inutilis. Oleæ diutissimè oculi parturiunt, minimumque succi habent sub cortice, qui nimius insitis nocet: quare in Maio vsque ad Iuniũ Florentinus inserendas docet. Columella circa æquinoctium vernum vsque in Idus Apriles oleam inserendam tradit, Estque insitio faciendaluna crescente, post meridiem, ac sine vento austro. Quæsito inuentoq; idoneo furculo, parataque acuta falce, aut cultello bona acie, furculus infrà eius anni internodium tribus aut quatuor digitis, hoc est, tanto interuallo præcidendus, vt cuspidem inserendam præbere queat, vtq; extremum, siue id verticillum seu geniculũ voces, quod proximi anni incrementum indicat. Eam furculi partem, quæ infra internodiũ, vt diximus, salua medulla instar calami scriptorij ab vtraque parte in cuspidem exacuat, ita vt lignũ ligno, cortex cortici committi possit. Quo facto, si trunco inserere velis, eundem prius medium acuto ferro findito, ita vt fissura trium sit digitorum aut circiter, atque vt huc cuspidem derasam

De modo inserendi.

Geniculum.

Verticillum.

taſam in cõmiſſuram mittere commodè queas, cuneum præparatum habeas vel ferreum, vel è ligno duriuſculo, oſſeum Plinius mauult. Cuneus ab vna parte planus, ab altera conuexus erit, cùm inter corticem inſerere velis, & ſurculum ab ea parte, qua truncum cõtingit, abraſum eſſe conuenit, vt diximus, ne tamen medulla lædatur, altera parte exteriore ſolo libro ablato, quem prius in fiſſuram vel trũci, vel inter corticem & lignum imprimas tantiſper, dum ſurculus cortice tenus cum cortice trunci committatur. Sunt qui trianguli modo cuſpidem exacuant, ita vt duæ partes nudatæ cortice, tertia tecta maneat: Eo modo bini ſurculi mittuntur in eundem truncum è regione ab vtraque fiſſuræ parte: atqui vnum tantùm inſerere ſurculum præſtare putatur. Vbi ſurculum in foramen, quod cuneo factum, demiſeris, cuneum vellito. Sed hîc opus diligẽti libramento. Quare vtraque manu deprimendum calamum vel ſurculum putant periti hortulani, ne vel faſcia corticis rumpatur, vel calamus lædatur, aut inæqualiter ſub-

ducto cuneo mergatur. Quare aliqui præligare ſolent marginem, & poſtea cuneum figunt, continente vinculo libertatem dehiſcendi. Validius demiſſos tardius ferre, fortius durare: contrarium ediuerſo, ne dehiſcat nimium rima, laxéque capiat, aut ne parum exprimat, aut compreſſum necet. Cerasos libro dempto findi ad inſerendum: hæ ſolæ etiam poſt brumam inſeruntur. Demiſſis ſurculis, vimine arborem aſtringito, poſtea paleato luto bene ſubacto plagam oblinito, & ſpacium, quod eſt inter ſurculos, vſque eò, vt duobus digitis inſita extent, ſupra lutũ muſcum imponito, & ita alligato, ne pluuia dilabatur, aut vento & calore lædatur: is modus & veteribus & noſtris temporibus obſeruatus: Licet Columellæ ætate, vt è ſcriptis eius apparet, non niſi inter lignum & corticem inſeri ſolitum, quòd priſci truncum findere metuerent, vt Plinius teſtatur, mox inforare arborem, atque ipſi medullæ inſerere calamum auſi, tandem etiam findere cœpiſſe. Cato argillę vel cretæ arenam fimumq; bubulum admiſceri, atque

Veteres truncum findere metuebã

que ita ad lentorem ſubigi iubet, idq; interponi, & circumlini plagæ. Inſeruntur & inuerſi ſurculi, cùm id agitur, vt minor altitudo in latitudinem ſe fundat. Inſerere optimum, proximum terra, ſi patiatur trunci nodorúmque ratio, & eminere calamos non amplius ſex digitis Plinius vult. Si puſillam arborem inſerere voles, iuxta terrã abſcindito, ita vt ſeſquipedem à terra extet. Cum abſcideris, plagam diligenter leuato. Calami vel ſurculi ſi longius perferendi, rapo infixos optimè cuſtodire ſuccum creditur, ſeruarique inter duos imbrices iuxta riuos vel piſcinas vtrinque terra obſtructos. THRAS. De Emplaſtratione & inoculatione, hoc eſt, enophthalmiſmo atque infoliatione, quem ἐμφυλλισμὸν vocatis, audire geſtio: quo genere iam hos, qui nouis moribus fauent, vti video. MAR. Hoc genus non pridem repertum, ſed & apud veteres tam Græcos, quam Latinos vſurpatum reperimus, cùm gemmam exiguo cortice exemptam, in aliam arborem pari ſpatio delibratã inſerimus, quod genus Columella aît agricolas vo-

Inuerſi ſurculi inſitio.

Calami quomodo ſeruentur diutius.

De Emplaſtratione, & inoculatione.

care emplaſtrationem vel inoculatio-
nem. Et ante Columellã Theophraſtus
in ſuis libris de cauſis plantarum, ino-
culandi rationem prodidit. Plinius mo-
nedulam, inquit, condentem ſemina
in theſauros cauernarum, eiuſdem rei
præbere cauſam, atque hinc nata ino-
culatio, ſutoriæ ſimili fiſtulæ aperiendi
in arbore oculum cortice exciſo, ſe-
menq; includendi eadem fiſtula ſubla-
tum ex alia. Hoc autem inſitionis genus
æſtiuo tempore circa ſolſtitium opti-
mè vſurpari Columella teſtatur, & no-
ſtri hortulani idem fatentur. Didymus
tamen ſe feliciter idem genus vſurpaſ-
ſe circa æquinoctium vernum prodi-
dit. Et cùm ſit ſubtiliſſimum, non om-
ni arborum generi idoneum eſt, ſed
quæ humidum ſuccoſúmq; & validum
librum habent, quales ſunt olea, perſi-
cus, ficus: hæc enim lactis plurimum
mittit, & corticem robuſtum habet.
Ex arbore de qua inſerere velis, no-
uellos & nitidos ramos eligito, in iiſ-
demq; obſeruabis gmmam quæ germi-
nis certam ſpem præbere videatur, eã
duobus digitis quadratis circumſigna-
to, v

to, vt gemma media sit, & ita acuto scalpello circumdato, delibratoq; diligenter, ne gemmam lædas, scutulamq; eximito. Postea itē alterius arboris, quam emplastaturus es, & nitidissimum ramum eligito, & cuiusdam spatij corticem circumcidito, materiamq; delibrato, deinde in eam partem quam nudaueris, præparatum emplastrum aptato, ita vt alteri delibratæ parti conueniat: sic compage densata, vt cicatrici locus non detur, & statim vnitas fiat, nō humorem, non afflatum recipiens. Curandum, vt lignum integrum inuiolatumq; seruetur, & vt cortices crassitudine pares sint. Vbi ita hęc feceris, circa gemmam benè alligato, cauetoq; ne lædas ipsum germen: Deinde commissuras & vincula luto oblinito, spatio relicto, vt gemma libera vinculo non vrgeatur. Arboris autem insitæ sobolem & ramos superiores præcidito, ne quid sit, quo possit succus auocari, aut ne cui magis, quàm insito, seruiat. Post vnum & viginti dies soluito emplastrum, & reperies externi seminis gemmam mirè in arboris alienæ membrum trāsisse.

Licere etiam infoliationem citra oculum in alteram trunci partem facere docet Didymus. Aliud genus insitionis Columella refert: Gallica terebra medullatenus aut ad corticem alterũ vsq; arborem perforandam, plaga interius leniter inclinata, educto autem omni scobe, vitem, vel ramum præstantioris vitis, non ab antiqua matre decisum, ad modum foraminis impressi extremum corticem delibratum, succidum tamen & humentem strictè imprimendũ vna aut duabus gemmis solis relictis, pòst argilla & musco locum diligenter operiendum terræq; committendum: Ita & vites in vlmo inseri posse commissas. Sic sarmentum viuet, tùm è veteri parente nutritum, tum viti, quæ ipsum suscipit, coalitum. Intra annos duos sarmentum immissum coalitum post cicatricem inductam deciditur, & truncus vitis, in quo insitio facta, quantum supra terebrationem extat, serra desecatur, atque sarmentum insitum deinceps præcipua vitis pars erit. Id nostrates aliqui in fago nouella hominis crassitudine præstanti ligno, eaq; resecta, terebra-

Gallicæ terebræ insitionis genus.

terebrataq; experti, pyri ac mali ramos inſeruerunt humidæ telluri committentes in Martio, atque ſequentis anni eodem menſe exempto fagino trunco, eundem inter foramina & ſurculos ſerra diuidunt, atq; ſingulos ſurculos cum ſuo trunco in ſolum pingue ac frugiferum mittunt. Sunt, qui inſitionis genus nouum aliud, non multum ſuperiori diſſimile iactant, cuius tamen Africanus meminit apud Conſtãtinum, quod in perſico compertum; nempe ſalicis ramum brachij craſſitudine ſolidum, longum cubitis duobus aut amplius terebrari iubẽt in medio, & plantam perſici in eodem loco, in quo conſiſtit, ſpoliatam ramis, ſolo capite relicto per ipſum ſaligni manubrij foramen induci, tunc eundem ſalicis ramum terræ capite vtroq; demerſo in arcus ſimilitudinem debere curuari, foramẽ luto, muſco, vinculis ſtringi: Anno deinde exacto, vbi infra medullam ſalicis caput plantæ cohæſerit, vt vnitas ſit ex duobus miſta corporibus, plantam ſubtercidi atq; transferri, & terram aggerare, quæ arcum ſalicis cum perſici cacumi-

Alius inſitionis modus.

ne possit operire: hinc Persici poma sine ossibus nasci. Hoc genus locis humidis conuenit: & salices aquationibus adiuuandæ, vt natura ligni vigeat. Propagationum genera Plinius commonstrat duo: prius, ramo ab arbore depresso, in scrobem quatuor pedũ quoquò, & post biennium amputato flexu, plantaq; transłata post trimatum. Quas si longius ferre libeat, in qualis statim aut fictilibus defodere propagines aptissimum, vt in iis transferantur. Alterum genus luxuriosius radices in ipsa arbore sollicitando, traiectis per vasa fictilia vel qualos ramis, terraq; compactis, atque hoc blandimento impetratis radicibus inter poma ipsa & cacumina (in summa enim cacumina hoc modo petuntur audaci ingenio) arborem aliam longe à tellure faciendi eodem, quo supra, biẽnij spatio abscissa propagine & cum qualis illis sata: sic seri sabinam herbam, & Rosmarinum propagine & auulsione. Columella tradit rationem, qua surculos omnis generis in quaslibet arbores inserere queas. THRAS. Et auulsione seruntur quædam. Ipse ramum mo-

Propagationum genera.

ri ex

ri exarbore auulſum,& extremum paulum malleo contuſum in terram defodi, & in arborem excreuit : idem in pomis & pyris obſeruatũ aiunt. MAR. Benè mones, idq; natura commonſtrauit, vt auulſi ex arbore ſtolones viuant. Quo in genere,& cum parui ſunt, auelluntur , partemque aliquam è matris quoque corpore auferunt ſecum fimbriato corpore. Hoc modo plantantur punicæ, coryli,mali, ſorbi,meſpili, pruni, fici, imprimiſq; vites, nonnunquam & ceraſi,zizyphon,myrtus. Plantantur & ramis ac talea,amygdalus, pyrus,morus,citoreum, olea,cotonea,hedera,zizyphum: Et hæc tranſplantata meliora redduntur. Plinius ait, ſurculos abſciſſos primum ſepis cauſa fieri conſueuiſſe, ſambucis, contoneo & rubis depactis: mox & culturæ, vt populis, vlnis, ſalici, quæ & inuerſo ſurculo feritur. Iã eæ ibi diſponuntur , vbi libeat eas eſſe. Obſeruandum, vt taleæ è feracibus fiãt arboribus, ne curuæ, ne ſcabræ,aut bifurcæ, néue tenuiores quàm vt manum impleant, ne minores pedalibus, vt illibato cortice, atque vt ſectura inferior

Auulſione quæ ſerantur.

Stolonum plantatio.

Talearum plantatio.

ponatur ſemper eo, quod erit ab radice, accumuleturque germinatio terra, donec robur planta capiat, vt Plinius tradit. THRAS. Reſtat è ſemine ſerendi diſciplina. MAR. E ſemine natura, vt idem Plinius tradit, conſerere docuit, raptim auium fame deuorato ſemine, & alui tepore madido abiectóque in arborum lecticis, ſæpéque tranſlato in corticum rimas: Vnde videmus platanum in lauro, laurum in ceraſo naſci, & ceraſum in ſalice. E ſemine plurimæ ſeruntur arbores,, quæq; ſua ſponte è decidente ſemine, & non aliter proueniunt, vt caſtaneę, nuces, iuglandes. Columella feraciores tradit eſſe, quæ ſeminibus, quàm quæ plantis ponuntur, aut ramis. Quædam in arboribus ſeri poſtulant, terram recuſant, cùm ſuam ſedem non habeant, in aliena viuunt. Semine plurimùm plãtãtur nuces, amygdalæ, piſtaceon, caſtaneę, damaſcenum, prunus, ſtrobylus, palma, cupreſſus, laurus, malus, pyrus, acer, abies, ceraſus, pinus, chryſomela, præcocia: plantatæ tamen meliores redduntur. Quædam ex his, & inſitione, & aliis modis propagãtur,

Semine plantata.

Plantationis, & ſerendi varij modi diuerſorum ſeminum.

tur. Nam experientia compertum, nuces, & terebinthum inſeri, quod & Demageron tradit: neque vno modo ſemina ſeruntur, vt ſuis locis dicetur. Alia macerantur antè, alia idem non poſtulant, quædam macerantur triduo aqua mulſa, inde autumno terra obruuntur vſque in Martium, atque tum ſeruntur. Nuces ſolùm liquido fimo pridie macerant, alij aqua mulſa madefaciunt, in eaque noctem ſolùm patiuntur, ne germen extinguat mellis mordacitas. Alia inuerſis cacuminibus ſurſum ſpectantibus ſeruntur, vt caſtanea: alia deorſum, vt amygdalæ: quanquam hæc non ſemper obſeruentur, cùm & decidua, & quæ ab auibus temerè mittuntur, omnium feliciſſimè proueniant. THRAS. Mihi vehementer placent ſeminaria, quæ hiſce regionibus vſurpantur: horum curandorum modum commoniſtres. MAR. Seminarij cura nequaquàm prætermittenda, in quo veluti viuario, nouellæ educantur arborum fœtus. Et quia nutricem ſæpe indulgentiorem eſſe conuenit, quàm matrem, ſolum idoneum eligendum, nempe ſiccum

Maceratio plantãdorum.

Cacuminum ratio in plantãdo.

De ſeminario arborum.

cum, ſuccoſumque, bipalio ſubactum, aduenis hoſpitale, & quàm ſimillimum terræ, in quam transferendum. Semina non prorſus nuda, ſed parte carnis ſuæ contecta ſeri ſolent, atque ita etiam diutius ſeruantur, humore naturali ſeruato. Seruntur ſpacio pedis, aut circiter, diſtantia. Poſt biennium transferuntur. Et quia radices ſemina altius agunt, flecti eas conuenit, vt latius magis, quàm altius expandantur. Vbi adoleuerint, inſeruntur ſurculis: ſic enim præſtat, quàm rubis, aut ſylueſtribus. Ante omnia elapidatum, munitumque ad incurſum etiam gallinacei generis, quàm minimè rimoſum, ne penetrans ſol exurat fibras. Interuallo ſeſquipedum ſeri, ne ſe inter contingant & noceant. Præter alia vitia etiam verminoſa fiunt: ideò ſarriri conuenit ſæpius, herbaſque velli: Prætereà ſemina ipſa fruticantia ſupputare, ac falcem pati conſueſcere. Cato & furcis crates imponi iubet, altitudine hominis, ad ſolem recipiendum, atque integi culmo ad frigora arcenda: Sic pyrorum malorumq; ſemina nutriri, ſic pineas, nuces, ſic

Caudices è ſeminibus præſtare ſylueſtribus & rubis.

sic cupressos semine satas & ipsas: minimis id granis constat, vt vix perspici quædam possint. Leniter rigatur à solis occasu in trinis diebus, vt æqualiter bibat, donec erumpat. Et Zizypha grano seruntur, & nuces, & amygdalæ, atque castaneæ, laurus, cerasus, pistacia, malus, palma, pyrus, acer, abies, pruni, & alia pleraque. In transferendo obseruandum ante omnia, vt in similem terram mittantur, aut meliorem, nec è tepidis & præcocibus in frigidos, aut serotinos situs, vt neque contrà ex his in illos. Præfodere scrobes, antè, si fieri possit tantò, donec pingui cespite obducantur. Mago ante annum fieri iubet, vt solem pluuiasque combibant, aut si conditio largita non sit, ignes in medio fieri, ante menses duos, nec nisi post imbres in his seri. Altitudinem eorũ in argilloso, aut duro solo trium cubitorum in quamq; partem in prunis palmo amplius, vt inprimis caminata fossura ore compressiore sint. Nigra verò terra duo cubita & palmũ quadratis angulis, non altiores quino semipede esse debere, nec latiores duob. pedibus, nusquã verò

De transla tione se- minario- rum.

sef-

ſeſquipede minus alto: quoniam in humido ſolo ad vicina aquę perueniat: Altius demittendæ eæ, quę ſumma tellure gaudent, vt fraxinus, & olea. Hæc & ſimilia quaternos oportet pedes demitti, cæteras ſat eſt ſi ternos altitudinis effecerint. Aliqui lapides rotundos ſubiiciunt, propter humorem & continendum & tranſmittendum : alij glaream ſubſternunt. Maiores arbores ad ſeptentrionem atque occidentem, minores ad Orientem atque Auſtrum ponendæ. Arborem nec minorem bima, nec maiorem trima transferri quidam præcipiunt; alij, cùm annum impleat: Cato craſſiorem quinque digitis non omiſit. Idem ait, quod & Virgilius monuit, attinere, meridianam cæli partem ſignare in cortice, vt tranſlata in iiſdem, & aſſuetis ſtatueretur oris atque cardinibus, neque Aquiloniæ meridianis appoſitæ ſolibus finderentur, & algerent meridianę Aquilonibus. Quod è diuerſo affectãt quidam in vite, ficoque, permutantes in contrarium : Denſiora enim ita fieri folia, magiſque protegere fructum, & minus amittere, ficumque ſic

Meridiana pars in arbore, quæ tranſferetur. notanda.

fic etiam ſcanſilem fieri. Non negligendum æquè, ne radices mora inareſcant, néve à Septentrionibus, aut ab ea cæli parte vſque, ad exortum brumalem, vento flante, effodiantur arbores, aut certè non aduerſę iis ventis radices prębeantur, propter quod emoriuntur ignaris cauſæ agricolis. Cato omnes ventos & imbres in tota tranſlatione damnauit. Quare plurimum proderit terræ, in qua vixerit, radicibus cohærere, ac totas ceſpite circumligari : cùm ob id Cato corbibus transferri iubeat: vtiliſſimum, ſummam terram ſubdi: Arbor ſic collocanda, vt media ſit totius ſcrobis. Radicum magna cura habenda, vt exĕptæ appareant, non auulſæ. THRAS. Iam ad ſingulas arbores progrediendum. MAR. Inter omnes ſtirpes, arboreſque, primum locum ſibi vitis vendicare iure optimo debet, cum nullum genus agriculturæ fructuoſius vite: Idque non ſolùm fructus gratia ac generoſitate, ſed etiam facilitate, per quam omni penè regione, & omni declinatione mundi, niſi glaciali, vel præferuida, curæ mortalium reſpon- vitis.

det,

det, tamque felix campis, quàm collibus prouenit, & in denſa non minus, quàm reſoluta, ſæpe etiam in gracili atque pingui terra, ſiccáque & vliginoſa: alibi in petris ipſis feliciſſimè fœcunda, quod teſtatur Rhenus, & Moſella. Tũ ſola maximè vtramque patitur intemperiem cæli, vel ſub axe frigido, æſtiuo, procelloſoq;. THR. Excellens haud dubiè munus vitis: Sed quem exiſtimas primum vineæ colendæ auctorem? Vulgus in Liberum patrem originem huius culturæ reiicit. MAR. Nos ſacris oraculis edocti, vineam primùm à Noë Patriarcha mox à diluuio coli cœptam credimus: fortè etiam ante ea tempora vitis fuerit, licet cultam fuiſſe non conſtet. Bacchо falsò Ethnici hanc inuentionem, ſicut alia pleraque, tribuunt. Noë autem non modò Liberum, ſed etiam Saturnum atque Vranum multis ſeculis anteceſſit. THR. Idq; veriſimilius. Sed cognoſcere vellem, an cultus vinearum locupletet patremfamilias magis, quàm aliarum frugum. MAR. De hac re ſanè non exigua apud auctores pugna. Sunt, qui pratorum, ſemina

Inuentio vitis.

Vineæ prouentus vberrimus.

riiq

riíque agri, ac ſyluarum poſſeſſionem præferre videantur vineis: attamen interim non deſunt è grauiſſimis veterum auctoribus, qui affirment, vinearum reditum eſſe vberrimum, idque declarare veterem illam vinearum felicitatem, cuius meminerunt M. Cato, & Terentius Varro, ac Columella, nempe, ſingula iugera vinearum ſexcentas vrnas vini præbuiſſe: & Senecæ agrum, in quo ſingula iugera culeos octonos reddidiſſe compertum: alibi iugeratim centenas amphoras: cùm frumentarius ager aut paſcuus, ac ſylua, ſi cẽtenos ſeſtertios in ſingula iugera efficiant, optimè domino conſulere videantur. THR. Atqui impenſam & curam magnam vitis poſtulat, multaq; incidunt, quæ fertilitatem impediant, modò pruina, modò carbunculatio & gelicidia. A prima autem germinatione vſque ad quintum Non. Maias, qui dies vltimus eſt decretorius vitibus, gelicidium metuitur, atque huic periculo exemptis, iterum vis maior impendet, quæ nullo nõ anno ſtragem infert: ac ſimul vredine ab æſtu Caniculæ, aut aquę cæleſtis ino-

Frumentarius ager cum vinea collatus.

Dies decretorius vitibus.

pia vuæ ſæpe retorreſcunt, aut nimia pluuia crudeſcunt, aliiſq; innumeris incommodis obnoxiæ vites, prouentum reddunt deteriorem. MAR. Sic eſt: Sed eadem etiam in agro frumentario accidere poterunt. Siquidem & hîc impenſæ requiruntur, & calamitas ſæpe colonum perdit. Nam cùm omne genus ruris, niſi diligenti cura ſciteq; exerceatur, fructuoſum eſſe non poſſit, tum maximè vineæ culturam requirunt diligentem: res enim eſt infirma & iniuriæ impatiens. In vinea igitur deligenda iudicio opus eſt, & loci regioniſq; natura, & cæli clementia conſideranda. Plerique vineta conſerunt nulla diligentia: deinde non ita enutriunt, vt antè conualeſcant, quàm retorreſcant, & ſi fortè adoleſcant, negligenter colunt: Alij non referre putant, quem locum conſerant, & nonnunquam deterrimam agri partem tribuunt vineis, quaſi huic tribuenda ſtirpi, quæ nihil aliud ferre poſſet: Nonnulli fructum ſolum præſentem vberrimum conſectantur, nec prouident de futuro: atque ſic fit, vt querantur, non reſpondere vineta laborí

bori & impensis, cùm per inscitiam, vel negligentiam perdiderint. Quod si diligenter colatur, nihil vtilius conuenire rustico, quàm vitem colere, Columella multis argumentis cõtendit. THRA. Non repugno, vitem fructuosam esse, vbi loca sunt vineis, & non ita frumentis idonea: alioqui existimarem, frumenti culturam, & expeditiorem, simpliciorem q;, & magis colonum locupletare. MAR. Certè, quod ad expeditam attinet culturam & quæstus vbertatem, vineam veteres frumentario agro prætulerunt. Siquidem Columella auctor est, Sisernam scribere, satis ad iugera octo vnum hominem, &, vt maximæ impensæ, tantùm septem iugera non excedere vnius vinitoris operam. De prouentu antè dictum. THRA. Imò hodiè vnus vinitor vix tribus iugeribus sufficere poterit. Sed ne ordinem susceptæ narrationis interrumpã, perge de vitium, ἀμπελώνων viniferarum cultura differere. MAR. Vinearum ἀμπελώνων οἰνοφόρων cultura, vti & vitium genera diuersa; neque certo numero comprehendi queant: quippe totidem penè genera,

Vineæ cultura expedita.

Vinifera vitis.

Vitium genera.

quot agri. Ab Homero Maroneum, & Pramnium celebratur vinum: Virgilius Rheticis, alij Amineis, Nomentanis, Creticis, Corsicis laudem prębent. Nos de vulgaribus & vernaculis pauca indicabimus. In Italia iam celebrantur Corsicæ, Romanæ, Mamertinæ, & Lauremitanæ circa Messanam in Sicilia. In Gallia Bellenses, & Aurelianenses vineæ. Germania serò vineas colere cœpit: nam Varro suo tempore Gallos & Germanos oleas & vites nondum habuisse tradit. Sed hoc tempore Rhenus, Neccarus, Mœnus, Mosella, & Danubius cum quibuslibet aliis regionibus vinearum celebritate certant.

Germania serò vineas colere cœpit

THRAS. Video variis modis disponi vineas: aliter in Italia, aliter in Germania, aliter in Gallia, & apud singulas nationes non vbique eodem modo. MAR. Maximè. Nam vitem quinque modis disponi post Columellam docuit Plinius. Aut enim sparsis per terram palmitibus impunè serpunt vites, aut per se nullius ope fultæ stant erectæ, aut adminiculo annituntur, quòd alij pedamentum, alij ridicam, alij χάραξα vocant,

cant, vnde Characatæ vites: aut pedatæ, id eſt, pedamento affixæ ſimplici iugo, quod canterium appellant, porriguntur, cùm ſcilicet, duobus palis tranſuerſæ incumbunt, quod iugum & Liuius appellat: aut quadruplici iugo ſuſtinentur, quæ à cauis ædium compluuiis compluuiatæ dicuntur: alij cameratas faciunt, & ſic ducunt, vt vmbras præbeant topiario opere, & pergularum inſtar, quæ & topiariæ vites vocantur: alij ad parietes in faſtigium ſubducunt: item iugatæ vites ζευγμέναι, cũ perticis duabus aut pluribus fixis aliæ ſuper alias alligantur, in quibus vites coniunguntur, & quaſi iugum facientes: nonnulli arboribus iungunt, quod in Lombardia vulgare, vt vlmis, ſalicibus, atque fraxinis maritentur vites, & feliciſſimè proueniunt: non tamen omnes arbores amat vitis, nam corylum odit, item laurum, raphanum, & braſſicam: at populum, vlmum, ſalicem, ficum, oleam admittit. Iugatæ plus aëris recipiunt, & altius fructum ferunt, æqualiúſque concoquunt, ſed difficilior eſt cultus: atq; hæc ita conſtituuntur, vt arari poſſint,

Characatæ vites.
Pedatę vites.
Canteriũ.
Compluuiatæ vites.
Camerate vites.
Topiariæ vites.
Iugatæ vites.
Arbores amicæ & inimicæ viti.

eoq; vbertatem maiorem conſequuntur, quòd ſæpius & minore impenſa colantur. Quæ in terram proiectæ, multum, ſed non bonæ notæ vinum faciũt, vt ſcribit Columella. THRASY. Agè iam de cultura pauca. MAR. Primùm de ſolo & paſtinatione, pòſt de ſerenda, deq; putanda vite dicam. Principio aduertendum præcipuè, non omnem vitem omni loco conuenire, neque idem vinum producere : adeò aëris qualitas ad vitem confert : deinde, non omne ſolum, ſiquidem viti ponendæ rudem agrum eligendum Columella cenſet potiùs, ſi ſit facultas, quàm vbi fuerit ſeges vel arbuſtum: nam de vinetis, quæ longo ſitu exoleuerunt, inter omnes cõſtat, peſſima eſſe, ſi reſerere velimus: quòd ſolũ id radicibus ſit impeditum, neq; dum virus amiſerit, & cariem illam vetuſtatis, quibus hebetata veluti venenis humus torpeat. Quapropter ſyluestris ager præcipuè eligendus, qui, etiã ſi frutetis atq; arboribus ſit obſeſſus, facilè extricatur. Si rudis terra deſit, proximum eſt vacuum arboribus aruum. Si nec hoc ſit, rariſſimum arbuſtum, vel oli-

Cultura vitis.

Ager & ſolum viti colendæ idoneum.

oliuetum. Vltima conditio restibilis vineæ, vt dixi, vnde si necessitas cogat, prius, quidquid est residuæ vitis, extirpari debet: deinde totum solum sicco fimo, aut alterius generis recentissimo stercorari, atq; ita conuerti, & diligentissimè refossas omnes radices in summum regeri & comburi oportet. Inde humus consideranda, si sit facilis, & resoluta modicè: probatur etiam soluta glarea calculosusq; ager, & mobili lapide, si tamen hæc pingui glebæ permista: nam eadem ieiuna maximè culpantur.

Densa magis Cereri, rarissima quæq; Lyæo.

Densam deprehendas, si effossam in eũdem locum regesta superet: si minus implet fossam, rara. Silicem viti amicũ agricolarum tradit consensus, maximè, cui superimpositum est modicum terreni: quia frigidus & tenax humoris nõ patitur æstiuis feruoribus sitire radices. Quinetiam lapides disponendos Columella præcipit iuxta diuersa latera fossarum, qui tamen quinq; librarum pondus non excedãt: hos & aquas hyemis, & vapores æstatis propulsare radicibus Virgilius notauit:

Terra quæ dẽsa, quæque rara.

Lapidum in vinea ratio.

Aut lapidem bibulum, aut ſquallentes infode conchas.

Sic videmus feliciſſimè vitem alere colles Rhenenſes fiſſilium lapidum, ac nobiliſſima vina proferre. Atqui lapides in ſuperficie terræ abiiciendi: nam æſtate aduruntà ſole calefacti, & hyeme refrigerant: contrarium iis, quæ in fundo ſunt. Præcipuè montium ima, quæà verticibus defluentem humum receperunt, vel etiam valles, quæ fluuiorum illuuie & inundationibus concreuerunt, aptas vineis exiſtimant. Neque reſpuenda cretoſa terra, etſi per ſe ipſa creta, qua vtuntur figuli, inimica ſit. Ieiunus autem ſabulo ager, ſalſus, atque amarus, ſiticuloſúſque viti non conuenit: nigrum tamen & rutilum ſabulonem, qui ſit humidæ terræ permiſtus, non improbant quidam. Adde neque nimis calidum ſolum nimiſq; frigidum, neq; ſiccum nimis vel humidum, neque rarum ſupra modum aut denſum, quod cœleſtes aquas non ſorbeat, conuenire: nam id facillimè perrumpitur, rimaſq; præbet, quibus ſol ad radices penetret: raram ſupra modum, velut

lut per infundibulum tranſmittentem imbres,& ſole ac vento penitus ſiccari: Grauem terram, vix vlla cultura vincibilem; leuem vix vlla ſuſtineri: pinguiſſimam luxuria, tenuem ieiunio laborare. Quare opus temperamento inter has inæqualitates, quod in corporibus quoque noſtris deſideratur, quorum bona valetudo calidi & frigidi, humidi & ſicci, denſi & rari certo modo continetur. Nec tamen hoc temperamentum in terra, quæ vineis deſtinatur, pari momento libratum eſſe debere exiſtimatur, ſed in alteram partem tantùm propenſius, vt calidior ſit terra quàm frigidior, ſiccior quàm humidior, rarior quàm denſior, maximè ſi ſuffragetur cœli ſtatus. Quam regionem vineæ ſpectare debeant, vetus eſt diſſenſio: alij ſolis ortum, alij occaſum, alij ſeptentrionem probant: Vergilius occaſum improbat: Sunt qui præcipuam poſitionem meridianam malint. In vniuerſum videtur optimum, vt frigidis regionibus meridiano ſubiiciantur vineta, tepidis Orienti obuertantur, feruentibus locis, vt Ægypto & Numidia, vni ſe-

Temperatura qualitatum.

Quam cœli regione ſpectare debeant vites.

ptentrioni rectius opponentur. Plinius vites Aquilonem, palmites meridiem ſpectare vult. Solo idoneo, & ad cœli ſpatium conueniente parato, terra diligenter fodienda, ſtercoranda, herbæ & inutiles ſtirpes euellendæ, amouendæque, ne reuiuiſcant, & vitium ſemina corrumpant, aut foſſorem remorentur. THRAS. Antequam ad paſtinationem pergas, cuperem audire, quo pacto vitis conſeratur, & quo potiſſimum tempore id conueniat. MAR. Prius de tempore, pòſt modo conſerendi indicabo. Vitis conſeritur vel vere vel autumno, è Virgilij præcepto. Vere melius, ſi aut pluuius aut frigidus cœli ſtatus eſt, aut ager pinguis atque campeſtris, & vliginoſa planicies: Autumno, ſi ſicca, ſi calida eſt aëris qualitas, ſi exilis atque aridus campus, ſi macer præruptúſve collis: Vernæque poſitionis dies ferè quadraginta ab Idibus Februariis vſque in æquinoctium tradit Columella: Et rurſus autumnali ab Idibus Octobris in Calen. Decembres. Caſſianus apud Conſtantinum conſulit experientia edoctus, in locis irriguis au-

De tempore conſerandæ vitis.

tumno

tumno potius plantationem faciẽdam, cùm folia defluxerint, & ſarmenta poſt vindemiam ab onere & racemorum grauitate liberata, firmataq; nec dum à glacie læſa ſint : nam tum citius terræ coaleſcat, natura videlicet tunc radices magis enutriente. Inſerendi tempus à Calend. Nouembris, in Calend. Iunias Columella tradit extendiſſe quoſdam, quoad poſſe cuſtodiri gemmam ſiue ſurculum affirmant : Sed id illi non probari: quin magis tepentibus iam diebus poſt hyemem, cùm & gemmam & corticem naturaliter mouent, nec frigus ingruit, quod poſſit aut ſurculum inſitum, aut fiſſuræ plagam inurere: Permittit tamen feſtinantibus autumno vitem inſerere, quia non diſſimilis eſt eius aëris qualitas vernæ. Deligenda dies tepida, ſilenſq; à ventis. Surculus teres, ſolidi corporis, nec fungoſæ medullæ, crebris gemmis, & breuibus internodiis, calamus non amplius tribus digitis alleuetur æqualiter, ex ea parte, qua raditur. Fiſſura ſubacto luto linitur, muſcoque inducto ligatur. Notandos ſurculos aiunt, qui ad meridiem ſtete-

Inſerendi ratio.

Surculi quales requirendi.

rint,

rint, idq; Virgilius monens inquit:

Regio ſur culorum notanda.

Quin etiam cœli regionem in cortice ſignant,
Vt quæ quoque modo ſteterit, qua parte calores
Auſtrinos tulerit &c.

Quod & de aliis arboribus dictum: Satiouis autem duo genera, nempe viuiradicis, hoc eſt, in ſurculo radicem habentis: aut malleoli, id eſt, ſarmenti, (ſic, quidquid eſt inutile à vite deputatum, appellant) qui quoniam vtrinque capitularus à duro, hoc eſt, adulto vitis ramo, à mallei ſimilitudine malleoli nomen accepit, reſecem aliqui appellant, & à numero gemmarum, modò bigemmem, modò trigemmem: Qui ſi intortus & ſine calce (ſic craſſiorem extremitatis partem appellant) arriperetur, ſagitta dicebatur, hoc eſt, extrema ſurculi pars; quod ſerendi genus expeditius putatur. Cùm propagandæ vitis tria genera tradat Columella, vnum, quo virga edita à matre ſolo committatur, alterum, quo ipſa mater proſternitur, atque in plures palos per ſuas virgas diuiditur, tertium, quo vitis ſcinditur in duas partes, vel tres, ſi diuerſis ordinibus adducenda eſt; laudatur & propagi-

Sationis vitis genera.

Viuiradix.

Malleolus

Reſex.

paginis ratio, cùm in terram vitis caput immergebatur, ex quo mergus dicitur, nec prius à matrice abſcindebatur, quàm radices egiſſet: licet hoc interdum procul à terra tentarent, fictilibus vaſculis terra refertis vitis apicem intercludentes, vt prorſus mirum videretur tam procul à ſolo radices agere, quemadmodum Plinius perquàm ſecurum putat. Cùm verò in arbuſto (ita vites arboribus maritatas vocant vinitores) ad proximas arbores trahuntur, traduces nuncupantur: at ſi breuiores palmites ſarmento iũgerentur inter ſe, à funiũ ſimilitudine funeta dicta ſunt. Duo quoque palmitum genera Veteres annotarunt, pampinariũ, qui è duro exiens in próximum annum materiam promittit. Quod ſi ſupra cicatricem ſit, fructuarium vocant: cuſtos verò eſt nouellus palmes, non longior tribus gemmis, ſi vitis luxuriarit, proximo anno materiam, hoc eſt, inutile ſarmentum præbiturus. Vt autem ad viuiradices reuertamur, has præſtare iis, quæ à ſarmento: quòd confeſtim augmentum habeant, vtpote quæ ſemel radices egerunt.

Mergus.

Arbuſtũ.

Maritatæ vites.

Traduces.

Funeta.

Palmitum genera.

Pampinarius.

Fructuarius.

runt. Viuiradices ſolo ſpiſſo & repaſtinato ſerũtur ſcrobe ternorum pedum: malleolus tenero & ſoluto ſolo. In arido ſolo neque viuiradix: neque malleolus iuſtò ſeritur. Siccus tractus & calidus autumno ſeri poſtulat, frigidus & humidus veris exitu, pluuio tractu rariores, ſicco denſiores poni debent. Seminarium vitis quomodo faciendum, docet Palladius. Sarmenta verò radicationem expectant: ſed & tranſplantatio meliorem fructum facit. Et viuiradices quidem ſecundo anno aut citius fructum reddunt. Plantæ verò, quæ ſarmento ſeruntur, vix tertio quartóve anno, quanquàm aliquoties etiam citius. Didymus apud Conſtantinum docet, quo pacto facilè ac citò viuiradices tranſplantentur, nempe, à vigoroſa vite, hoc eſt, decennali & deinceps, ſarmentum quàm longiſſimum & generoſiſſimum eligendum ex inferioribus partibus, hoc eſt, ad pedalem vſque altitudinem à terra, idque proſtratum in ſcrobem pedali altitudine effoſſam defodiendum longitudine tanta, vt quatuor oculos ſuſcipere poſſit; tot enim

Seminarium vitis

De ſarmẽtis & viuiradicibus plantãdis.

terra

terra obruere conuenit: ſic tamen, vt poſt obrutos quatuor oculos, qui adhuc in ſummo ſuperſunt, non plures ſint, quàm duo, aut tres ad ſummum: Quod ſi longius ſit ſarmentum, vt ad ſecundam defoſſionem ſufficiat, duas viuiradices ex vna faciendas, atque eodem modo defodiendas ac obruendas: viuiradicis vnius non oportere duos palos veſtire, ſed ſingula ſemina, ſingulis adminiculis eſſe contribuenda. Sarmenta autem pangenda ſumere oportet à vitibus, quando perfectum fructum reddunt, & quæ frugiferæ multiſque oculis præditæ, ac nulla clade affectæ, eaſq; notare conuenit, atque ex his plantas deligere, non quidem è nouellis vitibus, quæ ſunt infirmæ, ſed quæ in ſummo vigore exiſtunt. Sarmenta non è ſummis, neq; ex imis partibus ſumẽda, ſed è media vite: ſarmẽtum rotundum, leue, ſolidum, oculis denſum, nouaſque gemmas plurimas habens eligatur. Statim vt ablatum fuerit, plantetur: coaleſcit enim citius terræ recens ſectum. Si dilatione indigeat, ſtatim & ſublata ſarmenta in terram defodito, aut ſoluta,

Sarmenta quæ & vnde ſumenda.

Sarmenta quomodo ſeruẽtur.

ta, aut laxè reuincta. Quod si diutius seruare oportet, in dolio humorem non habente deponantur, terra substrata, & rursus iniecta, vt vndiquaque terra fruantur: dolium diligenter luto oblinendum, vt neque vento neque aëre inspiretur: hoc enim modo ad duos mẽses illæsa manere poterunt. Quæ aridiora facta, in aquam per diem & noctem coniecta plantato. Duo sarmenta simul pangenda, vt si vnum defecerit, aliud supersit: quod si vtrunque adoleuerit, quod debilius, tollendum. Non esse mixtas aut diuersæ stirpis vites plãtandas simul, maximè albas nigris non iungendas, sed separari, præcipit Columella. Cauendum, ne sarmenta ante plantationem germen emittant: nec retrorsum malleolum ponendum, multis argumentis idem contendit: Constantinus obliquum plantandum, quòd citius obliquum radices agat. Apponendi tres aut quatuor lapides, & mox aggere obruendi, ita vt cum stercore æqualiter conculcentur: nam lapides prohibent, ne terræ nimia amplitudo illabatur, & radices refrigerant, vt suprà dictum.

Vites mixtas nõ esse plantãdas.

dictum. Summæ sarmentorum partes stercore bubulo præliniendæ propter vermiculos. Quod ad longitudinem pertinet, si crebras gemmas habeat malleolus, breuior faciendus: si raras, longior: attamen nec maior pede, nec minor dodrante: & hic, ne per summa terræ sitiat æstatibus, ille, ne depressus altius cùm adoleuerit, exemptionem difficilem præbeat. Sed hæc in plano: nam in cliuosis, vbi terra decurrit, potest palmipedalis deponi, vt Columellæ verbis vtar. Scrobes vitis plantandæ non minus quatuor pedum fodiendos Florentinus censet: nam in superficie plantatæ, citius senescunt, cùm propter alimenti inopiam, tum propter solis feruorem: nam in tantum, hoc est, quatuor pedes, Sol penetrare putatur: licet sint, qui trium pedum fossionem sufficere existiment. Scrobes vitium non admodum profundas: arborum profundiores faciendas Virgilius canit. Quæ autem arboribus maritandæ, spatio trium cubitorum ab arbore plantandæ: deinde vbi probè coaluerint, vt iam idonea sit arbori vniendæ, id quod è crassitudi-

Sarmenti longitudo.

ne iudicatur, totam proſtratam & defoſſam arbori adiungito pedis ſpatio ab arboris radice, reliquo palmite libero relicto, & oculos relictos vngue ademptos excæcato, relicto vno tantùm aut altero, vt id liberius augeſcat. Quod vbi auctum fuerit, ſenſim arbori adiungere oportet, vt in ea conquieſcat. Arboris autem ea pars diligenter putetur, &, quidquid circa radicem, auferatur, vt Florentinus teſtatur. Arbores quantum fieri poteſt, in Orientem, & Occidentem extendantur. Arbores ipſas perinde atque vites circumfodere, ac ſtercorare mediocriter oportet. In bona terra permittendum, vt arbores in ſublime creſcant: in exili verò minimè, ſed excindendæ pedibus octonis, ne omnis terræ vis in ipſas arbores inſumatur. A conſitione omnibus menſibus fodiendum, curandumque, ne herba naſcatur. Præcipuè autem à Calendis Martiis vſque Octobris, trigeſimo quoque die fodere nouellas oportet, herbamque extirpare, maximè autem gramina, quæ, niſi manu eligantur, & in ſummum reiiciantur,

Cura à cõſitione vitis.

De fodiẽdo, paſtinando, & ſtercorando.

tur,

tur, quantulacunque parte obruta ſunt, reuiuiſcunt, & vitium ſemina ita perurunt, vt ſcabra atq; retorrida efficiant: foſſionem autem quò crebrior, hoc plus prodeſſe. Vbi variari vua cœperit, tertia foſſura facienda: & cùm iam matureſcit, ante meridiem priuſquàm calere incipit, & cùm deſierit, poſt meridiem fodito, puluereméque excitato: ea res & à ſole & nebula vuam defendet. E Virgilij ſententia ſingulis menſibus fodiendæ, herbæque extirpandæ. Plerique totam æſtatem fodiendam vitem poſt ſingulos rores: alij vetãt gemmantem fodiendam: decuti enim oculos, ſatiſque eſſe vineam ter anno confodi, ab Aequinoctio verno ad Vergiliarum & Canis exortum: Quidam à vindemia ante brumam, & ab Idibus Aprilibus antequàm concipiat: deinde priuſquã florere incipiat: item ante feruentes horas diei fodiendas. Alicubi vbi vites paſtinarunt, non ſtatim obruunt, ſed foſſas per totam hyemem ſinunt: in pluuioſis verò regionibus citius obruunt, occluſis per terrã radicibus, & obſtructis influxionis viis: Et alij quidem pro-

Stercus viribus idoneum.

fundiorem fossam, alij altitudine pedali, perfectas verò supra fossuram stercorant bubulo, aut ouillo, aut suillo stercore, aut aliorum pecorum. Columbinum calidissimum est, & ad celerem germinationem vitium idoneum, verùm ad vini bonitatem incommodum.

Stercus non ad truncum.

Stercus non ipsi trunco vitis iniiciendum, sed paulò lõgius ab eo, quò etiam radices longius excurrentes participes fiant, & ne stercus nudis radicibus aceruatim iniectum ipsas adurat. Si stercus desit, paleæ fabaceæ aliorumque leguminum id sarcire possunt, quæ vitibus etiam contra glaciem prosunt, & reptilibus aduersantur. Vinacea etiam stercus faciunt, eiusque vsum prębent: Præstantissima est vrina vetus. Anniculas & biennes, atque deinceps ad quinquennium, mediocriter fodere, & stercorare oportet iuxta proportionem; in terra arenosa præstantior stercoratio ex ouillo & caprino stercore: terram hoc modo fodere oportet, vt terra, quæ est supernè, in profundum mittatur, & quę infernè, seorsim feratur: sic enim, quæ sicca est, superna humiditate lætatur, hu-

Fabacearũ palearum vsus.

Vrinæ efficaces.

humida & denſata, ſuperna caliditate laxatur. Cauendum, ne in vineis ſint cauitates, ſed vt æquetur ſolum. Vbi circumfoderis, & vites primo anno comprehenderint, radices in ſuperficie falce acuta reſecandę: ſiquidem vitis vndiquaque radices agere ſolita, radicationem in profundum impedit. Vites iam duorum annorum paſtinabimus, & circumfodiemus altitudine duorum pedum, latitudine trinûm, è Socionis ſententia. In arboraceis vitibus etiam radices arbores ingredientes excindemus, ne à robuſtioribus infirmiores opprimantur. Quapropter ſpacium inter vitis & arboris plantas relinquendum. Multa foſſio vbertatis cauſam præbet. Cauendum, ne ſtirpes foſſione lædantur. Item fodere oportet, antequàm germen producatur: cùm enim ſimul cum racemorũ generatione & germen naſcatur, qui poſt effuſum germen foderit, multum fructus decutit, & perdit per motum: quare citius fodere pręſtat.

Ablaqueatio. Ablaqueatio ab Idibus Octobris inchoanda, vt ante brumam ablaqueatam habeas. Poſt brumam ablaquea-

tionem circumfodito: ante æquinoctiũ vernum ablaqueationem adæquato: post Idus Apriles terram ad vitem aggerato. Aestate sæpissimè occato. Post Id. Octobris, vti dictum, priusquam frigus inuadat, vitis ablaqueanda, quod opus adapertas ostendit æstiuas radiculas, easque prudens agricola ferro recidit: quas si patiaris conualescere, inferiores deficiunt, atque euenit, vt vinea summa parte terreni radices agat, quæ & frigore infestẽtur & caloribus. Quare quidquid intra sesquipedem, est recidendum, ita ne matrem lædas. Ablaqueare oportet omnibus autumnis primo quinquennio, dum vitis adolescat; vbi trunculi adoleuerint, ferè triennio intermittendus est operis labor. Arbusto nihil eiusmodi potest aptè finiri, quoniam inæqualitas arborum non patitur operis iusta comprehendi. Vites arboresque quò citius ablaqueaueris, erunt valentiores: sed quæcunque in cliuis positæ, ita ablaqueandæ sunt, vt à superiore secundum codicem latiusculi fiant, ab inferiore puluinuli altiores excitentur, quò plus aquæ limique cõtineant

tineant. Vinea vetus neque ablaqueanda eſt, ne radices, quas in ſummo habet, inareſcant, neque aranda, ne radices abrumpantur. Bidentibus ſæpe & altè fodito æqualiter, & palea & ſtercore, vel palea conſpergito ſolum ante brumam, vel, cùm circum vitẽ iſtam ablaqueaueris, ſtercorato. Ablaqueationem ſequitur putatio, vt vitis ad virgulam vnam reuocetur, eáque recidatur, duabus gemmis iuxta terram relictis: quæ putatio non debet fieri iuxta articulum, ne reformidet oculus, ſed medio ferè internodio ea plaga obliqua falce fit, ne ſi tranſuerſa fuerit, cicatrix ſuperincidentem cœleſtẽ aquam contineat: ſed nec ad eam partem, quæ eſt gemma, verùm ad poſteriorem declinatur, vt in terram potius deuexa quàm in germen delachrymet: nam defluens humor cæcat oculum, nec patitur frondeſcere. Putandi Columella duo tẽpora tradit, veris, & autumni: & frigidis locis vernam conuenire putationem: apricis, vbi molles hyemes, optimam & maximè naturalem autúmnalem putationẽ, quo tempore diuina quadam lege & æter-

Putatio.

na fructum cum fronde ſtirpes depo-
nant. Neque tamen anguſta putatione
coërcenda ſemina, niſi admodum inua-
lida ſint, neque vtique recidenda, ſed
primo anno, quo poſita, frequentibus
foſſionibus, omnibuſq; menſibus, dum
frondent, pampinationibus adiuuanda,
vt robur accipiant. Putandi tempus
Pamphilus apud Conſtantinum definit
à menſe Februario aut Martio inchoã-
dum, nempe à 15. Februarij vſque ad vi-
geſimum Martij : Quoſdam tradit à
vindemia vitem à ſarmenti onere alle-
uandam cenſere, ne velut vere lachry-
mans alimentum amittat: quanquam
autumno putata, vere citius germinet,
& ſi frigus & pruina incidat, aduratur.
Quapropter præſtaret frigidis regioni-
bus præſecare & non perfectè putare,
hoc eſt, conſpicuos oculos & ſarmenta
permittere: rurſum autem vere putare
neceſſarium. Plaga fiat ferramentis
acutiſſimis, vt leuis ſit, ne aqua in vite
conſiſtere poſſit, vitem corrumpens,
vermeſque generans, qui materiã exe-
dant. Plagæ rotundæ fiant: nam ſic cele-
rius cicatricem ducunt. Plinius obli-

quas

quas vult fieri, vt facilè decidant imbres. Sarmenta lata, vetera, malè nata, contorta præscindito: nouella & fructuaria, & interdum sobolem idoneam, si superficies parum valebit, submitttio, brachiáque conseruato. Putationem quàm celerrimè perficere oportet. Ab Idibus Decembris ad Idus Ianuarij vitem non tangendam ferro, siquidem Columella testatur, bruma non putandam vineam. Cùm vitis putatur, inter duas gemmas secanda: nam si iuxta gemmas secueris, laborabit. Cicatrix semper deorsum spectabit, ita neque aqua, neque sole lædetur. In agro crasso plures gemmas, in exili pauciores. Brachium quotannis longum, non tamen totum tollendum. Inchoanda putatio non manè, sed quando & pruina à sole dissoluta est, & sarmenta tepefacta. Malleolorum primi anni incrementa, ne nimium luxurient, neque nimium coërceantur, media ratio tenenda, vt neq; solotenus malleolum recidamus, nec rursus in longiorem materiam prouocemus, sed, annotato superioris anni pollice, super ipsam commissuram ve-

teris ſarmenti, vnam vel duas gemmas relinquere oportet, ex quibus germinet. Putationem rurſus ſequitur cura pedandæ vineæ. Et conuenit, teneram vineam non tam vehementi palo aut ridica, ſed modico potius adminiculo quieſcere. Dum nouella eſt vinea, quàm molliſſimè liganda eſt vel vimine ſalicis, vlmi, geniſtæ, iunci, aut vluæ, aut denique ſtraminis. Poſteriora vincula præſtare putantur: nam vimẽ cum inaruit, penetrat, & corticem lædit. Eſt & herba quàm Siculi à vinciendis vitibus ἀμπελόδεσμον appellant. Pedamenta, & pali, ac ridicę, vocantur ſuſtentacula vitium: Plinius optima commemorat ſalicis, roboris, oleę, arundinis, iuniperi, cupreſſi, ſambuci. Alibi idem, Caſtanea, inquit, omnibus pedamentis præfertur, cùm ob facilitatẽ tractatus, tum perdurandi peruicaciam, regeminatione cædua vel ſalice lentior: reliquorum generum ſudes omnibus annis reciduntur. Saluberrima in iugo arundo durat annis quinis. Cùm breues palmites ſarmento iunguntur inter ſe funiũ modo, funeta dicuntur. Pampinatio &

De pedãda vinea.

De palis perticis, & vinculis.

Pedamenta.

Funeta.

Pampinatio.

putatio

putatio eiuſdem experientiæ eſt. Pampinationem bis anno vſurpandam, nimirum, vt extrema ſuperfluorum ſurculorum cũ pampinis reſecentur. Verna Plinio in confeſſo eſt ab Idibus Maij intra dies decem, vtique antequam florere incipiat (nam circa ſolſtitium & vitis, & triticum, duo nobiliſſimi frutices, florent) & eam infra iugum, fieri: de ſequenti variæ ſententiæ. Cùm defloruerit, aliqui pampinandum putant, alij ſub ipſa maturitate. Superflua germina adhuc tenera auferenda, vt viti reſpiratio detur. Pampinare autem per medium oportet citra moleſtiam, id notat Virgilius:

Vitis quãdo floreat

Ac dum prima nouis adoleſcit frõdibus ætas,
Parcendum teneris, & dum ſe lætus ad auras
Palmus agit laxis per purũ immiſſus habenis,
Ipſa acies falcis nondum tentanda, ſed vncis
Carpendæ manibus frondes.

Vineam autem quàm benè putare, tam diligenter pampinare, vtile eſt: nã & materiæ, quæ fructum habent, melius conualeſcunt, & putatio ſequentis anni expeditius, tum etiam vitis minus cicatricoſa fit: quoniam, quod viride & tenerum

nerum decerpitur, protinus cõualeſcit. Super hæc quoque melius vuæ matureſcũt. Ante dies decem, quàm vinea florere incipit, pampinatam habeto: quicquid ſuperuacuũ, tollito; quod in cacumine aut brachiis enatum, decerpito duntaxat; quæ vuam non habent cacumina virgarum, ne luxurient, demutilato. Vuas, quæ meridiem aut occidentem ſpectant, ne perurantur, ſuo pampino tegito. A recenti vite plus germinum auferendum, vt ne grauetur. Poſtquam verò feruor ſolis hebeſcere incipit, folia auferre oportet, quò omnes racemi à ſole concaleſcant, & percocti matureſcant: cùm verò adhuc floret vitis, fodi debet. In vitibus recens plantatis ſimul vt germẽ emiſerint, poſtquam defloruerint, ſuperfluum circa germen auferendum leniter & citra violẽtiam, vt diximus. Vites, quæ fructum putrefaciunt ob foliorum denſitatem, triginta diebus ante vindemiam purgare oportet, foliis ex obliquo, & à lateribus detractis, quò inſpirantes venti vitem refrigerent. Verùm folia in ſummitate relinquẽda ſunt, quæ aduerſus vehementem

tem æſtus feruorem defendant, ſoliq́ue vitibus in ſummo incumbenti vmbram obiiciant: ſi tamen crebriores imbres in autumno, & intumeſcentes valde augeſcant, etiam circa verticem folia tollenda ſunt. THRA. Magnam curam vitium narras. MAR. Diligentem vinitorem crebrò vineam circumire, pertícas erigere, iuga æquare oportet. THR. Vindemia. Vnum addas, maturitatis indiciũ: nam audio, neq; feſtinandum intempeſtiuè, neque maturitatem prorogari ſine iactura. MAR. Rectè mones. Nam ante maturitatem legentes, tenue parumq́; durabile vinum reddunt: Et tardantes, vitem non ſolùm lædunt vltra tempus geſtantem onus, ſed etiam, ſi grando & glacies oboriatur, iniuriæ expoſitum vinum habent. Democritus tradit, ſex tãtùm dies & non amplius vuam maturã permanere. Maturitatis igitur ſigna in vuis non è viſu ſolùm, ſed etiam è guſtu ſumẽda: etſi guſtum fallere Columella cenſet. At ſi vinacei, qui acinis cęlantur, iam refuſcati ſint, vt nõ amplius virides pelluceãt, ſed propemodùm nigreſcãt, (ſiquidem colorem vinaceis nulla res

Maturitatis indicia

afferre

afferre poteſt) vuam maturam ſignificant. Alij acinos premunt, & ſiquidem vinaceus exilierit nudus, citra omnem carũculæ complexum, maturas ad vindemiam iudicant; ſi verò proſilierit carnem ſecum trahens, immaturas eſſe. Alij ſic experiuntur: E denſo racemo vnum acinum eximunt, & pòſt racemũ contemplantur, qui ſi non mutetur, maturitatis indicium eſſe. Vindemiare oportet Luna in Cancro exiſtente, aut in Leone, aut in Libra, aut Scorpione, aut Capricorno, aut Aquario, & eadem ſub terra. THR. Num arte aliqua citius matureſcunt vuæ? MAR. Plinius tradit, aceto acri & vrina vetuſta radices madefaciẽdas, atque eo luto obruẽdas, ac ſæpe fodiendas, ſi fructum non macurent. THRA. Vuæ quo pacto ſeruari traduntur? MAR. Vuæ durant, aliæ penſili concamerata nodo, aliæ ſua tantùm continẽtur anima, ollis fictilibus & inſuper doliis incluſæ, ſtipatæ vinaceis circumſudantibus. Palladius rationem oſtendit, qua ſeruentur etiam in vite vſqũe ad ver. THRAS. Sed amabò, de frugiferarum pomarij tui arborum diſciplina

Vuas ſeruandi ratio.

plina ſigillatim diſſerere non graueris.

MAR. Inter arbores frugiferas à vite primum omnium locum ſibi vendicat Olea, vt Columella teſtatur, ἐλαῖα ἥμερος Græcè dicta, ex omnibus ſtirpibus minimam impenſam deſiderat, cùm vitis contrà maximam accuratiſſimamque poſtulet. Et quanquam non continuis annis fructum afferat, ſed ferè altero tantum, eximia tamen eius eſt ratio, quòd leui cultura ſuſtinetur, & cùm ſe non induit, vix vllam impenſam flagitat, &, ſi quam flagitet, eam copia fructuum compenſat. Cùm autem oleæ magnus & ſecurus ſit prouentus, & in magnum tempus conſeruetur, vitæque plurimis neceſſitatibus congruat, plurimum huic arbori diligentiæ adhibendum. Amat locum neque depreſſum neque arduum, ſed cliuos potius, qualis in Italia Sabinorum, & Betica ferè tota, vt Columella ſcribit: in iis enim excellens ſolis ardor ventorum flatu refrigeratur, & optimum oleum producit, planis locis contrà. nam in oleis cœlum, ſolúmque plurimum referre, Plinius tradit. Aërem calidum & ſiccum

Arbores.

Olea.

ſiccum poſtulat: quare in Lybia, ac Sicilia, & Betica, & Italiæ quibuſdam locis, præſertim Campania, feliciter prouenit. Cœli ſtatum neq; perferuidum, neque gelidum patitur: quare Septentrionali colle æſtuoſis locis, frigidis meridiano gaudet. Exiſtimant, vltra miliarium ſexageſimum à mari, aut non viuere, aut non eſſe feracem. Solum aptiſſimum, cui glarea ſubeſt, ſi ſuperpoſita creta ſabulo admiſta eſt: nec minus probabile, vbi pinguis ſabulo eſt. Sed & denſior terra, ſi viuida & læta eſt, commodè arborem hanc recipit. Creta ex toto repudianda, magis etiam ſcaturiginoſum ſolum, & in quo ſemper vligo conſiſtit, ſicut & ager, ſabulo macer, & nuda glarea. Poſſit tamen in agro frumentario ſeri, vbi vel arbutus ſteterat, vel ilex. Quercui vehementer inimica eſt: nam ſi quercetum in vicino ſit, non ſolùm non feret, ſed fugiet, introrſumq; ſe in fundum abiiciet: vel exciſa radices noxias oliueto relinquit, quarum virus enecat oleam. Idem de cerro, & eſculo quidam tradunt: nam vbi illæ effoſſæ, oleam, ſi ſeratur, emori. Ad eundem

modum

modum oleam, si lambendo capra contigerit, interire, Plinius testatur. Contrà Oleæ & vitis magna concordia, proditúmque, oleam, si viti inseratur, vuas simul & oliuas proferre, fructusq; vuolea, id est, ἐλαιοστάφυλος vocatur. Serendarum olearum varia ratio. Nõnulli crassiores ramos arboribus adimunt, & ex iis quàm recentissimas taleas serra præcidunt, quæ binûm cubitorum proceritatem impleant, dein in rectũ constitutas obruũt: Alij soboles cum caudice serunt: Alij residem caudici plantulam, decisis falce capitibus & brachiis, in truncum redigunt, & terræ fossæ circa Arcturi ortum defigunt: culturæ seminarium faciunt plerique, vel plantarium, idque libero cælo, terreno modicè valido, sed succoso, solo resoluto, quale est ferè nigræ terræ. Huc ramos nouellos, proceros, nitidos, manubrij crassitudine, feraces, non è trunco, sed è brachiis nouisq; ramis enatos, arboribus ademtos, in taleas recisos ita, vt corticem non lædant, mittunt. Taleæ sesquipedales serra præciduntur, atque earum plagæ vtraque parte falce leuan-

Plantarium olearum.

tur, & rubrica notantur, vt ſit, quemadmodum in arbore ſteterat ramus, & ita parte ima terram & cacumine cælum ſpectans deponatur: ſic celeriore proficiunt incremento, celeriorémque fructum largiuntur. Nam ſi inuerſa ponatur, difficulter comprehendet, aut ſterilis erit. Quare in rectum conſtitutas adobruunt. Oportet enim talearum capita, & imas partes miſto ſimo cum cinere oblinire, & ita totas eas immergere, vt putris terra quatuor digitis ſuperueniat. Siquidem aut totam immergi oportebit, aut partem alteram humari, & partem alteram ſolo ſupereminere. Non enim quæ prorſus obruuntur, ſed quę duntaxat altera parte extant, rubrica notari deſiderant. Didymus depangendam in terram, vt quatuor digitorum altitudine emineat, deinde ſcrobem excauandam ad commodam imbrium ſuſceptionem. Atque hæc ratio plantandi per ramos Didymo magis probatur. Cùm plantatio fit, locum repurgare oportet ab omni alterius generis frutice, & ſcrobes ſic effodiantur, vt à ventis, ſole, ac imbribus terra friabi-

lior

lior reddatur, & plantæ radicem facilius agere queant. Si festinetur, duobus mensibus antè, aut vno saltem, sarmẽta & arundinem, &, quæ facilè comburuntur, in scrobibus ad multos dies exuremus. Sint scrobes altitudine triũ cubitorum aut circiter: distent scrobes cubitis quadraginta, quò trunci perflari possint. Primo anno maximè sarriri, postero & sequentibus annis, cùm iam radiculæ seminum conualuerint, rastris excoli debent. Biennio à putatione abstinendum. Tertio anno singulis binos ramulos relinqui, & frequenter sarriri conuenit seminarium. Quarto anno è duobus ramis infirmior amputandus. Sic excultæ quinquennio habiles sunt arbusculæ translationi. Translationi aptior truncus, qui brachij crassitudinem habet, exiguus supra scrobẽ emineat; lætiùs enim frondet. Antequàm transferatur, rubrica aut alio signo notetur ea pars, quæ meridiem spectat, vt eodem modo deponatur. Oportet solum scrobis prius fodere bidentibus, ac deinde terram aratro subactam immittere, hordeíque semina substernere. Si

in ſcrobibus aqua, ea exhauriendа, deiñde ingerendi minuti lapides, depoſitiſque ſeminibus latera ſcrobis circumcidenda, & aliquid ſtercoris interponendum. Poſt ſolſtitium, cùm terra æſtatibus hiat, curandum, ne ſol per rimas ad radices penetret. Ab æquinoctio autumnali arbores ablaqueãdæ, ita vt ſi in cliuo ſit olea, incilia excitentur, quæ limoſam aquam à codice deducãt. Omnis ſoboles, quæ ex vna ſtirpe nata, quotannis extirpanda. Stercus autumno iniiciendum, vt permiſtum hyeme radices oleæ calefaciat. Amurca valentibus infundenda. Muſcus ferramento reſecandus: alioqui fructum non feret. Quinetiam plurimis annis interpoſitis putandum oliuetum. Vetus enim proProuerbium de Olea. uerbium: Qui arat oliuetũ, rogare fructum, qui ſtercorat, exorare, qui cædat, cogere. Putatio autem facienda autumno, fructu ablato. In olea interdum vnus ramus reliquis lætior, quem nî reſcideris, tota arbor triſtabitur. Inſeritur etiam olea oleaſtro, maximè inter corticem, & emplaſtratione, alij in radicibus inſerunt, & vbi comprehenderint,

cùm

cum aliqua radice euellunt, & transferunt more plantarum. Ex oleis, quæ craſſo cortice ſunt, iuxta corticem inſeruntur. Tempus ſerendi ab æquinoctio verno, alij vigeſimo ſecundo Maij, vſque Cal. Iunij. Maturitatis & legendæ oleæ indicium, quando maior pars dimidij fructus nigreſcere incipit, idq; cælo ſereno: quantò maturior bacca, tantò pinguior ſuccus. Ex olea duplex fructus, oleum, & Amurca. Oleæ minores ad oleum, maiores ad eſcam parantur. Olearum vindemia, ars maior oleum, quàm muſta temperandi. Ex eadem oliua differunt ſucci. Primum omnium cruda gratiſſimo ſapore. Prima vnda præli laudatiſſima, ac deinde per diminutionem. Quantò maturior bacca, tantò pinguior ſuccus, minuſque gratus. Vetuſtas oleo tædium affert, non item vt vino, plurimumque ætatis annuæ eſt. Oleum optimum Venafrinum & Licinianum. Inter Iſtriæ & Beticæ certamen par. Vicina bonitas prouinciis, excepto Africæ ſolo frugifero. Oleam, quam manu tangere poſſis, è terra aut ſcalis legere oportet potius,

Oleę inſerendæ, & maturitatis tempus.

Olei ætas.

tius, quàm decutere, auctore Varrone, quòd ea, quæ vapulauit, inarescit, nec dat tantum olei, quantum manu stricta: melior ea, quæ digitis nudis legitur, quàm illa, quæ cum digitalibus. Vnde oliuantium lex antiquissima, Oleam ne stringito, néve verberato: Quæ manu tangi non poterunt, ita quati debẽt, vt arundine potius, quàm pertica feriantur. Augetur oleum ab Arcturi exortu ad decimumsextum Calend. Octobris, pòst nuclei crescunt & caro. Olea alia ad cibum eligitur, alia vt eliquescat, & corpus non solum intus, sed etiam extrinsecus vngat. Itaque dominum non solùm ad balneas, sed & ad gymnasiũ, & quocunq; sequitur, vt scribit Varro. De qua fit oleũ, è terra legenda, & si inquinata, lauãda: Siccari triduo satis. Si gelent frigora quarto die premẽda. Primus quisq; aceruus demittatur perserias, & vasa olearia ad trapetã, in qua eam terant molæ oleariæ è duro & aspero lapide. Olea lecta, si nimis diu fuerit in aceruo, calore fraceſcit, & oleũ fœtidum fit. Oleo conficiundo molæ vtiliores, quàm canalis & solea. Molæ

Lex oliuãtium.

quàm

quàm facillimam patiũtur administrationẽ: quoniam pro magnitudine baccarum vel submitti, vel leuari possunt, ne nucleus, qui saporem olei vitiat, confringatur. Torcularia præcipuè cellæque olearię calidæ esse debent, quia cõmodius omnis liquor soluitur: Vapore & frigore magis constringitur. Cumq; calore sit opus, positione cœli & declinatione id procurandum; ita non opus est ignibus aut flammis, quòd fumo & fuligine sapor olei corrumpitur. Propterea torcular debet à meridiana parte illustrari, ne opus sit lucernam adhibere prementibus. De legibus oleæ legendæ locandæq; Cato præcipit: de Condituris Oliuarum Columella. Sed longius esset hæc omnia commemorare hoc tempore. THRAS. Agè verò, nunc de arboribus pomiferis serendis curandisq; aliquid memora: nam earum arborum vulgatior apud nos vsus.

De malo ac pomo.

MAR. Pomum, μῆλον: Varro dictum putat pomum quasi ποτικὸν, quia potu ac siccitatibus indigeat. Sunt, qui poma & nuces sic distinguant, vt pomum sit, quidquid foris esculentum & intus du-

rum, nuces, contrà. Pomum quidem generali significatione, quæcunq; Græcis ὄπωρα dicta, complectitur, velut persica, cotonea, pyra, quod & Iureconsulto placet: hoc tamen loco de pomis & malis vulgari modo loquimur. De malis cotoneis, malisq; granatis, de tuberibus, & Zizyphis suo loco dicetur. Sunt autem malorum genera varia, specie figuráve, ne dicam saporibus succisq; toties permista, vt enumerari vix queant. Olim in precio erant Septiana rotunditate insignia, item Martiana, Claudiana, Mantiana, Appiaria, ab inuentoribus: Quædã à patria, vt Camerina, & Greçula: Quædã à colore, rubella, sanguinea, serica, aurea: Et figura orbiculata, sceptiana: A sapore, melimela, & mellea: A celeritate mitescendi, mustea: Gemella, quòd nũquam singula in fœtu: A mammarũ similitudine, orthomastica: à conditione castrati seminis, spadonia: A foliis Belgemela: Pannucia, quę rugis celeriter marcescunt: pulmonea stolidè tumescentia: Cato addit Quiriana, & conditiua, scantiana: item pumilla, quæ petilia. Alia alijs causis appellata.

Malorum genera

pellata, & ſuæ quoque regioni quaſi peculiaria: Malus Aſſyria, quæ ſola apud Aſſyrios naſcitur, omnibus horis pomifera, aliis cadentibus, alijs matureſcentibus. In Gallia Carpendua principatũ tenent gratiſſimi ſaporis, & in tanta ſuauitate minimè fugacia, colore, cùm maturuerint, luteo. Sunt & paſſipoma Gallis, &, quæ Rabaudica vocant, nobilitate præcipua in Belgica. Germanis præter exotica celebrantur Diſtelina & Paradiſiaca: Imprimis & colore aureo parteque rubente, ac magnitudine, pariq; ſaporis gratia commendantur Poſtellana apud Vbios. Sed de generibus ſatis. Omnia ferè eandem ſerendi habent rationem, niſi quòd Perſica, limonia, præcocia, cotonea, citria, quæ à Dioſcoride in malorum genere referuntur, diligentiorem diſciplinam, vti pòſt dicetur, requirunt. Nam & ſemine proueniunt, & inſitione. Seminarii modum Cato deſcribit. Seruntur autem mala Februario vel Martio: ſi calida & ſicca regio, Octobri ac Nouembri. Felicius proueniunt ferè omnium malorũ genera, in ſitione nouellarum arborum,

Malus Aſſyria.

Carpendua.

Paſſipoma.

Rabaudica.

Diſtelina.

Paradiſiaca.

Poſtellana.

De ſerendis malis.

Seminarium pomorum.

& inoculatione, modo quo ſupra diximus, circa Martiũ vel Aprilẽ, vel eo tẽpore, cũ ſuccus eſt in cortice: Et emplaſtratione poſſunt inſeri circa ſolſtitiũ æſtiuũ, tametſi ſint, qui poſt æquinoctium vernum nõ infeliciter vſurpatã tradant, vt ſupra diximus, vbi de emplaſtratione & inſitione locuti ſumus. Malus vulgò inſeritur ſylueſtri malo, aut rubo prius tranſlato in ſeminarium, ac poſtero anno præciſo, vt circiter pedali menſura ſupra terram extet; ei ſurculum, quem voles, è malo nouellum, vti ſupra de ſurculis retulimus, inſeras. Palladius in pyro, in ſpino, pruno, ſorbo, perſico, platano, populo, ſalice, ac denique in omni genere, quo pyrus, inſeri poſſe aſſeuerat: verùm in tantis locorum diuerſitatibus certus omnibus modus præſcribi non poteſt. Quare nos, quæ vulgari obſeruatione, & ex aliorũ ſcriptis hauſimus, commemoramus. Sunt, qui malum veterum more in pyrum ſylueſtrẽ, vel malum cotoneum ſerant, gigniq́ue velint ex malo pulcherrima quæ vocantur, melimela. In platanum ſi ſeratur, rubicunda fieri mala: item, n dama-

ſcena

scena ritè inseruntur mali: quod si inserantur in citrum, fere semper fructum ferre Diophanes tradit. Solum amat hæc arbor pingue & lætum, cui humorem non tam rigatio quàm natura suppeditat. Montanis locis debet ad meridiem versa constitui. Et frigido solo prouenit, si cœli tepor adiuuerit, nec in asperis & humectis sedem recusat. Macrum & aridum solum poma vermiculosa efficit & caduca, vermes eius suillo stercore misto humanæ vrinæ & radicibus affuso extinguuntur: lotio enim mirum in modum recreatur hæc arbor. Et si plures sint vermes circa arborem, æneo scalpro semel rasi non vltra nascẽtur, si loca, vnde rasi sunt, bubulo stercore oblinas. Quidam etiam stercus caprinum addunt vrinæ, & vini veteris fecem radicibus affundunt, dulciorem fructum efficientes. Aegrotans malus curatur stercore asinino, aqua diluta, rigata ad dies sex. Rigandæ sole occidente frequentius, donec germen erumpat. Plinius tradit aquam lupini decocti circumfusam pomis prodesse. Aiunt arborem, si vrina rigetur, rubescere

Solum quod postulet malus arbor.

Aduersus vermes malorum.

Aegrotãtis mali cura.

ſcere fructus. Sunt qui ſub arbore roſas plantent, ſicque rubra poma promittant. Pomiferas arbores, vt ſuprà dixi, per genera ſerere conuenit, Columella præcipiente, ne imbecillæ à valentioribus premantur: quia nõ omnes magnitudine, vel viribus pares: imparíq; temporis ſpacio adoleſcunt. Adde raras diſponendas, vt ſpacium habeant ramos diffundendi: nam ſi ſpiſsè poſueris, nec fructuoſę erunt, niſi interuulſeris: Quare quadraginta aut triginta ſaltem pedes inter ordines relinquendit. Poma ſeminis nigrore maturitatem fatentur. Colliguntur poſt æquinoctium autumnale, vel circiter, prout cuiuſque generis natura fert, nec ante decimam ſextam lunam, cœlo ſereno & pomeridiano. Caduca ſeparanda. Melius decerpuntur quàm decutiantur, ne lædantur caſu altiore. Seruantur tabulatis vel cellariis, loco frigido, feneſtris ſeptentrionalibus, quæ ſereno die lucem accipiãt patentes. Quare Varro oporothecas ad Aquilonem feneſtras habere voluit, vt eo aëre perflentur. Auſtri ſpecularibus arcendi, Aquilonis afflatu deturpantur rugis.

Quomodo conſerendæ mali.

Poma quãdo matura iudicentur.

Quo pacto ſeruentur poma.

Oporothecarum inſtitutio.

rugis. Stramentis, ſtoreis, paleíſve ſubſtratis, rara componuntur, vt limites parui ſpiritum æqualem recipiant. Nobis pomum à Batauis allatum, quod in tertium annum durauit, eſtque eius generis in hoc pomario pomum grande, à virore nomen retinens. Singulis generibus ſingula loca deſignanda, ne vno clauſa loco diuerſa genera diſcordent & celerius vitientur. Sunt, qui folia nucum ſubſternant, quibus & odori & colori conſulitur. Seruãtur & à putrilagine, ſi hordeo aut frumenti aceruis obruantur. Palladius in vaſis fictilibus diligenter clauſis, vel in ciſternam, vel in puteum demitti ſcribit. Apuleius apud Conſtantinum ſingula poma in folia nucis inuolui, reponíque iubet. Plures modos licet reperire apud auctores ſeruandorum pomorum. Sunt, qui, vt gelu arceant, madido linteo operiãt, quo congelato poma tecta à frigore defendantur. Mala ſic conſtituenda, vt pediculorum pedes deorſum, neque antea, quàm vſui neceſſaria, contingantur. Poma ferunt dorſuariis iumentis grauia, quia odore offen-

offensa fatiscunt, vt Lucianus in Asino testatur. Idem de pyris traditur. Remedium aiunt, si prius dentur degustanda. E pomis vinum factitatur prælo & trusatilibus molis, ius tortiuum exprimentibus. Deinde secundarium, fracibus ac retrimẽtis in aqua maceratis, ita vt pomea lora dici possit, non parui ad restinguendam sitim rusticorum iuuamenti. Acetum quoq; è pomis fit acerbis ac syluestribus, quæ in cumulo per triduum reseruãtur, ac deinde mittuntur in cadum, cui fontana aut pluuialis aqua miscetur, & opertũ vas per triginta dies finitur, ac subinde, quantũ fuerit aceti sublatum ad vsus, tantundem redditur aquæ ad reparationem.

Tortiuũ ius.
Tortiuũ vinum.
Vinum è pomis & acetum.
Pomea lora.

De Pyro. Pyrus ἄπιος & ὄχνη proximum locum sibi vendicat, pomariaque inprimis ornat. Malus diffundit latera, pyrus magis in subrectũ cacumine & lateribus germinat: Solo læto ac humido pyrus gaudet. Nascitur & semine, originem suam naturâ refouente, cuius æternitati nulla tarditas potest adferre fastidium, sed homini longa est expectatio, cùm serò admodum prouenìat, & à generis nobilita-

bilitate desciscat. Melius igitur radicatæ syluestrium plantæ scrobibus benè subactis seruntur Nouembri mense, vt cùm prehenderint, inserantur. Seritur & plantis bimis trimisve radicatis, ac scrobibus deponitur. Traditur, crebris fossionibus, & frequenti humore proficere, vt nulla floris iactura fiat. Multum proderit, si interiecto anno qualelibet adiungatur lætamen. Bubulum spissa & grauia poma creare fertur: Aliqui cinerem miscent, commendandi saporis gratia. Plantantur & viuiradicibus, & stolonibus illarum auulsis. Si viuiradices plantaturus es, hę sint triennes, aut ad minus biennes. Quidam etiam trunci generosissimas scytalas faciunt, easq; plantant sicut oleas. Tempus inserendi maximè Martius & Aprilis: Plinius etiam florentem inseri tradit, quod ipsi experti sumus. Inseritur autem cotoneo, amygdalæ, terebintho, punicæ, malo, moro. Si moro inseratur, rubra pyra creabit, Virgilius fraxino inseri docet. Imo omni generi inseritur. Surculus, cui inseritur, anniculus sit, & prius, quàm figatur, foliis & om-

Pyri serendæ plantandæque ratio.

& omni tenera parte priuatus. Quod si dulcem facere velis, & vberiorem fructum ferre, truncum ad ipsam terram perforabis, & cuneum ex quercu aut fago adiges, atque ita obrues. Si verò ægrotet, dum floret, curabis vini veteris fecem radicibus affundere, atq; rigare ad dies quindecim, atque hac opera, etiamsi non ægrotet, dulciorem fructum feret. A vermibus non læditur, si dum plantatur, felle bubulo illinatur. Languentis pyri ablaqueatæ radicem terebrandam, & ex quercu vel prunis cuneum infigendum, monstrat Palladius. Si lapidosa sint pyra, à radicibus terram leuabis, ac lapides secernes, atq; nouam terram ctibratã infundes. Spatia inter pyros, triginta pedes aut paulò pauciora relinquenda, inter pomos plura, vt dictum. Pyrorum genera exequi superuacuum, cùm in excolendis nulla discrepantia. Crustumia ex parte rubentia celebrantur Columellæ generosissima, ac sapore gratissimo: Falerna his proxima, largo succo abundantia, ocyssima & odoratissima superba Plinio laudata: Lactea vocantur quædam. Auctores

Pyrorum genera.

res ſuos nobilitauere Decuminiana, & ex his tracta origine Pſeudodecuminiana, Dolobellana longiſſimi pediculi, Pomponiana cognomine mammoſa, Liceriana, Siueriana, &, quæ ex iis nata ſunt, Tyranniana petioli longitudine diſtantia, Fauoniana rubra, paulò ſuperbis maiora, Lateriana, Anitiana, autumnalia acidulo ſapore iucunda, & quæ Tiberio maximè placuere, Tiberiana: Sunt & quæ hodie Auguſta vocantur, quòd eo menſe matureſcant, etiam Plinio non neglecta, gratiſſimi ſaporis atque coloris. Patriæ nomen habent ſeriſſima omnium Amerina, Picentina, Numantina, Alexandrina, Numidiana, Græcula, & in iis Tarentina, Signina, quæ alij à colore teſtacea appellant, ſicut onychina, purpurea: Ab odore myrapia, nardina, laurea: A tempore Auguſta, Brumalia: hordearia, ſiliginea, à comitatu frugis: à collo ampulacea & Coriolana, & brutæ gentilitatis Cucurbitana acidula ſucco: à melle mulſa: Item Regia, quæ quaſi ſeſſilia ſunt: Volema à Catone prædicata & Virgilio. Macrobius recenſet Bolemia,

Cerilia,calculoſa,loliana,lauinia, Milefia,myrtea, orbiculana, preciana, rubilia, Tulliana, Titianáque. Serotina ad hyemem vſque in parente pendent. Gelu matureſcentia pyra ſunt, quæ vocantur Libralia. Quotidie nouis inſitionum coniugiis ſic variantur, vt ſingula perſequi difficile ſit. Hodie Gallis celebrantur Bonchriſtiana, non ſapore ſolùm, ſed & perennitate commendabilia, è Campania allata: proxima Mariana, vel Diuæ Mariæ pyra: adde muſcata, Martiniana, hybernalia. Seruari variis modis tradũt; alij pice illitis ſurculis ſuſpẽſa ſeruãt: alij in ſapo & paſſo, vel dulci vino merſa, vel operculato vaſe: alij in arena, alij in floccis, alij inter frumẽta obruta, aut in paleis ſeruant. Quidã aſſerunt nullũ pomi genus eſſe, quod non poſſit melle ſeruari. E pyris, ſicut & è pomis, vinum atq; acetum fieri, oſtendit Palladius, prælo aut pondere expreſſo ſucco: & liquamentum è pyris, ad ieiunia fœminarum, quod Caſtimoniale dicitur.

Seruandorum pyrorum ratio.

Vinum, acetum, & liquamenta è pyris. Caſtimoniale. Coſtonea malus. Cydonia Chryſomela.

Pomis pyríſque ſuccedunt Cotonea vel Cydonia, vtrique generi commu-

nia,

nia. Hoc pomum primus Cato nominauit Cotoneum, Græci Cydonium κυδώνιον, à Cydone oppido, vnde primùm aduecta, nomen duxerunt, Itali *Mele Cotogne*, Germani Quitten/ Galli *Coing vn Coignier*: à colore Græcis χρυσομῆλα, Maroni aurea mala dicta: Item ſtruthia: quæ, etſi paululum differant, tamen in eo genere comprehenduntur: Nam Columella tria genera commemorat Cydoniorum, ſtruthia, Chryſomela, & muſtea, quæ omnia tã ad ſalubritatem, quàm ad voluptatem conferant. Plantantur ad eum modum, quo pyra, & ceraſus: aliqui Martio, alij Februario plantas radicatas in paſtinato ſolo ſic tenuiſſe affirmantur, vt ſequentis anni fruge potiti ſint. Locis frigidis etiam & humidis, planis & decliuibus gaudẽt: Siccis & calidis Octobri ponãtur. Si in tepido ſtatuantur, rigatione illis ſuccurendũ. Serũt nonnulli cacuminibus & talea, ſed rarior in vtroque prouentus: Stolone ſtatim degenerat. Inſeruntur melius in trunco, quàm cortice, menſe Februario aut Martio. Recipiunt ſurculos propè omnis generis,

punici, ſorbi, omnium malorum, & meliora producunt. Ita ponendæ ſunt largæ arbores cotonei, ne alteram quatiẽte vento ſtillicidium tangat alterius. Dum minor eſt, vel quando ponitur, iuuetur ſtercore, maior cinere. Rigandæ ſunt, quoties cæleſtis negatur infuſio, & circumfodiendæ locis calidis, Octobri menſe, aut Nouembri: frigidis verò Februario aut Martio. Niſi enim circumfodiantur aſſiduè, aut ſteriles fiunt, aut eorum poma degenerant: Collucandæ quoque, & à vitioſis omnibus liberandæ. Si arbor eſt ægra, amurca aquæ æqualiter miſta radicibus debet affundi, vt Didymus apud Conſtantinum docet: aut calx viua cum creta temperata, vel reſina locularis pici liquidę miſta, trunco arboris allini. Legantur ſereno cælo ſine macula, integraq;, & quàm maturiſſima, decreſcente luna. Seruantur inter binas tegulas, ſi luto omni ex parte claudantur: Alij ſiccis locis reponunt, excluſo vento, alij paleis & frumento, nonnulli melle: item vino, vinumque odoratius redditur: Palladius plures modos refert. Democritus negat ſer-

Cotonea quomodo legenda, & ſeruanda.

ſeruanda cydonia, vbi alij pomacei fructus reconditi ſunt, quòd odore vicinos corrumpant. Fit vinum è cotoneis contuſis, & expreſſis, addito paululum mellis, & oleum quoque: Noſtrates precioſum ex his liquamentum faciũt, &, quam carnem vocant cydoniorum, diuturna coctione denſata, & ſaccaro, vino, atque aromatibus condita.

Pergam de Meſpilo tibi referre, quã μέσπιλον, Itali *Neſpilo*, Germani **Neſpeln**/ Galli *Neffle* vocãt: Hęc arbor inter pyrorũ & pomorum quoq; genera refertur. Seritur eo modo, quo Cotonea. Locis calidis gaudet, ſed irriguis, tametſi frigidis etiam prouenit. Non infeliciter in quercetis & ſyluis prouenire comperimus: Nam querceta vidimus, in quibus denſiſſima meſpilorum ſylua annuam pecuniæ penſionem non pœnitendam reddere dicebatur. Serendam tradunt taleis, menſe Martio, vel Nouembri, ſolo ſtercorato & ſubacto, ita vt vtrunque caput taleæ ſtercus obducat. Seritur etiam ſemine, ſed in longæuiorem ſperatur ætatem. Adhæc ſeritur & in rubo optimè, atque in pyro, Meſpilus.

ac malo. Leguntur meſpila nondum mitia, quæ ſeruare velis. Et in ipſa arbore diu in multam hyemem durant. Et poſca & ſapa conduntur. Catonis ætate nondum Italiæ nota. Plinius & alij quidam meminerunt, incertumque an meſpilum cum ſorbo confuderint Veteres. Tria genera Plinius tradit, primum ternis intus oſſiculis, vnde tricoccum quidam appellant. Noſtrates duo genera obſeruant, vnum, quod rariori-

Meſpilum cum ſorbo quidam confundunt.

bus horret ſpinis, in nemoribus & dumetis paſſim naſcens, acerbum prius, quàm per hyemem & frigora molliatur: alterum ſine ſpinis grandi pomo, quod videtur cultu & inſitione mãſuefactum. Sylueſtrium ligno & ad trochlearum radios, & ad venabula vtimur. Surculi flagellis aurigarum vſurpantur.

Meſpilo propter vicinitatem fructus ſorbus coniungenda, arbor procera, fructu vel orbiculato, vel ouato, vnde Græcis ὄυα, vt Theophraſtus teſtatur: & ὄη & οἴη, fructus ὄον, Itali Latinum retinent nomẽ, Germanis Sperberbaum/ Gallis *Cormie & Cormier*. Fructus, vuæ,

Sorbus.

modò

modò aceruatus producitur, ita vt fani ſpeciem gerat. Syluaticæ quàm vrbanæ fructus, præſtantior: frigidos quærit tractus: & ſi in feruentia loca inciderit, ſterileſcere aiunt. Aculeos non habet, vt meſpilus. Naſcitur ſemine, radice, & auulſione, ſolo frigido & humido, mõtibus viuax. Seritur in Februario, & Martio, frigidis locis, calidis, Octobri, aut Nouẽbri. Inſeritur in ſe, & in cotoneo, & ſpina alba, vel trunco, vel cortice.

THR. Punicas miror te hîc alere poſſe: de huius cultura nobis ediſſeras quæſo. Punica.

MAR. Inter exoticas, punica præcipua, hinc dicta opinor, quòd Carthagine, atque in Africa laudatiſſima, arbor, vt vides, non procera, folio anguſto, nitidiq; viroris, flore puniceo oblongo, calathi effigie, pomo, quod corio & membrana tegitur, numeroſis intus acinorum granis, vnde Granatum dicitur, Græcè ῥοά vel ῥοιά tam arbor quam fructus, ῥοὰ γλυκεῖα καὶ οἰνώδης, malum punicum dulce & vinoſum, Italis *Mele grano*, Gal. *Pommes de granade & mygrenes*, Germanice Granatapffel / Hiſpanis *Granados*. Sola hæc arbor, vt ficus & vitis, caudice fiſſo non Granatũ pomum quare dicatur.

emoritur. Aculeos gerit in ramis, vt paliurus. Locum, cælumq; amat calidum, ac minimè aquosum: Quibusdam locis apricis, in dumetis sponte nascitur. Seritur vere, stercore suillo & humana vrina radices rigantur. In se seritur, & alijs arboribus, item plantis de matris radice diuulsis. Et licet multis generibus pangatur, melius tamen eius ramus cubitalis incisus manubrij crassitudine, in capite vtroque acuta falce leuigatus, scrobi veluti obliquus immergitur; prius suillo stercore oblinatur & summum & imum. Seritur & alio modo; Nempe truncus eligitur fructuosus, qui in terram vsque deduci queat, & ipsum, vt reliquas arbores, per infoliationem sub corticem inserunt, & similiter vinculis muniunt: deinde in terram depangunt, non attingentes insitam partẽ, sed inferiorem, & amurca perfundunt atq; oblinũt, vinculisq; constringũt, ne recurrat, donec enascatur surculus. Myrto delectari Democritus tradit, & radices etiã, si aliquanto distent interuallo, tamen mutuo complexu exhilarari: Sine nucleis nasci, si, vt in vite, medulla demta sur-

ſurculus obruatur, & dum comprehendit, amputetur, quod emergit. Acinos granatis totidem numero Africanus prodit ſingulos, etiamſi variet magnitudo. Baſilius in Hexæmero ſcribit, ex amaris dulces reddi, ſi ad radicem truncus perforetur, impacto piceo cuneo pingui: hac enim ratione tranſmutari ſucci malignitatem. Longo tempore cuſtodiuntur, ſi in feruentem aquam intingantur, & protinus erepta, in arena ſicca componantur, aut tritici cumulo in vmbra, dum rugas contraxerint, recondantur, aut paleis tactu inuicem ſeparata. Alij tradunt, ſeruari, vt cotonea, gypſo illita aut creta: Nam loco frigido ſeruantur incorrupta. Malicorium, putamen mali punici dicitur. Florem punici mali ſatiuum Dioſcorides κύλινον appellat, ſylueſtrem verò βαλαύστιον. THR. Audio & peregrinam Citream miris artibus hiſce regionibus coli. MAR. Citrea, quæ & medica, & Perſica, & Aſſyria dicitur, quòd primùm è Perſide, & Medis tranſlata: alij ab Hercule de Lybia in Græciam aduectam, vnde Varro Lybicam citrum vocat. Eius poma

Granatis omnibus idem numerus acinorum.

Seruandi ratio.

Malicorium.

Citrea. Medica. Perſica. Lybica citrus.

Græcis μηδικὰ μῆλα, ἢ κεδρόμηλα,, Medica mala & Cedromela, Italis *Citroni*, Germanis Citronapffel / Pomerantzen/ Gallis *Citrone*. Eius pomum citreum,& Hipericum atque aureum malum,item nuptiale Iouis & Iunonis pomum appellatur. Quæ auri colore relucent, Arangia vulgo vocantur. Quæ è viridi in luteum langueſcunt, citreola, vel citrula. Quæ deniq; ouata ſpecie turbinantur, ſi luteo colore virent, citrangula, priuatim citrea vocantur: Si herbaceo colore virent, Limones, Si prægrãdia, more melonum, orbiculata turgent, ponceria vulgò appellant, quaſi cerea vel citrea poma. Omnia ferè vernacula ſpecierum nomina à citro deflexa reperiuntur, vt notat Ruell. Arbor hæc omnibus horis pomifera, aliis cadentibus, aliis matureſcentibus, aliis ſubnaſcentibus malis, orbem quendam fœcunditatis ſubminiſtrante natura: quales arbores in Alcinoi horto depingit Homerus Odyſ. η. Folio eſt lauri intercurſantibus ſpinis, pomi effigies caperata rugis, aureus color, gratus odor, amara intus pyri grana: Pomum inimicum

Arangia.
Citreola.
Citrula
Citrangula.
Citrea.
Limones.
Ponceria

cum venenis. Seri hanc arborem Palladius tradit quatuor modis, ſemine, talea, ramo, claua. Si granis ſeratur, terram in duos pedes fodies, cinerem miſcebis, breues areas facies, vt vtrinque per canales aqua diſcurrat. In his areis palmarem ſcrobem manibus aperies, & tria grana deorſum verſo cacumine iuncta conſtitues, & obruta quotidie rigabis: Natis ſeminibus ſemper proxima herba runcetur. Citius procedit, ſi beneficio aquæ tepentis vtaris: Alij affirmant, ſemẽ extractum tempore verno in ſulcis diligenter ſubactis rigandum quarto aut quinto die, cumque vegeta fuerit, transferri iterum verno tempore ad molle, vdumque ſolum. Gaudet abundanti humore. Si ramum velis ponere, non amplius ſeſquipede debes immergere, ne putreſcat. Talea, & claua ſeri commodius Palladius exiſtimat, modumque deſcribit. Si quis nutrire velit hanc arborem, loca contra Aquilonem muniat, & Auſtro atque ſoli exponat: hybernis menſibus tegetibus aut ſportulis. Quare quidam huius culturæ mangenio indulgentiores, forni-

Cytreæ mali ſeren dæ ratio.

fornices ad ſolem ſpectantes concameratos diſponunt, atque inibi prope parietem conſerunt, forniceſque æſtate apertos ſole ſinunt illuſtrari, eiuſque tepore foueri: Appetente hyeme, ſtramine tegunt, aut ſtoriis maximè cucurbitarum ſarmentis. Gaudent hæ arbores aſſidua foſſione. Inſeruntur menſe Aprili, calidis locis, frigidis Maio, non ſub cortice ſed fiſſo trunco circa ipſas radices. Inſeruntur & pyro, ac moro: Sed inſiti ſurculi qualo muniendi aut fictili vaſculo. Dulces gigni, ſi ſemina per triduum aqua mulſa macerentur, vel ouillo lacte, quod præſtat. Liganda ſunt, quæ ſeruantur nocte, luna latente, cumque ramis foliatis carpenda. Vbi fructus prægrauat, detrahere poma conuenit, & pauca relinquere, quæ altilia, vegetioraque reddentur. Nunc etiam in Gallia, & Germania alitur, & cadis terra plenis mergitur, apriciſque locis exponitur ſoli, frigoribus ſub tecta refertur. Vidimus in Germania, qui vaporaria huic culturæ adonarant, abiegnis tabulatis ſic conſtructa, quæ hyberno tẽpore hortum cingerent, atque fornaculis

lis calefacientes, æstate tabulatis submotis, solis tepore fouerent. Si prius, quàm augescunt, in vas fictile aut nitrũ imponantur, augescunt ad vasis formam, vt in vuis fieri videmus. Quinetiam figuram hominis & animantium induunt, Africano auctore. Opus est autem vasis respirationem relinquere. Sed ne exoticis te diutius detineam, Vernaculæ potius nobis considerandæ arbores: Inter quas est Morus Latinis dicta arbor, Græcis μορέα, ἡ συκόμορος, fructus συκάμινον, Latinis morum, Italis *Moro*: Arbor fructus more, Germanis Maulber / Gallis *Meure*: sapientissima hæc arbor appellata, quòd in nouissimis germinet, & nisi exacto frigore, ita vt cùm videas morum germinare, iniuriã postea frigoris non metuendam certò constet. Inter primas maturescit, in tantùm germinatione erumpẽs, vt vna nocte cũ strepitu peragat. Tingunt manus succo maturo, eluunt acerbo, vt inquit Plinius. Trini eius colores, candidus primò, mox rubens, maturis niger. Loca amat calida, sabulosa, fossionibus lætatur, & fimo, humoribus non item.

Morus.

Sapientissima arbor

Abla-

Ablaqueanda est circa Octorem, & vini feces circumfundendæ. Seritur & semine, sed plerunq; degenerat, melius taleis & cacuminibus sesquipedalibus, vtraq; parte leuigatis fimoque oblitis. Locum, in quem palum demiseris, cinere terris admisto tegunt, sed non amplius quatuor digitis operiunt. Serendam docet Palladius Martio, plantam transferendam Octobri vel Nouembri. Beritius auctor est, morum autumno seri, ramulis ficulnorum modo in terram deflexis, idq; ipse experientia comperi, maximè si recisa pars contusa sit, quò facilius radices agat, atque sic, vbi palo locum feceris, immittas. Inseri tradunt fago, & populo albæ, vel insitione, vel inoculatione, & candida nasci mora. Inseritur & fico, & vlmo, sed hoc religio fulguris prohibere dicebatur. Amica viti. Æschylus de Hectore loquens, vir, inquit, ille moris erat maturior. Fit è moris nobile medicamentum stomaticum aut arteticum. Mora in vitreo vase diutissimè seruari aiunt. Foliis bombyces aluntur, vnde pluribus vberrimus quęstus, vt propter foliorum magis,

magis, quàm fructuum vſum pleriſque locis in precio habeatur arbor. THRAS. Quænam illa arbor ſanguineo fructu inſtar ceraſi? MAR. Cornus, Græcè κρανία, Itali *Carneolos* vocant, Germanis **Cornelbaum**/ fructus **Welſche Kirſen**/ Gallis *Cornier*, arbor non vltra cubitorum duodecim altitudinem creſcere creditur, caudice non quidem ita craſſo, ſed ſolido, vt cornibus ſpiſſitate non diſſimilis, folio Amygdalæ, ſed pinguiore, flore & fructu oleæ, dulci, pluribus cornis vno pediculo dependentibus, primò candidulis, pòſt rubicundis & eſculentis. Maturis ſuccus eſt cruentus. Montes & valles diligit, tamq; humidis quàm ſiccis delectatur. Auulſione prouenit & ſemine: Ad aluearia ſeri non conuenit: nam flore eius deguſtato, aluo concitæ apes moriuntur. THR. Quænam in propinquo ſita arbor? Zizyphus eſt, Nomenclatura Græcis ζίζυφα, καὶ ζίνζυφα, Galeno σπέρμα, Vulgo in officinis *Iuiubæ*, Italis *Giuggiole*, Gallis *Iuiube*, Germanis **Bruſtberle**. Et ipſa baccis corni ſimilia poma gignit, flore oleæ ſed magis odorato: Columel-

Cornus.

Zizyphus.

la duplex eius arboris genus commemorat, rutila Zizypha, & candida. Zizypha grano seruntur, Locis calidis, Aprili, frigidis verò Maio, vel Iunio panguntur ossibus & stipite, plãnta crescit tardè. Si plantam ponis Martio, in terra molli: Sin ossibus, in scrobe palmari, ita vt terna grana cacuminibus inuersis constituantur. Terram amat non minus lætam, sed proximam tenui, loca calida. Hyeme prodest lapidum cumulum circa codicẽ aggerari, vt Palladius testatur. In proximo pistacea sunt, Græcè πιστάκια, Italicè *Pastinachi*, Germanicè Welsche Pimpernuß/ Gallis *Pistaches*, folio angusto comantur & subruffo, è surculis dependent pistacea, pineæ nucis similitudine. Creditur vtriusque sexus esse hoc genus, atque ob id geminas velut matrimonio coniungi: Et marem, cui sub corio velut osseo, longiores videntur latere testiculi. Inseritur Calendis Aprilibus, & sui generis arboribus, & terebinthi, atque etiam amygdalæ. Seruntur & pistacea autumno, mense Octobri, sobole, & nucibus suis, vt Palladius testatur. Amant locum ca-

Pistacea.

lidum

lidum & humidum, gaudentque rigatione. THRASY. Quia superius memini te dicere, è plantis & arboribus quædam semine, quædam insitione produci: & quoniam insitione iam pleraque seri audiuimus, cuperem de reliquarum arborum colendarum ratione, quę vt plurimù semine proueniunt, tibi differenti auscultare. MAR. Rectè quidem meministi. Etsi enim pleraque insitione proueniant melius, tamen sunt quædam, quæ semine felicius, & frequentius, & vix aliter proueniant. Et licet è supradictis aliqua semine coalescant, vt mespilus, cornus, & aliæ quædam, tamen aliquoties degenerant, aut seriùs proueniunt. Id quod Virgilius monuit:

Semine quædam infeliciter ac tardius proueniunt.

Nam quæ seminibus iactis se sustulit arbos,
Tarda venit, serã factura nepotibus vmbrã,
Pomaq; degenerant succos oblita priores:

Insita autem restituuntur. Nonnulla, quoquo modo serantur, non degenerant, vt Laurus, palmus, cupressus, Persica, Armeniaca, pruna damascena, Pistacea, Palma, Abies, Cerasus. Et quia non omnes eandem curam admittunt,

de præcipuis ſigillatim dicemus. E ſemine enim natura docuit arbores prouenire, vt diximus ſuprà, raptim eo deuorato ab auibus & alui tepore madido, atque in arborum rimas abiecto.

Laurus. Laurus Græcè, δαφνὶς, reliquis pleriſque linguis nomenclaturam retinet Latinam, fructus δαφνίδες, Latinè Lauri baccæ, Italis *Bacche de lauro*, Germanicè Lorbern / arbor gratiſſima dominibus, ianitrix Cæſarum, Pontificumq; quæ ſola & domos exornat, & ante limina excubat. Duo eius genera Cato tradit, Delphicam, & Cypriam. Delphica, æquali colore viridior, maximis baccis, atque è viridi rubentibus: hac victores Delphicos coronari. Cypria, folio breuiori nigro, per margines imbricato, hanc aliqui ſylueſtrem volunt, vt Plinius ſcribit: perpetua frondet coma, fert vuam tam fæcunda quàm ſterilis, latere germinat: quapropter citò ſeneſcit, & cariem ſentit: frigidos tractus, vt quæ calida ſit, aſpernatur, pluribus modis feritur: nam & baccæ, Aquilone ſiccatæ expanſæque, raræ leguntur, ne aceruo coaleſcant: Poſteà vrina made-

facta

factæ in ſulco repaſtinato palmi altitudine, vicinæ ferè aceruatim ponuntur, menſe Martio. Seruntur & auulſione, atque propagine, ſi quis ſublatis ſurculis ſerat. Crebras deponere lauros, non plus nouenis pedibus diſtantes, præcipiunt: ſed facilè degenerant. Sunt, qui putent inſeri poſſe mutuò, itemq; ſorbo, & fraxino. Baccas legendas circa Calendas Decembres: Serendas Idibus Martiis tradunt, Viuiradices transferendas Octobri.

E ſemine ſeruntur maximè nuces, & quæ duro ambitu lignoſum putamen habent: Græcè ἀκρόδρυα vocantur: etſi Caius Iureconſultus ἀκρόδρυα pro omni arborum fructu vſurpari reſpondit. Inter nuces primam dignitatem obtinẽt, quæ Thaſiæ vocantur & amygdalæ, Græcis quoque ἀμύγδαλαι, Italis *Mandorle*, Germanis Mandeln / Gallis *Amandes*. Seruntur Februario. Gaudent puro calidóque ſolo: In pingui & humido ſterileſcunt. Serendas maximè falcatas & è nouellis, volunt. Pangunt̃ur & auulſo ramo, viuiradice, & ſemine. Nuces, quæ ſeri debent, pridie liqui-

Nuces.

ἀκρό-δρυα.

Thaſiæ. Amygdalæ.

do fimo macerentur, alij aqua mulſa madefaciunt, in eaque noctem ſolùm permittũt, ne germen extinguat mellis mordacitas: ſic melioris fieri ſucci, & celerius naſci, tradit Columella. Cacumina & partem acutiorem in terrã verti iubẽt, quia inde radices agit; figunturq; ſic, vt lignoſior pars ſurſum, acies lateris Aquilonem ſpectet. Ternas ſemine ſerendas aiunt, trianguli ratione, inter ſe palmo diſtantes, denis diebus adaquãdas, donec grandeſcant. Seruntur & ſurculo è media arbore deſumto. Inſeritur amygdalus non iuxta ſummitatem ipſius trunci, ſed iuxta medium, ex ramis excurrentibus, autumno finito. Hæc arbor præcoci partu germinat, & prima omnium florem, nempe Ianuario, aut Februario, profert. Virgilius fertilitatis frumenti præſagium eſſe canit,

Cùm ſe nux plurima ſyluis
Induit in florem, & ramos curuabit olentes,
Si ſuperant fœtus, pariter frumẽta ſequentur.

Ex amaris, quæ tamẽ ſalubriores, dulces fient, ſi circũfoſſo ſtipite quatuor digitis à radice, cauernula imprimatur, per

quam

quam noxium desudet humorem, vel si circum radices apertas vrina vel suillum stercus diffundatur: Aut si ad radicem trunci cuneus piceus pinguis immittatur; hac ratione succi amaritudinem dulcescere Basilius tradit, Hexemero. Cæterùm nihil æquè degenerat: Ideoque aut plantam sæpius transferri, aut adultam inseri iubent.

Iuglandes Græcè κάρυα βασιλικὰ, Italis *Nocy*, Gallis *Noix*, Germanice Große nuß: seruntur porrectæ comissuris iacentibus, vt Plinius tradit, Calendis Martiis vel circiter. Existimant quidam, eo modo, quo amygdalæ, & auulsione, & viuiradice prouenire. Citò adolescit: amat loca sicca & frigida potius quàm calida. Nux, quam positurus es, melius adolescet, si vrina pueri impubis quinque diebus macerauerís: Lætius, si sæpius transferatur. Optimè prouenire creditur nux à cornice, vel auibus posita. Si terebra arborem traiicias, & foramini parem vlmeum adigas cuneum, nodosam duritiam exuet nux. Fructum non amittere ferunt, si verbascum, vel coccineum è sterquilinio pan- Iuglandes

num,amuleti vice ſuſpendas. THRAS. Quî fit, vt foras & in ambitu extra pomarium, & non inter alias pomarij arbores collocaueris iuglandes? MAR. Quia & vmbra eius arboris patula, inſalubris, ac ſtillicidio nocens eſt, & pinguedinem ad ſe trahit. Cùm enim craſſæ ſint & amplæ arbores, vt vides, adeò vt binis ternísve vlnis vix complecti queas aliquas, plurimum ſpatij occupant, aliísque arboribus ſuccum detrahunt, quibuſdam etiam pertinax cum ea diſſidium. Ideò ad pomarij latera, veluti columnas, applantauimus, vt reliquas arbores à vento tempeſtuoſo, obiectu ſuo defendant.

Corylus. Nucum generi & corylus annumeratur, è qua auellana, quæ Græcè λεπτοκάρυον & κάρυον põticum dicitur, Italicè *Nocinole & Nocelle*, Germanis Haſelnuß, Gallis *Noyſette*. quo amygdalus modo, & tẽpore, deponitur. Gaudet argilloſis & vliginoſis locis ac mõtibus, hyemis patiens. Has in Aſiam, Græciamq; perhibent à Ponto veniſſe: vnde Ponticæ, & Heracleoticæ, ac Leptocarya dicuntur à Græcis, noſtris Prænestinæ.

In

In nucũ genere Caſtanea quoq; refer- Caſtanea.
tur, etſi glandium generi accommoda-
tior, vnde Iouis glans, & nux voeatur,
Græcis κάϛανα, παρδιάναι βάλανοι, διὸς βά-
λανοι, ἢ λόπιμα, Italis *Caſtagne*, Germanis
Keſten / Gallis *Caſtagnes*. Montium &
frigoris amica, aquas odit, puram & re-
ſolutam terram deſiderat : ſabulonem
humidum non reſpuit: opaco & Septẽ-
trionali cliuo lætatur, ſpiſſum & rubri-
coſum ſolum odit. Seritur & ſemine, &
viuiradice. Syluæ melius nucibus, quàm
viuiradicibus inſtituuntur : Alioqui po-
ſterior modus tutior, quòd bima fru-
ctum reddat. Pangitur ab æquinoctio
non ſolùm ſtolone & ſurculis, ſed auul-
ſione etiam ac viuiradice, ſicut olea. Ca-
ſtaneæ, quæ ſulcis deſtinantur, eligen-
dæ grandes & maturæ : quæ, ſi recentes
ſint, ſatæ melius reſpondent. Seruntur,
non vt amygdalæ & nuces, ſed acumi-
nata parte ſurſum ſpectante, interuallo
pedali: Seminatur ſulco dodrantali. Nu-
cibus, vt dictum, potius quàm radici-
bus plantaria cædua complentur, cædi-
turque in pedamenta intra ſeptен-
nium. Columella ſcribit, Caſtaneam

ſtabiliendis vineis habilem, in repaſtinato poſitam celeriter emicare, & poſt quinquennium cæſam more ſalicti recreari, atque in palum formatam, in alteram cæſionem perennare, vt infrà de ſyluis dicetur. Infigi quoque caſtaneam iuglandi, fago & robori volunt. Felicius creſcere binas quaſi coniugatas compertum.

Pinus. Pinus, πίτυς, Italis *Pino*, Germanis Hartzbaum / Gallis *Pin*: Eius plantatio

Strobylus. non diſſimilis amygdali: Nam & ſtrobyli, id eſt, pineæ nuces, ſicut amygdalæ plantantur. Leguntur autem Iunio, antè quàm Eteſiæ ſpirent, & grana excidant calyce, ſiue tegmine rupto. Tempus ſationis, Octobrem & Nouembrem Palladius tradit. Hæc arbor prodeſſe creditur omnibus, quæ ſub ea ſeruntur.

Picea. Quæ autem picea Latinè, ea Græcis πεύκη, Italicè *Pezzo*, Germanicè Rotdãnenbaum / Gallicè *Vn arbre du genre du Pin.*

Cerasus. Ad Ceraſos venio. Ceraſus, Græcè κέρασος, fructus κεράσια Ceraſa & ceraſia, Italis arbor *Ceraſo*, fructus *ceraſe & ciregie*, Germanis Kirſchbaum / Kirſchen / Gallis

Gallis *Ceriſier* & fructus *Ceriſe*. Facilis plantatio, ſi ſpargantur poma, quæ ſumma fertilitate naſcentur: ſic explorata creſcendi petulantia, vt virgulta è ceraſo pro vitium adminiculis poſita, in arborem facilè proſiliant. Inſeruntur in pruno, in ſeipſa, in platano & rubo, optimè in ſylueſtri ceraſo: inſitione enim lætatur, & meliorem fructum fert. Si viti inſeras, aiunt vere vuas producere. In ceraſis tamen, ſicut omnibus gemmiferis, inſitionis tempus eſt, quando in iis vel non adeſt, vel gummi deſinit defluere. Plantam ſylueſtrem transferunt Octobri vel Nouembri, vt primo Ianuario vel Februario, cum comprehendit, inſeratur. Martialis trunco inſeri ſuadet: ſed inter corticem & lignũ felicius coaleſcit. Amat ſcrobes altas, ſpatia largiora, aſſiduas foſſiones. Putari in ea ramos marceſcentes deſiderat. Gaudet locis frigidis: fimum adeò odit & horret, vt admoto eo degeneret. Seritur etiam auulſione. Sine oſſibus naſci tradunt, ſi ſurculum inſerendum inuertas. Alij iubent, teneram arborem ad binos pedes reſciſſam vſque ad radi-

Vt ſine oſſibus ceraſa.

cem findi, abraſaq; ferro vtriuſque partis medulla, ſtatim partes ſeiunctas vinculo aſtringere, & ſummam partem ac diuiſuras laterum fimo oblinire: Sed poſt annum ducta cicatrice, diuortia coaleſcere, deinde ſurculis, qui fructũ adhuc non tulerunt, ſi inſeras, ſine oſſibus ceraſa naſci, Martiale auctore. Ceraſorum varia genera etiam à Plinio enumerata, veluti Aproniana, quæ maximè rubent, Actia nigerrima, quæ Germania etiamnum appellat Actiſche Kirſen/ Cæciliana rotunda. Plinius genera commemorans Ceraſorum, Principatus, inquit, duracinis, quæ Cãpania Pliniana vocat. Et mox: In ripis etiam Rheni, Kerſis, iis color è nigro ac rubenti viridique, ſimilis matureſcentibus, iuniperinis, ſcilicet baccis. Quo loco corruptè vulgata exemplaria legunt *Tertius* pro *Kerſis* Germanico vocabulo, quo ceraſa ſignificantur, Latina lingua peruerſa. Plinius autem cum aliis pluribus locis Germanicas vſurpet voces, tum libro 9.10.17.18. quæ à Latinis non intellecta, corruptè poſteritati ſunt tradita. Sunt & laurea, lauro inſita primum,

Ceraſorũ genera.

Actia ceraſa.

Plinij locus. lib. 15. cap. 25.

mum, non ingratæ amaritudinis. Iam chamæcerasi in maximo precio, arbore pumila, & pediculo breui, pomo rotundo, rubente, carne multa, molli, succosa. Aiũt præcoces fieri, si calx admoueatur. Proditum est, poma interuelli melius, vt, quæ relicta, grandescant. De cerasis seminandis licebit in Constantini collectaneis videre plura. Reperiuntur cerasi quoque arbores sponte in syluis & dumetis nascentes, baccis paruis, partim sanguineis, partim in totum nigricantibus. Eius generis passim in rusticis prædiis conseruntur pascendis porcis.

Prunus κοκκύμηλος, fructus κοκκυμηλα, Latinè pruna, Italis *Prune* & *succine*, Germanis Pflaumen/Gallis *Prune*: Seritur post mediam hyemem, vsq; in Idus Februarias: Si tamen ossibus seratur autumno, mense Nouembri, solo putri & subacto, duobus palmis obruuntur ossa. Eadem ponuntur mense Februario, sed tunc lixiuio maceranda per triduum, vt citius germinent. Ponitur & plantis, quas è caudice sumemus, siue mense Ianuario, seu initio Februarij, radicibus Prunus.

fimo oblitis. Gaudent ſolo lęto & humido, cœlo frigido melius adoleſcũt, frigidũ tamẽ poſſunt ſuſtinere. Inſeritur mẽſe Martio extremo melius trunco fiſſo, quàm cortice, vel menſe Ianuario, antequam incipiat gummi collachrymare. Inſeritur in ſe, & in perſicum, & amygdalum. Sunt varia genera, Damaſcena, quibus inter pruna prima laus: ſicca tertа & cœlo calido gaudent. Inſeruntur ſicut & aliæ pruni. Sunt & verſicoloria, nigra, candidula, hordearia, aſinina, purpurea, onychina, malina, malis inſita, Cereola à ceræ colore, è candido in luteum vergente, Purpurea maiuſcula, quibus ſues ſaginantur. Commendantur maximè pruni dactyla, à longitudine digiti, qualia è Bohemia & Pannonia afferuntur, & Iuliana vel Noberdiana, cærulei coloris, ſeriora. Damaſcena ſiccantur ſole, per crates loco ſicciore diſpoſita, aut etiam furno tepido. Nonnulli antè aqua marina vel muria demergunt, atque inde ſiccant.

Damaſcena.

Prunorũ genera.

Myxa. Prunis vicina Myxa, & myxaria, μύξα καὶ μυξάρια, vulgo Sebeſten vocantur.

Sebeſten.

Perſica περσικὰ μῆλα, arbor πέρσεα, Italis

Perſica.

Italis *Pſeo* Græcæ vocis æmulatione, ex Perſide aduecta nomen indicat. Vocãtur & Rhodocina, ac Doracina, vel Duracina. Quatuor genera traduntur: Duracinis palma tribuitur, & Armeniacis, ac præcoquis. Nouembri menſe calidis locis, cæteris Ianuario, Perſici oſſa in paſtinatis areis ſunt ponenda, binis à ſe pedibus ſeparata, vt cum inibi plantæ excreuerint, transferantur: Sed oſſa obruantur cacumine deorſum verſo, vt non altius duobus tribúſue digitis humentur. Qualibuſcunq; proueniunt locis, attamen aquoſis gaudet magis, aut ſi talem non ſortiatur, inebriatur aſſiduo potu: Sic plura poma creabit. Sũt, qui velint cœlum calidum poſtulare, ac ſolo arenoſo gaudere, atque ſic poma durabiliora gignere. Habiliores fieri plantas, ſi ſimul, vt ederimus, oſſa ſeramus, parte aliqua carnis circa oſſa relicta. Inſeritur in ſe, vel in amygdalo, vel pruno. Armeniaca, vel præcoqua & bericoca, πραικόκια ἢ δοράκια Ϲ ἀρμένια ab Aegineta vocantur, qui eadem perſicis præſtantiora eſſe affirmat: precium his magnũ, magnatibus in deliciis habentur,

Rhodocina.
Doracina.

Armenica.
Præcoqua.
Bericoca.

bentur, expetunturque ab ægrotis. Poma innocua prunis rectè inseruntur, duracina amygdalis melius adhærescunt. Inserantur surculis plenioribus prope arborem natis. Ianuario, vel Februario, frigidis, Nouẽbri, calidis: aliâs cacumina vel non tenebunt, vel non durabunt. Inoculatur mense Maio vel Aprili, præciso superius trunco, ex emplastratis plurimis gemmis. Non longè à se statuendæ, vt inuicem se à calore solis excusent. Galli, & nostrates hortulani Italico more inserunt armenica, ac præcocia, surculo nondum digitali, vel oculo largius erumpente vna cum cortice exciso, & facta crucis in modum fissura in recenti arbore pruno, circumligataque cannabea stuppa, idque ad finem mensis Iunij, aut Iulio etiam atque Augusto. Persica tradunt rubra nasci, si vel platano inserantur, vel rosis sub arbore consitis: Inscripta reddi, si ossa vel nucleos obruas, & post dies septẽ, vbi patefieri cœperint, apertis his nucleum tollas, cinabari aut qua libuerit effigie descriptis, moxque cum suis ossibus luto vel sullo stercore inuolutis,

tis, humo reddas. Sine ossibus prouenire proditum, si in perforatum truncum extusa medulla salicis, vel corni palum adegeris.

Ablaqueandæ arbores autumno, & suis stercorandæ foliis. Collucandæ quoque per idem tempus, vt arida tantum & putria tollantur. Arbori laboranti veteris vini feces aqua mistæ suffundantur. Si ardore solis siccata, frequenti aggestione cumuletur, vespertino iuuetur humore, & obiectis defendatur vmbraculis. Contra pruinas stercus ingeratur, vel vini feces cum aqua permistæ, vel aqua, in qua faba cocta: Si vermes infestent, bouis vrina cum aceto tertia parte confusa.

Arborum cura.

Palma à Græcis Phænix, φοίνιξ, Germanis **Dactelbaum** / Italis *Palma*, Gallis *arbre de Dattes:* fructus δάκτυλοι καὶ φοίνικες, Latinis palmulæ & dactyli, Italis *Dattoli*, Gallis *Dattes*, Germanis **Dactelu:** prouenit leni sabulosoq; solo, gaudet aquosis: & cùm toto anno bibere amet, tamen sitiente anno lætior. Quapropter & à fimo lædi putant. Ad Nilum & in orientalibus regionibus frequens,

Palma. Vide Homer. Cicer de LL.

vbi

vbi etiam vina & panes ex ea conficiunt: In Europa ferè ſterilis eſt, etſi ſeratur à quibuſdam nouitatis cauſa. Seruntur oſſa ſeu nuclei palmarũ, factis ſcrobibus binûm cubitorũ, ac totidem latitudine, & aggere fimo quolibet, præter caprinum, ſaginato. Deinde in aggere medio nulei palmarum plantentur, ita vt acies ſurſum ſpectet: alij orientem ſpectare volunt, ac deinde terra ſtercore ſatiata poſt aſperſum ſalem obruunt. Quotidie dum germinant, imbre rigentur. Sunt, qui plantam rransferant anniculam, alij inoleſcere ſinunt. Ceterum cùm ſalſa humo gaudeant, quotannis ablaqueare conuenit, & ſalem inijcere, ſic celeriter in proceritatem magnam exibunt. Semina non ſtatim terræ mandanda, ſed fictilium fundo committenda, & vbi comprehenderint, transferenda. Palmæ ſe vehementi proſequuntur amore, & altera alterã ſic deperit, vt prona altera ad alterius inclinet complexum: & quaſi viduam ſterileſcere dicant. Seruntur autem Plinio teſte, palmæ, trunco duorum cubitorum longitudine à cerebro ipſo arboris viridi

Sympathiæ arborum.

fiſſuris

fissuris diuiso atque defosso, ab radice auulsæ vitalis est satus & ramorum tenerrimis: Quin & folia apud Babylonios seri tradit idem Plinius. THRAS. Et stolonibus quædam plantari, aliquoties dicere te memini. MAR. Superius dixi, ex iis, quæ commemorauimus, nõ pauca esse, quæ stolonibus siue auulsionibus plantentur cum perspicua radicis parte: Sic quoque cerasum plantari, nucem paruam, chamædaphnen, myrtũ, mespilum. Item ramis lætioribus auulsis, vel abscissa parte paululum contusa, & in terram missa, plerunque in arborẽ excrescere ipse comperi in moro, pyro, & malo. Vnum adiiciam. Vt in animantibus ante iustam ætatem fœtis debiliores partes eduntur, ita & plantæ præpropere fructificantes, aut ad iustam magnitudinem non perueniunt, aut fructum non diu durabilem ferunt. Vnde, arbitror, lex illa Mosaica, vt arbores fructiferæ tribus annis pro incircuncisis haberentur, & præputia earum vnà cũ fructu circumciderentur, hoc est, turgidæ gemmæ aut flores decerperentur, ne vel fructum ante tempus ferant, vel

Aulsione & stolonibus quæ plantentur.

Arbores prępropetæ ferre non putãtur fructum durabilem.

eundem præmaturum abiiciant. Sed diutius te remoror commemoratione culturæ pomarij. THRASYB. Nequaquam. Quin auſcultando videor me quaſi inambulare, ac ſingulis vacare arborum plantationibus, fructuſque ipſos contemplari: Supereſt, vt coronidem adiicias recitationi, nempe generales illas arborum conſeruandarum cautiones: Maximè autem, ne remedia intempeſtiua, præpoſtera nimiaque cura adhibita, vitia fiant, & lædant magis quàm ſeruent. MAR. Rectè mones. Primùm quidem ac generatim, ſtercoratio arboribus fructiferis conducit, & rigatio, exceptis admodum paucis. Ac cauendum, ne id in feruore ſolis fiat, nec immaturius ac validius, quàm opus ſit, & non ad ipſum truncum, ſed paulò longius à trunco, vt à radicibus imbibatur pingue ſtercoris. Columbino ac ſuillo, plagis etiam arborum medemur. Aqua, qua rigamus, non putealis, ſi alia haberi poſſit, ſed è lacunis & turbidis hauriatur. Deinde obſeruandum, quod initio quoque admonuimus, vbi de pomario conſerendo dicere cœpimus, vt ar-

Generales circa arbores obſeruationes.

Stercoratio.

Interualla arborum.

vt arbores ſuis interuallis plantentur, vt dum creuerint, ſpacium habeant, quo ramos extendant, néue imbecillæ à valentioribus opprimantur, aut luminibus, ac ſtillicidio, atque vmbra officiãt. Quidã punicas, myrtos, & lauros denſiores ſeri iuſſerunt, in pedib⁹ tantũ nouenis: ad eundẽ ferè modũ ceraſos, prunos, cotoneos, malos, pyros, amplius tricenis pedibus. Quodque genus ſuo ordini relinquendũ eſt, ne infirmę à maioribus, vt dixi, opprimãtur: Plurimũq; refert terræ natura, in quãtũ arbores quaſq; alat: Nã per ſe colles minora quærunt interualla: ventoſis locis crebriores ſeri conducit. Oleam vt minimum viginti quinque pedes requirere, Catonis eſt ſententia. Plantas radicatas ſic ſtatues, ne cacumina lædantur, aut eroſa non creſcant. Corticem quoque deglubere non patieris: ſiquidem omnibus arboribus mors eſt cortex in orbem detractus. Eſt & vmbrarum ratio non aſpernanda: quando quibuſque ſatis vmbra aut nutrix eſt, aut nouerca. Iuglandium quidem, pinorum, picearum, abietis, quæcunque attingit, vmbra, venenum

Vmbræ. Stillicidia.

Vmbrarũ ratio.

eſt. Iuglandium enim grauis, & quercus officit: iuglandis noxia etiam humano capiti, omnibuſque iuxta ſatis. Necat germina & pinus, ſed vtraque ventis reſiſtit: quoniam & protecta vinearum ratione egẽt. Cupreſſi vmbra, minima, & in ſe conuoluta, ficorum, leuis, quamuis ſparſa: ideoque inter vineas ſeri non vetatur: Vlmorum, leuis etiam, nutriẽs quæcunque opacat: Iucunda Platani, quanquam craſſa: Populi nulla, ludentibus foliis, pinguis alno, ſed paſcens ſata. Vitis ſibi ſufficit, mobili folio iactatuque crebro ſolem vmbra temperans, eodem graui protegens in imbre. Omnium ferè leuis vmbra, quorum pedicuIi longi. Stillicidia plurimum lædunt, maximè omnium, quæ proiectu frondis ita diffunduntur, vt per ipſas non defluant imbres: nam pini, quercus, ilicis, ponderoſiſſima, adde quoque iuglandis: Cupreſſi, nullũ, vt Plinius tradit. Adhæc interlucatio arboribus prodeſt, nempe vt arida virgulta & putrida tollantur, rami & germina, inutiliter pullulantia, cum interuallo reſecentur: ſed omnium annorum trucidatio inutiliſſima.

Stillicidiorum noxa.

Interlucatio.

tilissima. Etsi vitis tonsuram annuam postulat, & alternam myrtus, punicæ, oleæ, quia celeriter fruticescunt: cæteræ rarius tondentur, nullæ autumno, ac ne raduntur quidem, nisi vere putatione. Purganda arbores autumno, post Pleiadum occasum, & prius stercorandæ, aduersus nocumenta ex plagis percepta. Depurgandæ arida, quæ sunt in medio, & rami sibi inuicem incumbentes, recidendíque surculi inutiles: plurima amputari volunt, velut onerosa & superuacua, sicut nos vngues & pilos. Reciduntur veteres totæ, ac rursus à stolone aliquo resurgunt. Scarificatio vtilis, cùm macie corticis ex ægritudine astringente, & iusto plus vitalia arborum comprimente, exactam falcis acié vtraq; manu comprimente, perpetuis incisuris diducunt, ac veluti cutem laxant: Salutare id esse, argumento sunt dilatatæ cicatrices, & internato corpore expletæ. Ablaqueandæ etiam arbores, nempe terra circum radices aperienda, vt solis teporibus & imbribus prouocentur, radicibus superioribus recisis. In Nouembri, & mense Februa-

Purgandæ arbores quando.

Scarificatio.

Ablaqueatio.

rio luna crescente, ab octaua luna arbo
Transplãtandi ratio. res transferuntur vel transplantantur,
Arbores notandæ in cortice. Arbores cùm transferuntur, notandæ, quibus ventis & qua regione steterint. Sic enim docuit Virgilius:

Quin etiam cæli regionem in cortice signant,
Vt quo quæq; modo steterit, qua parte calores
Austrinos tulerit, quæ terra obuerterit axi etc.

Considerandæ etiam notandáque soli natura, vt de sicco in humidum transferas, & de cliuo sicco & exili in humidum, planum, & pinguem potiùs, quàm contrà. Transpositæ nouellæ arPutandarum nouellarum ratio. bores, secundo anno aut tertio putentur luna octaua, relictis tamen tribus aut circiter ramorum cornibus, & feliciùs crescent, idq; semel atque iterum alternis annis, veluti coronis factis. Maioris ætatis arbores transferimus, truncatis ramis, illæsis radicibus: & sunt multo stercore ac rigationibus hæ adiuuandæ. Pomiferis, quæ germinant, nec feInfrugiferis, & caduca ferẽtibus quo facto consulatur arboribus. runt fructum, aut si caduca ferant, fissa radice inditur lapis, aut cuneus infigitur, & veluti initæ fœcundantur. Vrina quoque hominis veteri rigandas radices, id fœcunditatem & gratiam addere

fructi-

fructibus, proditum. Si arbor solis ardore siccata contabescit, frequenti aggestione cumuletur, vespertinoque iuuetur humore, atque obiectis defendatur vmbraculis. Vt fructus arborum citiùs maturent, sunt, qui prius inarescentem præcisarum ad radices plagam, fibrasq; aceto & vrina veteri madefacere, atque ea luto obruere, sæpeque fodere præcipiunt: ea enim fœcunditatem & gratiã fructibus addere, vt suprà etiam admonui. Vrina hominis aliquot mensibus veterata, surculis vtilis est, quam si vitibus aut pomorum arboribus adhibeas, nullo alio magis fructus exuberat, nec solùm facit maiorem prouentum, verùm etiam saporem & odorem vini pomoruméque reddit meliorem. Poteris & amurca, quæ salem non habet, frugiferas arbores rigare. Vsus vtriusque maximè per hyemem. THRASYB. Pruinas & nebulas videmus sæpe lædere arbores: Ecquid remedij? MAR. Aduersus pruinas & nebulas conuenit habere dispositos per pomarium sarmentorum purgamentorumque aut stipularum acernos, qui, cùm pruinæ aut nebulæ orian-

Vt fructus citius maturentur.

Vrinæ vsus.

Aduersus nebulas.

tur, incendi possint: Nam fumo discutitur noxa. Stercora etiam arida per vineas, quas, vbi pruinam videris, succendere liceat; eo fumo excitato dispergitur pruina. THRAS. Quid si ęgrotent arbores? MAR. Aegris arboribus fecem vini aqua mistam affundere, & lupinum circa radices earum serere, consueuere: Aquam etiam lupini decocti circumfusam pomis prodesse, Plinius tradit. THRA. Et vermes sæpe arbores lædunt. MAR. Vermibus si infestentur arbores, varia produntur remedia: Nam erucis absynthij succus aduersatur: Item semina sedi vel aizoi succo macerata, tuta præstant: & si rore aquæ perfuderis, in quo vitigineus succus: Item cinis amurcæ mistus, vel bouis vrina cum tertia parte aceti confusa. Aiunt sulfure viuo aut bitumine suffumigatas arbores aut olera, conseruari à noxiis bestiolis: Galbano quoque accenso fugari. Item alij lignis, exemptis capitibus, suffitis, vt vapor per hortum aut pomarium dispergatur, erucas necari proditum. Seminibus tradunt fuliginem miscendam & aqua conspergendam. Democrito

Aegrotarum arborum remedia.

Aduersus vermes.

auctore

auctore traditum, Si mulier, quæ in mẽstruis est, nusquam cincta, solutis crinibus & nudo pede aream circumeat, decidere erucas. Sed molestior tibi fortè videbor, stirpium, plantarúmque ac pomariorum disciplina prolixiore commemorata: licet plura sint addenda, ne tamen molesta sit prolixitas, finem faciam. THRAS. Imò gratissima mihi fuit commemoratio, qua mihi videris hortorum, vinearum, ac pomariorum, cultus, qui ab aliis diffusè neque ita certò traduntur, compendio complexus esse, nostrisque vsibus accommodasse.

At, quia de vrbanis, mansuetísque arboribus copiosè disseruisti, vna restare videtur syluarum disciplina. Heri nemus transij, & glandiferis & cæduis arboribus scitè consitum, mox salicetum ad fluuij ripam amplissimum, & eleganter plantatum, postremò agros vlmis vndique eleganter cinctos: quæ omnia sanè villam hanc non mediocriter ornant, & vectigal nõ aspernandum haud dubiè reddunt: proinde huius quoque partis rusticæ disciplinæ rationem cognoscere gestio.

MAR. Hæc etsi extra obligationẽ, & quasi plus petere videaris, tamen quando sic vrges, non grauabor & hanc partem corolarij loco absoluere, ne quà vsquam tibi defuisse videar. Quod ad Syluas attinet, eas Ancus Martius primus apud Romanos publicauit, vt Petrus Crinitus tradit: Et magna semper syluarum veteribus cura, vnde Poëta:

Si canimus syluas, syluæ sunt Consule dignæ.

Syluarum cura. Cautum fuit apud Romanos, vt Cõsules curam collium & syluarum haberent, vt hac ratione non deesset materia, qua & ædificia & nauigia, & reliqua lignea opera, tam publica quàm priuata, confici possent. In Republica Venetorum etiamnum accuratè obseruatur, vt syluarum cura peculiari Magistratui demandetur, & quotannis supplantẽtur publico decreto, ne desit materia copiosa in vsus ædificiorũ, nauigiorumq;. Porrò cum syluę, quam trãsiisti, & glandiferis & cęduis, atq; ad materiam aboribus cõsitæ, culturam tibi explicari desideres: de hac primùm, inde vlmarij ac salicti disciplinam commonstrabimus.

Quæ-

Quædã ſylueſtres ac feræ arbores nulla diſciplina egent, ſed ſua cuiuſque ingenij ſemina ferunt. Peiora verò ſylueſtria ſatiuis eſſe euidentius, quàm vt demonſtratione ſit opus, cùm eorum permulta, domita cultu, depoſita feritate manſueſcant in hortis: in permultis & ſylueſtre, & ſatiuum genus inuenitur. Inculta ſylueſtribus horrent: ſata ſibi manſuetos ſitus vſurpent. Nemora & ſyluæ veſtiuntur ferè quercu, fago, abiete, betula, pinu, picea, ilice, ſubere, cerro, oleaſtro, meſpilo, pomiferis ſylueſtribus, vt ſunt Græcæ ſiliquæ, lotus, iuniperus, cornus, achrades pyri. Aliæ ſyluæ aliis arboribus pro locorũ natura abundant. Hercinia, quia latius per diuerſas regiones diffunditur, alibi ſolam quercum, alibi fagum, alibi abietem; Arduenna plurimam quercum fert. Apẽninus larice, abiete, corno, tamarice: Alpes Lepontiæ caſtanea abundant. Sylueſtres etſi ſponte proueniunt, interim tamen omnes ſemine procreari poterunt, ſi locum cultumq; idoneum nactæ fuerint. Aliæ alio ſitu gaudent, vt primùm Theophraſtus, & poſt eum Plinius

Syluæ aliæ aliis arboribus gaudent.

Arborum natura per ſitum.

nius prodidit. Montes amant abies, cedrus, larix, picea, & quibus resina gignitur, item aquifolia, terebinthus, castanea, ilex, quercus, fagus, iuniperus, cornus, carpinus: Etsi pleræq; ex his etiam in plana descendunt. Montes simul & valles tolerat abies, robur, castanea, tilia, ilex, cornus. Plana petunt tamarix, vlmus, populus, salix, corylus, iuglans, ornus, acer, fraxinus, fagus. Non temerè in montibus visuntur, prunus, malus, oleaster, iuglans. Omnia, quæ montibus planisque communia habentur, ampliora visuque pulchriora in planis proueniunt, sed vsu meliora in montibus, materia & fructibus, piris malisq; exceptis, Theophrasto autore. Montibus enim nodosæ spinosæq; assurgunt. Aquosis delectantur, salix, alnus, populus, siler, ligustra. Oderunt aquas, iuglans, cupressus, Iouis barba. Et quanquam pleræq; syluæ natura & sponte proueniunt: tamen cultura & artis diligentia redduntur nitidiores fructuosioréque. Nam vti superiori commemoratione traditum, hortenses arbores & frugiferas seminariis coli: ita & syluestres

Seminaria syluestriū arborum.

ſtres atque infrugiferæ ad materiam, & ignibus fouendis aliiſque vſibus conſeruntur. Qui ſyluam inſtituere vult, is pro loci ratione plantas deligat, & ſi ſponte prouenientibus deſtituatur, ſeminario ſarciat, locúmque ſic vel aggere, vel foſſis, vel denique ſepimẽtis muniat, ne qua ouinæ caprinæúe aut aliæ pecudes irrumpere poſſint, quæ ſtirpes arrodant: Nam quidquid ſemel arroſerint, quaſi veneno infectum lethali perditur: Proinde qui velit ſyluam conſitam vel ad cędendum, vel ad materiam, ac glandiferam conſeruare, hunc neceſſe eſt hos arcere hoſtes. Leges Colonicæ videntur ob id cauiſſe, ne in agro ſurculario capræ paſcantur.

LL. Coloniceæ de ſyluis.

Porò inter glandiferas & ad materiam vtiles, primum ſibi locum vendicat Quercus, Græcè δρῦς, etſi δρυός nomine Dioſcorides videtur omnes glandiferas complecti, Italis *Quercia*, Gallis *Cheſne*, Germanis Eichbaum. Querce tum igitur plantare volens, glandes maturas & inſolatas, nullóque vitio obnoxias, in terra ſeminarij benè paſtinata cultáque diſponat, ea diligentia, qua & horten-

Glandiferæ Syluæ.

Quercus. δρῦς Græcis quid.

Querceti plantatio.

hortenſes, cingátque ſepimento, ne à pecore abrodantur: Quæ vbi adoleuerint, transferuntur in ſyluam circa Februarium. Putatæ exiſtimantur felicius augeſcere, præſertim ſi ad glandem ferendam inſtituantur: Sin ad materiam, præſtat cacumina relinquere, quo in ſubrectum ædificiis apta materia adoleſcat. In transferendo, factis ſcrobibus ſeſquipedalibus aut circiter, & terra aggerata, radices operiantur: curandum, ne radices aut ſurculi lædantur, quos præſtat præcidere. Terra quercubus conuenit ferè quælibet: paludinoſa tamen & vliginoſa magis lætantur querceta: tametſi in omni propè ſolo adoleſcant, etiam ſabuloſo, niſi prorſus ſicco, rarius prępingui, montoſum etiam non reſpuunt. Noſtra ætate in Vueſtphalia non procul ab arce Altenana, quercus extat 130. pedum caudice vſq; ad priores ramos, craſſitudine trium vlnarum: Alia alio loco, quæ 100 vehes aut plauſtra impleuit diſſecta: Non procul ab hac alia 10 vlnarum craſſitudine, at non ita procera. Germaniæ prædones arboribus cauatis nauigaſſe, quarum quædam

Quercus miræ magnitudinis.

dam triginta homines ferrent, Plinius autor est.

Inter glandiferas secundus locus tribuitur fago : φηγός Græcè dicitur. Italicè *Faggio*, Gallicè *Faus*, Germanicè Buchen / eiusdem ferè culturæ cum quercu. Æsculus Græcis πλατύφιλλος. In quacunque terra Æsculetum facere licet, teste Plinio : nascitur è balano, sed non nisi æsculi scrobe dodrantali duorum pedum interuallo. Ilex Græcè πρίνος, Italis notior *Elice* vocatur, Gallis *Houssen*, in altum prosilit, si solum nanciscitur idoneum : in montibus locatur, in planis nasci recusat, glãdes fert quernis minores, folio laurino ac perpetuò virente. Quemadmodum & suber, φέλλος Græcè, Gallis *Liege*, inter glandiferas numeratur : eius cortice vtimur, piscantium tragulis, & calceatu hyberno, aduersus frigoris iniuriam. Arbores omnes detracto cortice intermori, præter suberem, constat. Est & Robur glandifera, δρῦς ἄγρια Græcis dicta, quasi syluestris quercus, Gallis *Chesne*, Italis *Rouore*, Huius speciem existimant quidam esse Cerrum : αἰγίλωψ Græcè : in-

Fagineum.

Æsculetũ.

Ilicetum.

Suberetum.

Roboretum.

Cerretum

incultis

cultis locis gaudet: sola è glandiferis panos fert arentes, muscoso villo: Galli *du Hestre* vocant, quasi Herrum, c in h mutata. Has arbores Plinius glandiferas vocat, negans vna voce Latinè complecti nos posse, quæ Græco nomine δρῦς appellantur. Non desunt, qui Castaneam inter glandes referant quoque: Sed de hac superius dictum. Glandes optimæ quernæ, proximæ faginæ, & castaneæ, inde esculo, robori paruæ, cerro tristes, horridæ echinato calyce, ceu castaneæ, & faginæ, omnes saginandis pecudibus, inprimis porcis, idoneæ. Querna glans spissas succidias, solidamque carnem & æuo durabilem facit, si ritè salsatura & fumo curetur: contrà, faginæ & castaneæ, quoniã dulces sunt, hilarem faciunt, & vtilem stomacho carnem, at non ita duram gignunt, & diuturnitati idoneam. Proxima cerrea, nec alia solidiorẽ carnem gignere creditur: Iligna, suem augustam, nitidam, ponderosam: Æsculi, fungosam carnẽ creat. Plinius tradit legibus XII. Tabularum esse cautum, vt glandem ex arbore tua in alienum fundum procidentem

δρῦς Græcis quid.

Glãdium discrimina.

Plin. lib. 16. cap. 5.

tem legere liceat: quod Prætorium edictum ſic interpretãtur, vt id tertio quoquo die poſſis, modò exponas cautionem damni infecti, quòd legendo glandem, nullum damnum ſis vicino allaturus, vt Vlpianus teſtatur. Glandis appellatione omnes arboris fructus intelligi, Caius reſpondit, ſicut & ἀκρόδρυα omnes arborum fructus Græcis ſignificant: tametſi propriè ἀκρόδρυα vocentur, quæ in ambitu lignoſum putamen habent, quemadmodum nuces Latinè.

Glandis appellatio.

Acrodrya.

Nuces.

Adnaſcitur & glandiferis Galla, κηκίς Græcè dicta, Gallis *Noix de Galle*, Italis & Germanis nomen retinet, pilula inæquali ſuperficie, ſalebroſa, eſtque alia ſolida, alia perforata, hæc nigra, illa candida, alia maior, alia minor. Naſcitur, vt Plinius ſcribit, ſole de Geminis exoriente, erumpens noctu ſemper vniuerſa, creſcit vno die candidior, quæ ſi æſtu feruentiore excipiatur, areſcit. Nigra diutius viret, creſcítque interdum ad mali magnitũdinem. Hæc coriis tingẽdis vtilior, illa perficiendis aptiſſima, deterrima ex robore. Atq; hæc de glan-

Galla.

Sylua aliarum arborum.

diferis. Aliarum quoque arborum quarundam veluti præcipuarum ac magis neceſſariarum diſciplinam attexemus, inter quas vlmus & ſalix.

Vlmaria.

Vlmus Græcè πτέλεα, Italis *Olmo*, Gallis *Orme ou Oulme*, Germanis Vlmbaum, Ruſtbaum / & Yffenholtz: eius quia plurimus eſt vſus, & faciliter prouenit, nequaquam cultura nobis negligenda. Primùm vitem commodiſſimè patitur, iucundumq; fert pecoribus pabulum: Deinde cùm tota cor ſit, materiem præbet robuſtam. Theophraſtus & Plinius vlmo ſterilitatem tribuunt: fortè quòd

Samara.

ſemen (Samaram vocant) inter frondem, quam prima germinatione edit, latere videatur, atque ita non è ſemine ſed è fronde ſeri putetur, vt Columella tradit. Vlmaria autem qui conſerere velit, Samaram, hoc eſt ſemen, circa Calendas Martias colligat, cùm flaueſcere incipit, deinde biduo in vmbra ſiccata, ſerenda denſa in refracto, terra ſupra minutatim cribrata, & pluuiæ ſi non adiuuent, riganda. Poſt annum transferendæ in vlmaria, inueruallo pedali in vnamquámque partem, ac ne radices

altius

altius agant & eximi possint, scrobiculi inter se sesquipede distantes fodiendi, radicesq; in nodum, vel si longiores, in modum coronæ flectendæ, & oblitæ fimo bubalo ponantur ac circumculcentur. Maritas vlmos autumno serere vtilius, quia carent semine, & à plantis seruntur. In arbustum quinquennes transferuntur. Nostra ætate pluribus locis taleæ ex vlmis lætioribus præcisæ in scrobes collocantur, è quibus enatis aliæ subinde taleæ præciduntur, atque hac ratione magnum quæstum faciunt huius mangonij artifices. Instituuntur ad eundem modum fraxineta. Fraxinus, Græcis μελία, Italice *Fraxino*, Germanice Eschen/ Gallice *Fraisne*, Gaudet pinguibus & humidis ac planis locis, etsi siccis locis quoque proueniat. Radices latius spargit: quapropter à frumentariis agris remouetur: Sylua tertio aut quarto quoque anno cæditur ad vinearum perticas. Auctu facillima fraxinus. Si quæ festinantius germinant, disponuntur Februario mense plantis & ipsæ nascentes, sed maritatæ, intercedente quincunciali ordinum spatio, in rectũ Fraxinęta.

ſe porrigente verſu: Alij fraxinũ, quam velint in arbuſtiuam vitem fulcire, in anniculos ſcrobes circa Cal. Martias deponunt, & ante trigeſimum ſextum menſem falce non attingũt, vt ſeruentur brachia; deinde alternis putatur: ſexto anno quàm optimè maritatur. Si ramos ſuccideris, in proceritatem elegantem extollitur, caudice tereti, læui, enodi atque neruoſo. Plinius ſcribit ſe experta prodere, adeò ſerpentem fugere fraxinum, vt ſi fronde ea gyro claudatur ignis & ſerpens, in ignem potius quàm in fraxinum fugiat ſerpens. Betula, Græcis σημύδα teſte Theophraſto libro 4. ſyluis quoque inſtituendis accommoda eſt. Gaudet frigido tractu, niuoſo ac ſabuloſo, & quibuſlibet ſterilibus locis idonea: quare ſterilibus aliocui locis virgis betulaceis ad ſeminariũ cõſeritur, Italis *Bedolla*, Germanis Byrken/ Gallis *Beule*, Abietum, pinorum, picearum, laricúmque ſyluæ ſunt Italiæ & Tridentinis Alpibus familiares. Pinus πεύκη, Theod. in Theoph. etſi πεύκη & πίτυς ſæpe confundantur, Italis *Pino*, Germanis Harthbaum / è ſemine

lib. 16. c. 13.

Betula.

Abietum, pinorum, picearum ac laricum ſyluæ.

Pinus.

vel nucleis ſeritur ſuis, ab Octobri menſe vſq; ad Ianuarium calidis & ſiccis regionibus, frigidis & humectis Februario vel Martio. Leguntur nuclei menſe Iunio : priusquàm dehiſcente tegumento procidant. Vbi conſerere velis ſiue montes, ſeu alia quæuis loca , ea prius ex randa & frumenti more ſemen iniiciendum ,leuiqúe ſarculo operiendum; nec plus quàm palmo abſcõdi debet: Profuerit nucleos triduo antè aqua macerare. Nux pinea, στρόβιλος dicitur, & κῶνος.

Abies, ἐλάτη, Germanis Tannen/ Dannenbaum/ Italis *Abete*, cultum aſpernari, hominumque diligentia degenerare dicitur. Eſemine tantùm, ſicut omnes coniferæ, naſcitur: loca montoſa & plana & quælibet recipit. Picea πίτυς, Germanis Rotte Tannen/ Italis *Pezzo*, arbor è genere pini, eiqúe adſimilis, reſinam & ipſa fundens. Conſtat ſex genera eſſe, quæ reſinam ſudant, pinus, picea, pinaſter, abies, larix, reda, eiuſdem ferè culturæ. Alnus, ſyluoſa quoque arbor, κλήθρα Theophraſto dicta, Gallis *Aulne*, Italis *Auno*, Hetruſcis *Onio*, Germanis

Abies.

Picea.

Reſinam. ſudantes

Alnus.

Erlen/ planis, aquosisque ac palustribus locis gaudet. Theophrastus fœcundum semen Autumno reddere scribit. Po-

Populetum. pulis loca pleraque vtiliter conseruntur. Ea duplex est, nempe, Alba, λεύκη ἀχερδῖος, & Nigra, αἴγειρος, Italis prior

Populus, alba & nigra. *Populo blanco*, altera *Populo negro*, Germanis Poppelen/ Gallis *Peuplier*, appellatur. Plantatur taleis ac perticis suis, loca amat paludosa, & humida, vti salix, attamen non adeò, vt alia prorsus auersetur: Auctu perquam facilis. Nigra, cortice est scabriosiore, foliis circinatis & rotundis in iuuenta, vetustiora in angulos exeunt, infernè herbacea albicant, superna virent. Huius materiam ædificiis quoq; vsui tradunt, maximè internis: lignum enim albicans intus, cortice nigriore, vnde & nomen. Theophra-

χερκίς. stus tertium genus addit χερκίς, quam quidam Libycam, alij Alpinam vertũt, cortice scabro, instar pyri syluestris, folio hederæ, nigro virore, parte vna hebete, altera angulosa. Nigra populus

Salicets. crebra ad Rheni ripas inferiores. Salicem, etsi Homerus frugiperdam ὀλεσίκαρπον appellet, quòd fructum ferat abeun-

abeuntem in araneam, antequàm percoquatur, tamen principatus ei inter cæduas tribuitur. Certè Cato tertium locum tribuit ſalicto in æſtimatione prædiorum, priorem quàm oliuetis, quamq; frumentis aut pratis: Nam cædua ſalici fertilitas, denſiórque tonſura. Nullius tutior reditus minorísue impendij. Locis gaudet aquoſis, vietis, vmbroſis, proptérque amnes & ripas ſerenda: alitur tamen planis etiam & pinguibus. Cato bipalio conuertendum ſolum præcipit, & in taleis ac cacuminibus ſerendam, perticas cacuminum modicæ plenitudinis, quæ tamen dipondiarij orbiculi craſſitudinem non excedant, optimè pangi eò vſque, dum ad ſolidum demittantur. Taleæ ſeſquipedales terreno immerſæ paululum obruuntur. Riguus locus latiora ſpacia deſiderat, eaque quinûm pedum, per quincuncem rectè faciunt, ſiccaneus ſpiſſiora, & vt ſit facilis acceſſus, quinûm pedum interordinia relinquenda, Columella auctore. Sunt autem Salicum duo genera, Aliæ perennes viminibus texendis ſpectabili ſubtilitate, & Salicum genera.

Viminales salices.

viminales dicuntur, corbibus, caniſtris, ciſtellis & ſupellectili villicæ, ac etiam cortice detracto vaſis inde mollioribus, quàm è corio, & cathedrarum deliciis aptantur: Aliæ in proceritatem emittunt perticas, vel vineis iugandis, vel alij ſoboli plantandæ, vel denique ſepimentis vſum præbent. Quæ perticalis dicitur, ſeritur virga & talea, ſed talea melius, foſſura, loco humido refoſſo ad duos pedes & ſemipede, idq; prius, quàm germinent, dúmque ſilent virgæ. Eas ſiccas arboribus detrahere conuenit. Nam roſcidas ſi recideris, parum proſperè proueniunt: Reciſis enim perticis, è nouellis ſalicibus ſemel aut iterum putatis, non minore quàm brachij craſſitudine, eas trium pedum aut duorum & ſemiſſe altitudine in terram foſſa facta pangito, interuallo pedum ſenûm, terraq; pinguem circumponito. Muniendæ, ne pecora vel iumenta corticem abrodant: trinis aut quadrimis comam tondeto: hoc enim facilius criſpatur & ramos ſpargit. Inde per ſingula quinquennia, aut etiam quadriennia putare licebit. Atque ex harum

Perticalis ſalicis cultura.

pro

Propagine ſemel atque iterum putata, optimæ & ſationi aptiſſimæ ad propaginem perticæ ſumuntur. Nam vetulæ non perinde vtiles. Putationis tempus ab Autumno vſque ad Aprilem, luna augeſcente, Fauoniis ſpirantibus vel Auſtris: nam Aquilonibus flantibus non ita feliciter ſuccreſcere, experimentis compertum. Vitandum, ne interſecentur, aut aliis putatis perticis aut ſurculis alij relinquantur, quòd maiores alios è ſucciſis pullulantes ſuffocare ſoleant. Sunt qui tradant, ſalicem fœcundiorem, quò terræ propiorem, atq; vt citra ſcalas putari poſſit. Viminalis ſemine plerunque ſuo ſponte creatur, atque etiam virgis exilibus conſitis in lutoſis aquoſiſq; locis, terra aggeſta, conſeritur per ſulcos. Feliciſſimè autem terra alluuione congeſta & ſeritur, & ſponte prouenit. Et inſulas hoc modo vel ſemine vel virgulis conſitas mirè augeſcere cernimus. Ripis quoque muniendis & aggeribus plurimùm cõferre certum eſt: idque præcipuè circa Martium menſem, luna creſcente. Viminalis ſingulis annis meſſem præbet,

viminalis ſalicis ratio.

aut ſi malis, biennio. Hęc ferè pręcipua, quæ circa ſyluarum culturam, plantationemque ruſticam noſtrarum regionum vſurpantur: Nam de ſyluis cedrorum, cypreſſorúmque & aliarum exoticarum arborum, noſtros agricolas ſolicitos eſſe nihil attinet. Loca ſiue vliginoſa, ſeu pinguia, ſeu alioqui frumentis idonea, ea plantis quernis, vel glandium quernarum faginarumq; & alnorum, ſalicumque ac populorum ſeminariis ſunt idonea, etſi quercus & fagus etiam montes, & leuius ſolum non recuſent. Sabuloſis ac ſterilibus locis Betula, ſentes atque geniſtæ, miricæq; recipiuntur, vt iam antè ſatis declaratum. Iam ad cæduas ſyluas fortaſsè me progredi vis? THRAS. Volo equidem, ſi non pigeat. MAR. Tonſilia nemora inueniſſe primum Cn. Martium tradit Plinius, prouenire autem in locis ſyluoſis ac paludinoſis plerunq; ſponte tonſilem ſyluam. At non omnia ligna ad tondendum idonea, nam quædam arbores, ſi crebrò putentur, areſcunt, vt fraxinus, iuniperus, ceraſus, abies, malus, pyrus: Rurſus aliæ niſi tondeantur, pe-

Syluæ cæduæ.

Tõdi quæ arbores ſuſtineãt.

pereunt. Vitis anniuerſariam tonſuram poſtulat, alternam olea, myrtus, punica, quia celeriter fruticeſcunt, vt tradit Plinius. In cædendo autem aliæ aliis rationes congruunt. Nam quercus quia ſerius ſuccreſcit, ante ſeptimum aut octauum annum tonſuræ non eſt idonea, & quò propius terræ ſuccidi-tur, hoc felicius redit tonſura, etiamſi putari non recuſet, caudice ſupra terram ad ſeptem vel octo pedes eminente: fagi eadem eſt ratio, niſi quòd citius tonſuram præbet. Salicis perticalis & Populi eadẽ tondendi diſciplina, quam tradidimus paulò antè, cùm de ſalice ſermo eſſet, licet viminalis biennio cædatur, vel etiam annuam meſſem præbeat. Caſtanea cæditur intra ſeptimum annum foco & taleis in pedamenta. Tondentur autem ac cæduntur arbores diuerſis modis: aut enim iuxta terram cæduntur, aut tondetur truncus, cùm iam ad brachij aut ampliorẽ craſſitudinem adoleuerit, eo modo, quo ſalix tondetur. Proinde ſyluam cæduam in totidem partes diſtinguere ſolent, quot ſuppullulanti ſyluæ anni neceſſarij,

Tondendi ratio.

Syluæ cæduæ diſtinctio.

rij, vtque ſingulis annis vna pars cædatur, aliis partibus intermiſſis ſuę cuique meſſi. Et cùm aliæ aliis citius repullulent, cuique generi ſuus locus & tempus ſuum tribuendum. Aliæ quarto, aliæ quinto anno cæduntur, vt ſalix, populus, alnus, betula: Aliæ ſeptimo, vt caſtanea: aliæ pluribus, vt quercus. In ſylua cædua ſi quis maturum quid interceperit, eum furti, & arborum furtim cæſarum teneri, ex Lege Aquilia & Legibus XII. Tabularum conſtat. Si ſaliƈtum maturum ita, ne ſtirpes læderes, tuleris, ceſſare Aquiliam, Iuriſconſulti tradunt. Supereſt materiæ cædendæ, & quæ materia cui operi congruat, explicatio. THR. Quod ad materiam attinet, primùm audire cuperem, quo tempore materiæ deſtinatas cædere conueniat: nam hoc referre plurimum ad perpetuitatem audio: Deinde quæ cuique operi conueniat materia. MAR. Plurimum profectò refert, quo tempore arbores vel ad foci vſum vel ad materiam cædantur. Siquidem vere ac æſtate cæſa, quia ſucci plena, etiamſi foris areſcãt, intus tamen humore madent, igniſque admo-

Arborum furtim cæſarum les.

De tempore ſyluæ, materiæque cędendæ.

admota propter humorem exudãtem, ignem præbent ignauum. Quare ſyluas cæduas & ligna ad vrendum bruma cædi conuenit: Et ad ædificia ſuccidere arborem in Decembri ac Ianuario vtilius, luna decreſcente à vigeſima ad triceſimam maximè: Tametſi non deſint, qui contendant, experientia ſe didiciſſe, in Ianuario cæſam humore repleri & fruteſcere, quin potius ante vel poſt Ianuariũ commodius cædi materiam. Cato tempeſtiuam materiam tradit ad brumæ ſolſtitium: Nam materia quæ ſemen fert, cùm id maturum habet, tum eam tempeſtiuam eſſe: quæ verò ſemen non habet, eam tempeſtiuam eſſe, cùm lubet. Cædi tempeſtiuum, quæ decorticentur, vt teretes, ad templa cæteraque vſus rotundi, cum germinant; aliâs cortice inextricabili & carie ſubnaſcente ei, materiaque nigreſcente: Tigna, & quibus aufert ſecuris corticem, à bruma ad Fauonium cædenda. Plinius aſſerit, arborem ad materiem optimè ſterni in coitu lunæ, quam diem alij interlunium, alij ſilentis lunæ vocant. Vitruuius architectus ce-

Interlunium & ſilens Luna.

leber-

leberrimus materiam cædendam tradit à primo autumno ad id tempus, quod erit, antequam flare incipiant Fauonij: Incipiunt autem Fauonij flare 6. Idus Februarij, vt Plinius testatur: Vere enim omnes arbores fieri prægnantes, omnesque suæ virtutis proprietates efferunt in frondes, anniuersariósque fructus. Cum igitur inanes & humidæ temporum necessitate fuerint, vanæ fiunt & raritatibus imbecillæ. Vti etiam corpora muliebria cum conceperint, à fœtu ad partum non iudicantur integra. Eadem ratione autumnali tempore, maturitate fructuum flaccescente fronde, ex terra recipientes radices arborum in se succos, restituuntur in antiquam soliditatem. At verò aëris hyberni vis comprimit, & consolidat eas per id tempus; quare eo tempore cæsa materies tempestiua censetur: Cędi autem ita opus, vt incidatur arboris crassitudo ad mediam medullam, & relinquatur, vt per eam exicceſcat stillando succus; ita qui ineſt inutilis liquor, effluens per torulum, non patitur emori in eo saniem, nec corrumpi materiæ qua-

Fauonij spirantis tempus.

Arbores quo pacto ad materiam cædendæ.

qualitatem: Tum cum ſicca fuerit & ſine ſtillis, arbos deiiciatur, & erit optima in vſu. Sunt architecti, qui doceant, cæſam materiam in aſſes ſectiléſque tabulas triduo vel quatriduo aqua mergendam: in fagineas vero aſſes cæſam, paulò diutius, nempe octo aut circiter dierum ſpacio macerandam aqua, mox vt ſecta: Ea enim cura habita negant materiam carie infeſtari aut vermibus.

THR. Age quæ arbores maximè commendãtur ad materiem accommodæ?

MAR. Lignorum materies alia aliorum vſibus vſurpatur. Infæcunda firmiora fertilibus, niſi quo in genere mares ferunt, ſicut cupreſſus & cornus. In ipſis arboribus robuſtiores Aquiloniæ partes, eaſque muſco obduci conſtat, velut aduerſus frigus veſtimento, & in totum deteriores ex humidis opacíſque, ſpiſſiores ex apricis, & diuturnæ. Quare Theophraſtus diſtinguit ad materiam ligna, alia quidem fiſſilia, alia dolabilia, alia rotunda, quæ integra relinquuntur. Ex his fiſſilia nullam penitus rimam patiuntur, quoniam enudata medulla exiccatur atque emoritur: Durabilia & ſecti-

Ligna quæ ad quam materiam idonea.

Muſco obduci Aquilonares partes arborum.

Fiſſilia.
Dolabilia.
Durabilia.

sectilia, quæ modicè humida: Dolabilia & rotunda rimas admittere, longéque magis rotunda, quæ medulla in his lateribus plenioribus circumdatur. Nihil enim horum fissura immune. Itaque loteis reliquisq; quibus ad cardines vsus, ne findantur, fimo illinunt bubulo, vt siccetur, sensimq; diffletur atque euaporet humor medullæ. Secantur finduntur q; facilius, quæ humidiora quàm quæ sicciora: & serris cedunt latius arida, quàm viridia, præter robur & buxum, quæ pertinacius resistunt, serrarumq; dentes replent æqualitate inerti, qua de causa alterna inclinatione egerunt scobem. Quædam glutina prorsus abdicant inter se & cum aliis, vt robur, non minus quàm si cum lapide glutinare tentes: nec cohærent, nisi similis natura conciliet. Terebratu difficiliora, quæ viridia. Leuia & sicca difficilius secantur. Flexibilia & vinculis idonea salix, genista, tiliæ cortex, betula, vlmus, populus, vitis, arundo fissa, versisque aculeis rubi. Alligat & intorta corylus, sed salici præcipua dos: Habent & rigorem candoremque, & in

Serris quæ idonea.

Secari facilia. Findi quæ facilia.

Glutinum non ferentia.

Terebratu, serris, fissuræque idonea.

Flexibilia.

scul-

ſculpturis facilitatem. Inter eas, quæ materiam præbent, magis vſurpatę ſunt abies, quercus, pinus, larix, eſculus, vlmus, ſalix, cedrus, cypreſſus, buxus, betula, tilia, platanus, alnus, fraxinus, robur, palma, fagus, oleaſter, ilex, iuglans, acer, aquifolium, ac pleræque aliæ, pro varietate naturæ locorumque, varium præbent materiæ vſum. Abies, cuius ſupra quoque mentio facta, reſinam ſudat, eiuſque materia pluribus vſibus idonea, probatáque, quòd proceritate & amplitudine polleat: quare nauium malis & ædificiis expetitur, pondus ſuſtinere valida, & valuarum repagulis, & ad quæque maximè inteſtina opera aptiſſima, ſubdialibus non perinde durabilis, & citò accenditur. Triremes & longa nauigia ex abiete Theophraſtus tradit leuitatis cauſa fieri: Atqui onerarias è pinu & quercu. De quercu paulò antè diximus. Eius materia firmiſſima tam ſubdialibus quàm inteſtinis, in ipſa etiam aqua durabilis. Heſiodus à quercu temonem δρυὸς ἔλυμα fieri ſcribit. Quemadmodum & robur, ἄγρια δρυός, defoſſum aquiſque obrutum per-

Materiæ magis idoneæ arbores.

Abies.

Naues è quibus arbores.

Quercus.

durat, in marinis non perinde propter
Robur. salsedinem. Robori tanta duritia est, vt terebrari nisi madefactum non queat, ac ne sic quidem adactum auelli clauum, vt Plinius scribit.

Ilex. Ilex πρῖνος, arbor Italis nota, materies eius admodum densa ac robusta, in atrũ rubescens, conuenit dentalibus, πρίνινη γυὴν, Hesiodus inquit. Secatur & in la-
Larix. minas. Larix Græce quoque dicta λάριξ, Italice *Larice*, Germanicè Lerchenbaum/ olim nota ad Padum & Adriatici maris littora celeberrima, quam non solum ob succi amaritudinem à carie & tineis liberam, sed etiam flammam ex igne non recipere Vitruuius testatur, tametsi argumentis id confutat Matthiolus. Ponderibus sustinendis idonea, & aduersus tempestates firmissima: à quibusdam tamen traditur aquis marinis
Esculus. teredinem contrahere. Esculus, δρυὸς genus πλατύφυλλος dicta, vtilitates plurimas præbet, sub tectis non ita tuta ab
Vlmus, salix, populus. humore, quo facile vitiatur. Vlmus, salix & populus, quarum supra meminimus, materia teredini & corruptioni obnoxia, & quia lentæ atque flexibiles,

inte-

inteſtinis operibus vſurpantur ſolùm & ſepimentis texendis. Rigorem ſeruat vlmus fortiſſimè, od id cardinibus aſſamentiſque portarum vtiliſſima: quoniam non torquetur, permutanda tantum ſic, vt cacumen ab inferiore ſit cardine, radix ſuperior: ſtiuis idonea Heſiodo πλελέος ἀκιοπεπος ἰσοβοεύς. Fraxini Theophraſtus duo genera tradit, alterum excelſum, procerum, materiam habens candidam, neruatam, enodem: Alterum humidius, ſcabrius ac durius, folium Plinius tradit iumentis mortiferum, ſed deceptus nominũ vicinitate: nam μελία fraxinus: at μίλος vel σμίλαξ taxus eſt, cuius folia cõpertum eſt animalia non ruminantia necare. Huius materia cum ad alia plurima vtilis, tum haſtas elegantes præbet, vnde Homeri præconio Achillis haſta nobilitata, ſectilibus etiam laminis vſurpata. Fagus quamquam fragilis & tenera ac fiſſilis, eadem ſectilibus laminis in tenui flexibilis, capſis, ac ſcriniis ſola vtilis eſt, colore non ingrato, maximè fida iis, quæ teruntur, vt rotarum axibus: Fagi cortex magnum veteribus vſum præbere

Vlmi vſus.

Fraxinus.

Plin. locus notatus.

Fagus.

ſolitus. Eo enim vaſa vindemiatoria & corbes meſſoriæ fiebant, nec non gutti, & vaſa, quibus in ſacris prolibabant religionis ergò: Vnde Curius ille iurabat ſe nihil è præda attigiſſe, præter guttum faginum, quo litaret diis. Alnus caudice recto, ligno medullaque molli, rubente materia, in aquoſis ferè prouenit: præfertur lignum ad ædificiorum fundamenta, quæ in fluminibus, lacubus, paludibuſque fiunt, quòd in aqua nunquam putreſcat. Ob id expetitur maximè Venetis ad iacienda Palatiorum ædiumque fundamenta, quòd crebro fixa, æterna ſit, & ingentes moles ſuſtineat. Vere cortex tinctoriis vſibus detrahitur: Dat & alnus tuber ſectile, ſicut cedrus. Platanus Græcis & Latinis vocata arbor, aduena Italiæ, vmbræ tantum gratia ex alieno orbe petita, æſtate ſolem arcens, hyeme admittit, vt Plinius teſtatur. Athenis celebrata triginta ſex cubitorum ramis, in Lyceia domicilij modo caua, octoginta atque vnius pedum ſpecu. Materia lentitia vſum præbet, ſed madida, ſicut alno, at ſiccio vlmo, fraxino, moro, ceraſo. Tilia, Græ-

Alnus.

Platanus.

Tilia.

cis φιλυρία: id nomen Itali retinent: Germanis Linden. Hanc Theophraſtus inter ceteras operibus facilem præ ſua mollitia, tradit teredinem non ſentire, atque inter corticem & lignum tenues tunicas, ſed multiplici membrana, è quibus vincula, Plinius ſcribit tilia vocari, & faſces funeſque tiliacei. Betula mirabili cãdore & tenuitate, libro eius, hoc eſt, cortice interiore, olim ſcribentibus vſum, vt nunc charta, præbebat, & in volumina compaginabatur: vnde libris nomina: ſurculis flexibilibus, olim magiſtratuum virgis, nunc pueris terribilis, ob flexibilitatem vinculis, corbiumque ſportis accommoda. Sambucus ἀκτὴ Dioſcoridi, Germanis Holder/ Italis *Sambuco*, Gallis *Suſeau*: hæc arbor omniũ facillimè creſcit, vt prẹter Theophraſti ſententiam etiam experientia docet, & quanquam medullam habeat copioſam, lignum tamen ipſum firmum. Excauatur ad varios vſus, & baculi ex ea fiunt perleues, Siccata valida eſt, & inoffenſa aquis etiam, diſquamatur ſponte, cum exaruerit: Sambuci interiora mirè firma traduntur. Namqui

Betula.

Libri nomenclatura.

Sambucus.

venabula ex ea faciunt, præferunt omnibus, Plinio, autore. Radix, laminis idonea. Ficus ἡ συκὴ, arbor nota, fruticosa, nec excelsa: sed crassa, vt vel cubitali sit ambitu, Theophrasto teste, ligno contorto, lento: materies solida, robusta, ad multa commoda existit, lenta cùm sit, & plaga se facillimè contrahit, scutis idonea. Buxus, Græcè πύξος, Italis *Boxo*, Germanis Buchsbaum. Gall. *Buys*: materia huius arboris maximè æterna, & inprimis honorata, rarò crispans, nec nisi radice, cætera leuis: quin & materia silenti, & quadam duritia ac pallore commendabilis: Torno rasile buxũ, inquit Vergilius. In ipsa verò arbore topiario opere: In igne quoque duritiâ, quæ ferro nec flamma nec carbone vtilis. Iuniperus Græcè ἀρκεύθις, à Theophrasto & Dioscoride vocatur, ἀπὸ τοῦ τὰς ἄρας κεύθειν, quòd noxia pellat: siquidem eius odore reptilia fugantur: Italis *Gunpro*, Germanis Wacholter/ Gallis *Geneure*. Cum cedro plurimum conuenit, nisi quòd magnitudine inferior, etiamsi plerisque locis in proceras arbores assurgat, Materia eius cen-

Ficus.

Buxus.

Iuniperus.

centum annis durat: proinde templum Dianæ Ephesinæ iuniperinis trabibus extrui voluit Annibal, pluribus ætatibus duraturum. Ignem quoq; diutissimè seruat, accensis hoc ligno carbonibus, quos integro anno durasse, proditum: Eiusq; gummi Vernicem esse, vulgo Virnis. Cedrus, ἡ κέδρος Theophrasto & Dioscoridi, Italis & aliis plerisque nomen retinet. Huius arboris durities vnicè laudata, quòd nec cariem nec vetustatem sentiat, sed æterna sit, vnde & libri cedrini, & Poëta, Cedrus.

Cedro digna locutus.

Solomon Deo nobile Hierosolymorum templum è cedri materia extruxit. Arcium & Palatiorũ fabricis conuenit. Rimam fissurámque non sentit cedrus, ebenus, olea. Statuæ quoque Deorum ex ea factæ, quia materia humorem remittit, sudare visæ sunt. Theophrastus scribit, in Syria cedros quatuor vlnarũ & amplius crassas. Cedria resina, & pix cedri Græcè κέδρια. Cupressus κυπάρισσος, & Pinus in vetustatem sine vitiis seruantur, neque carie neque vermibus obnoxiæ. Valuas è cupresso 400 anno- Statuæ sudantes. Cedria. Cupressus Pinus.

rum Plinius commendat. Pinus *inquit Theophraſtus*, viribus valet, & ad vſum ædificatorium ſpectabilis laxitatis & rectitudinis, meatuum cauſa. Iuglans arbor notiſſima, & ingens, cuius materia ampla, vſúſque ad opus tectorium, & menſas. Theophraſtus ſcribit, iuglandem frangi ſe ſonitu prænunciare, idq; in Antandro accidiſſe, omnéſque è balneo profugiſſe terrefactos.

Iuglans.

Frangi ſe denunciãs arbor.

Olea. Olea, ἔλαια, *Oliua* Italis, *Oliue* Gallis, incuruatur, cedítque ponderi, capúlis vſurpatur. Oleaſter, ἀγριελαία, Italis *Oliuo Saluatico*, Germanis Wilder Oelbaum/ Gallis *Oliue ſauuage:* eius materia fiunt manubria & vaginæ terebrarum.

Oleaſter.

Aquifoliũ Aquifolium, quam Theophraſtus Crateogona vocat, meſpilo ſimilis arbor.

Agrifoliũ. Illa verò, quæ Agrifolium vocatur, foliis conſtat per ambitum aculeatis, perpetuò virentibus, ac cortice quoq; viridi, baccis cedrum æmulans. E radicum cortice viſcum parant. Sunt qui velint, eam eſſe ſtirpem, quam Theophraſtus Agriam vel Ariam appellat, lignum duritiâ inſigne, rami flexibiles, vnde & ſepi viuæ vſum præbet, elegan-

ti

tia commendabilem, Germani Hulſen vocant.

Acer à Theophraſto σφένδαμνος, Italis *l'Acero*, Gallis *Erable*, Germanis Maſſelterbaum/ operum elegantia cedro proxima, criſpam macularum diſcurſu materiam præbens, à ſimilitudine pauonum caudæ nomen accepit. Ex hac menſæ fiunt acernæ elegantiſſimæ, & topiaria opera, ſicut & è bruſco & molluſco, auctore Plinio, pulcherrima opera, & menſæ nigreſcentes. Tuber vtrumq; arboris eius eſt, ſed bruſcum, intortius criſpum, molluſcum, ſimpliciusſparſum, &, ſi magnitudinem menſarum caperet, præferretur cedro. Nũc intra pugillares lectorúmq; ſiliceos aut laminas raro vſu ſpectatur. Reperitur & in alno tuber, ſed acere deterius. Palmæ lignum molle, Suberis, ſpiſſa materia. Porrò quæ materia quibuſq; operibus vſibuſq; conueniat, coronidis vice adiungam. Nauibus abietem, pinum, cedrum aptas: Triremes enim atque longa nauigia ex abiete fieri Theophraſtus tradit leuitatis cauſa; & quia ampla & craſſa, malorum ſuſtentaculis appeti-

Acer.

Acernæ menſæ.

Bruſcum. Molluſcũ.

Tuber.

Plin. lib. 16 cap. 16.

Palmæ.

Suber.

Materia quæ quibuſq; conueniat.

Nauibus.

tur. Onerarias è pinu, Virgilio teſte,

Nauigiis pinos.

In Oceano Germanico Gallicoq; plurimùm querna vtuntur materia nauali.

Aedificiis idonea. Aedificiis eadem ferè materia vſurpatur: inprimis cedri & cupreſſi, eodem poëta atteſtante:

Domibus cedroſq; cupreſſoſque.

Abiegna, populea, fraxinea, vlmea materia, atq; id genus, interioribus partibus vſui fuerit, at non ita cœlo & tempeſtatibus, quibus quernea vtilior.

Aquarum tubis. Ad aquarum ductus tuboſq; cauantur alnus, pinus, picea: Obrutæ terra plurimis annis durant: ſi non integantur, citius ſeneſcunt.

Olex durabilitas. Robur etiam in aquis perdurat, & fagus, & iuglans. Durabiles olea, robur, quercus, ilex, (nam ducentis annis ſtetiſſe oleam, Plinius teſtis eſt) item cedrus, cupreſſus.

Commiſſuris & coagmentationib. Ad commiſſuras & coagmentationes, vlmus & fraxinus congruunt, à longitudine firmas recipientes catenationes.

Pondus ſuſtinentia. Pondus ſuſtinent abies, larix, etiam in tranſuerſum poſitæ, nec rumpuntur nec curuantur, prius carie, quàm viribus deficiunt.

Curuãtur. Contrà olea & robur incuruantur,

tur, & quercus, populus atq; ſalix, vl- quæ & pã-
mus, & betula. Palma arbor valida è dantur.
contrario fornicatur, renitendo in di- Palma re-
uerſum: contrà populus ad omnia in- nititur
feriora pandatur. Vlmus & fraxinus oneri.
lentè ſed facilè pandantur, flexibiles ta-
men ſtanteſq; à circumciſura ſiccaræ fi-
deliores. Flexibiles ſalix, betula, vlmus, Flexibiles
geniſtæ, quercus, & aſſes quernæ. Scan- Laminis &
dulæ, tabellæ & laminæ, quibus tecta ſcanſulis.
operiuntur, ex robore aptiſſimæ, atque
è glandiferis & fago, facillimæ ex omni-
bus, quæ reſinam ſudant, vti pinu &
abiete. Picea & quercus, ſcandulis cu- Cupis.
piſq; & ſecamentis vtiles. Quæ in lami-
nas ſecantur, præcipua ſunt cerrus, te-
rebinthus, aceris genera, buxus, palma,
ilex, ſambuci radix, populus. Menſarum Menſis.
elegantiori operi acer, fraxinus, iuglãs,
nonnunquam & ceraſus atque pyrus;
precioſiſſimæ cedrinæ, atq; cupreſſinæ:
Axibus, rotis atq; radiis, quercus, ro- Axibus.
bur, acer, fagus. Virgilius etiam Cedros
& cupreſſos attribuit horum vſui:

Hinc radios triuere rotis, hinc tympana plau-
Carpentiſque. (*ſtris,*

Eadem ferè materia aratris, curri- Iugis.
bus, Aratris.

bus, iugis ac ſtiuis, Heſiodo autore, niſi quod fraxinea his quoq; adhibetur materia, & cerrus, & ſicut lentore fraxinus, ita duritia ilex. Trochleis, terebrarumque vaginis, & malleis, materiam idoneam præbent oleaſter, buxus, ilex, meſpilus, vlmus, fraxinus, acer, aquifolia, rubus. Fiunt & è pinu & iuglande mallei maiores, orbeſque ac trochleæ, molaribus, hauſtoriiſq; machinis vſurpatæ. Cato vectes aquifolios, laureos, vlmeos fieri iubet. Hyginus manubria ruſticis carpinea, iligna, cerrea, adde quæ noſtris in vſu maximè, buxea. Fieri quoq; capulos & manubria ex olea Homerus teſtatur, πλεῖον ἐλαίνον. Scuta è ſalice ac vite fieri, Theophraſtus ſcribit: Iacta enim protinus plagam contrahunt, ſed ſalix leuior, & ob id ea magis in vſu. Eſt & ficus ſcutis apta, & tilia, betula, populus, ſambucus. Haſtis præcipua fraxinus, Achillis haſtâ celebrata materia, & myrtus validis haſtilibus, inquit Virgilius. Taxus, arcubus idonea, eiuſdem poëtæ teſtimonio:

Ithireos taxi torquentur in arcus.

Ad fores vlmo vtuntur: ad ciſtas, omnibus,

Trochleis Terebrarũ vaginç. Malleis. Veſtibus.

Manubriis. Capulis.

Scutis.

Haſtis.

Arcubus.

Foribus.

nibus, quæ flexili crate constant, Commissuris & coactionibus vlmi & fraxini congruunt, ab longitudine firmissimas catenationes recipientes. Ad asses finduntur optimè abies, populus, fagus: æternitate autem commẽdabilis quercus, maximè tempestatibus resistens & humori: quibus alij haudquaquam idonei, nisi fagini, aut alnei, aqua macerati asseres. Flammis & lumini vsurpatur abies, picea, teda. Carbones optimos præbet spississima materia, vt robur, quercus, fagus. Pineos potius quàm querneos quærunt excusores, quanquam firmiores, sed quia ad flatum melius respondent, & minus marcescunt, extinguunturque. Cerri etsi alioqui improba materia, carbonibus tamen ærariorum officinis idonea, quòd cessante flatu statim extinguatur, parumque adsumtus tardè recidit in fauillam. Eius materia ædificiis extruendis inauspicata, quòd facillimè rupta fatiscat, rudis tamen & indolata intestinis operibus & vtensilibus vsurpatur. Ad ignẽ excipiendum aptissima ficus & olea: ficus, quia lenta & rarior, olea, quia spissa

Ciſtis. Flexibilia Cõmiſſuris. Aſſeribus.

Igni & lumini vſurpata materia.

Carbonibus.

Cerri.

Igni excipiendo.

&

Iuniperi carbones. Flammæ reſiſtentes.

& pinguis. Iuniperi carbones integro anno duraſſe ferũtur. Flammæ reſiſtere laricẽ, Vitruuius tradit, etſi id Matthiolus confutare nititur. In toto arborum

Cutis arborum.

corpore, vt animantium, cutis, nerui, ſanguis, caro, venæ, oſſa, medullæ repe-

Corticis vſus.

riuntur. Pro cute cortex in magno agreſtium vſu: vaſa patentiora corbeſque meſſibus conuehendis vindemiiſque, faciũt è tilia, abiete, ſalice, fago, al-

Suber.

no. Suberis craſſiſſimus cortex, & quo exuta minimè areſcit, vt reliquæ arbores: quippe natura ſic comparatus, quæ cortice expoliendo, materiam duplici cortice muniuit. Cortex crepidis fulciendis vſum præbet, & verriculorum funiculis ac piſcatorum tragulis appenditur, ſi cortex eximatur, ſidit lignum, cortex ſemper ſupernatat. Cortici proximi pleriſque arboribus adipes: ij vo-

Adeps arborum. Sanguis arborum.

cantur à colore Alburnum, mollis & peſſima ligni pars, teredini obnoxia: quare amputatur. Succus arboribus pro ſanguine. Humor is non idem omnibus ficis lacteus, cui ad caſeos figurandi coaguli vis, ceraſis gummoſus, vlmis ſalinoſus, malis len-

tus

tus & pinguis, aquoſus pyris ac vitibus. Viuaciora, quibus lentior. Mori ſuccum medicos quærere Plinius tradit. Eſt & marcor atque caries in veteribus lignis, Græcis σαπρότης ξύλων, Itali *Tarlatura del ligno* vocant. Vermes qui in carioſis lignis naſcuntur, Coſſi Plinio vocãtur. Subeſt adipi caro, cui oſſa, materiæ optimum, ſuccedit, nec omnibus carnes adipeſque largæ. Neutrum habet buxus, cornus, olea, nec medullam, minimumq; etiam ſanguinis, ſicut oſſa non habent ſorba, carnem ſambuci, & plurimam ambæ medullam. Arundines maiori ex parte carne carent. In arborum carnibus pulpæ, venæq; reſident: diſcrimen earum facile. Venæ latiores candidioréſque: Pulpæ fiſſilibus inſunt, ideò fit, vt aure ad caput trabis, quamlibet prælongæ admota, ictus ab altero capite ſentiatur, penetrante rectis meatibus ſono. Vnde deprehenditur, an torta ſit materia, nodiſq; conciſa. Quibuſdam ſunt tubera, ſicut in carne glandia. In iis nec vena nec pulpa, quodam callo carnis in ſe conuoluto. Hoc precioſiſſimum in cedro, & acere. Quibuſ-

Marcor.

Coſſi.

Oſſa arborum. Caro.

Venæ. Pulpæ. Aure admota trabi ictus ſentitur.

Tortæ materiæ deprehẽſio, Tubera.

dam

dam pulpa ſine venis, mero ſtamine ac tenui conſtat: hæc fiſſilia maximè traduntur. Alia frangi faciliora, quàm findi, quibus pulpa non eſt: Sic oleæ & vites, fracturæ potius quàm fiſſuræ parẽt. At totum corpus è carne, fico: tota oſſea ilex, cornus, robur, morus, lotus, ebenus, cythiſus, & quæ medulla carent: faginis pectines tranſuerſi in pulpa apud antiquos, vt Plinius memorat. THRAS. Præter materiam aliáne quoque commoda ex arboribus, quæ materiam prębent, ſumere licet? MAR. Maximè. Nam vt ſuprà dictum de meſpilo, quercu, caſtanea, pinu, fago, teda, quæ in ſyluis feliciter proueniunt, ſimul & materiam præbent optimam, & fructus eſui vtiles: Ita ex abietibus, ac piceis, piniſque reſinam quoque colligimus, & picem, magno rei familiaris emolumento, quemadmodum & è quercu, fago, caſtanea, meſpilo, pinu, & homini cibus, & porcorum aliorúmque animalium ſaginandorum vtilitas percipitur. Annonæ difficultatem multis leuaſſe vel noſtra ętate compertum, in farinam molitis, ſpiſſatiſque in panis vſum glandibus.

Fiſſilia. Frangi facilia.

Oſſea materia quibus.

Pectines è fagis.

Reſina. Pix. Fructus arborum ſylueſtrium.

dibus. Imo ſecundis menſis inſeri Hiſpanis glandem conſueuiſſe, Plinius & alij tradiderunt. Neque eſt obſcurum, quàm magnas opes pleriſque gentibus glandium, reſinæ, piciſque prouentus ſuppeditent. Galla quoque glandiferis adnaſcitur, de qua ſuperius dictum. Inter cæteras arbores, quæ reſinam ſudant, teda pinei generis, ſucco abundantior quàm reliqua, liquidior quàm picea, flammis & lumini parata: eius enim aſſulis pro candelis vtimur. Sudat reſinam quoque & picem Cedrus, Cedria vocata. Viſcus quoque ex arboribus fit: laudatiſſimum è cerro, ilice, caſtanea, præſertim in Senenſibus maritimis ſyluis, quæ in eum vſum illic magno locantur iis, qui viſcum conficiunt. Nam ex arboribus grana legunt, quæ in aqua decoquunt, donec diſrumpantur, quæ contuſa lauant in aqua, donec furfuracea excrementa eximant. Plinius in quercu tantùm naſci ſcribit & robore, ilice, prunóque ſylueſtri, terebintho, pinu & abiete. In Etruria etiam in caſtanea, quod optimum eſt, item in malo & pyro, ſed inutile. Fit quoque viſcum è

Glădium vſus.

Galla.

Candelæ ex arboribus.

Cedria.

Viſcus quomodo cõficiatur.

quarundam arborum radicibus, maximè agrifolij, atque earum corticibus, ſumptis radicum corticibus, effoſſáque ſcrobe inter ſuarum arborum frondes, humido ſolo (alij fimo) ſepeliunt, ibíque relinquunt tantiſper, dum putreſcat, mox eximunt, & tam diu in pila contundunt, donec lentorem concipiat, dein aqua calida lauant, manibuſque commiſcent. Vſurpatur cum aliis vſibus, tum auibus capiendis. Adde Gummi, ex arboribus exudare notiſſimum, veluti è ceraſo, pruno, iunipero, olea, acacia, hedera, amygdala, vt Dioſcorides teſtatur. E iunipero vernix exudat, è myrrha ſtacte, è populo alba, ſuccinum, Græcis ἤλεκτρον. Plinius ſcribit, ſuccinum è quibuſdam pinei generis arboribus, vt gummi è ceraſis, exudare autumno. Hæc, quia ſic poſtulaſti, vtcunq; de plantandi diſciplina à me explicata boni conſules. Audis Iuliam nos accerſere ad cœnam, & vmbram vides eſſe decempedem: proinde illuc nos recipiamus ſuadeo. THRASYBVL. Magnam quidem habeo gratiam, quòd in hoc tuo horto lautiſſimè extructo, tam

Vernix.

Succinum.

tam ſuaui hortenſium plantarúmque explicatione me recrearis. IVL. Quouſque detines, Mari, hoſpitem tuis diſputationibus? Quin ad cænam iam paratam in hoc topiarium accedítis. MAR. Age igitur accumbamus.

Finis libri II.

CONR. HERESBACHII

Liber Tertius,

DE PASTIONE PECVARIA.

REi Rusticæ partem, & agriculturæ affinem cõiunctamq; esse pecuariam villaticamq; pastionem, non solùm Virgilij vndiquaq; absolutissimi Poëtæ, qui hanc disciplinam Georgicis suis celebrauit, verùm etiam vetustiorum & grauissimorum scriptorum, Xenophõtis & Aristotelis testimonio iam antè declaratum est; ὅτι γὰρ ἡ νομαδικὴ συνήπτῃ τῇ γεωργίᾳ, inquit iste. Atque adeò communi vsu comprobatur, vtrãque alteri vtiliter cohærere. Nam etsi diuersa est disciplina agriculturæ & pa-

stio

ſtionis & vota curaq; interdum contraria, cùm paſtor ſolum graminoſum & nouale poſtulet, agricola cõtrà purum & ſubactũ: tamen in his diſcrepantibus votis magna eſt ſocietas, & mutua quædam vtilitas, quam vtraque functio ab altera mutuò percipit. Id quod Fundanius apud Varronem appoſita ſimilitudine contendit aſtruere: Vt, *inquiens*, dextra tibia alia quàm ſiniſtra, ita vt tamen ſit quodammodo coniũcta, quòd eſt altera eiuſdem carminis modorum incentiua, altera ſuccentiua: Ad eundem modum licet paſtorum vitam dicere incentiuam, & agricolarum ſuccentiuam, autore Dicæarcho, qui tradit initio homines paſtoritiam vitam egiſſe, neq; calluiſſe diſciplinam arandi exercendiq; agri, aut arborum plantandarum; ab his inferiori gradu ætatis ſuſceptam agriculturam: quapropter ſuccinat paſtorali, qua eſt inferior, vt tibia ſiniſtra à dextræ foraminibus. Sic cùm iumentis ad arandum, ad vehendum, ad ſtercorandum agrum, & alias plures commoditates agri colendi vtamur, & viciſſim ab agricultura pabulum pecu-

Paſtionis pecuariæ cum agricultura ſocietas.

dibus ſubminiſtretur, fit vt etiamſi diſciplina diuerſa ſit paſtionis & agriculturæ, vtraque tamen alteri ſeruiat & accommodata ſit, vt neutra ab alia ſeparanda videatur, præſertim ſi prædij ratio patiatur, propter plurimas commoditates, quas vtraque alteri veluti manui accommodare poteſt: Siquidem agrum citra equorum aut boum miniſterium, & ſtercorationis adminiculum exercere commodè non queamus, & paleæ, ſtramina, reliquaq; è frumentis ad pabulum parata, in fundo ipſo cõpeſcere quàm vendere magis expediat, & colono & fundi domino, domeſticiſq; magis pecudibus quàm alienis depaſcere, ex vſu eſt. Stercoratione etiam, quæ contingit è gregibus, agrum hortumq; lætari, fructuſq; vberiores producere conſtat. Ac cum nulla regio ſit, vt inquit Columella, quæ non ad agrum colendum, ſicut hominum, ita iumentorum quoq; miniſterio vtatur, hæc non ſolùm terræ colendæ, verùm etiam frugibus cõuehendis, oneribus deportandis, ſtercori in agrum ferendo, ac denique ſoboli procreandę commoditatem ne-

necessariam præbent: Vnde etiam iumenta à re nomen accepere, quòd necessarium laborem vel subuectando vel arando iuuent. Neque verò iumenta solùm, quæ in cõsortium operum adhibentur, alere conuenit, sed alia etiã minora pecora, velut oues, sues, capras: itẽ ex auibus anseres, pauones, anates, columbas, pullos gallinaceos, & quæ sunt alia villaticæ pastionis animantia, è quibus rei familiaris vsus & quæstus nõ pœnitendus paratur, & si ager sic ferat, & Pales faueat, aliquoties non minorem fructũ ex his quàm è frugibus reportare licet, idq; sine magnis impensis pabuli, cuius alioqui magna pars intercidit. Nam quòd pastio quæstuosa sit, pecuniæ vocabulum indicat & peculij, nempe à pecore: quoniam id veteres solum possederunt, & omnis pecuniæ fundamentum pecus fuit; vnde mulcta constituebatur in pecoribus, quæ maxima fuit triginta boum, & duarum ouiũ: æstimatúsque bos centussibus, ouis decussibus. Minima mulcta oue taxabatur vna. Apud nobilissimas adhuc fortissimásque gentes obseruatur, qui præ-

Iumenta.

Pecunię & peculij vocabula.

Mulcta in pecoribus

cipuas opes in pecore ducant & conſti-
Catonis reſpõſum. tuant. Cato interrogatus, quam par-
tem Rei Ruſticæ exercendo celeriter
locupletare putaret, reſpondit, Si bene
paſceret: rurſuſque interroganti, quid
deinde faciendo ſatis vberes fructus
percepturus eſſet: Si mediocriter, *in-*
quit, paſceret: Porrò originem & digni-
tatem huius pecuariæ diſciplinæ anti-
Paſtoritiæ antiquitas & dignitas. quiſſimam eſſe, & iam inde à patriar-
charum temporibus ad noſtram æta-
tem, honeſtiſſimam functionem fuiſſe,
ſacræ ſimul & prophanę hiſtoriæ teſtan-
tur, atque adeò Domino hoc vitæ ge-
nus placuiſſe, declarant primi mundi
homines. Abelem ouium paſtorem,
ſacrificantem reſpexiſſe Dominum, te-
Patriar- chæ paſto res. ſtatur ſcriptura. Inde Seth, Noë, Abra-
ham, Loth, Iacob, Iob, Amos, homines
ſanctiſſimi, armentorum & pecorum
alendorum ſtudiis commendantur: vn-
de opibus polluiſſe, & ſe, vxores, libe-
ros, ac familiam amplam ſuſtentaſſe le-
Gen. 47.3 guntur. Filij Iacob cùm à rege Aegypti
rogarentur de vitæ genere, paſtores ſe
eſſe profitebantur pecorum: à quo vitæ
genere Moſes, Saul, Dauid ad principa-
tum

tum populi, & sceptra vocati sunt diuinitùs. Quinetiam inter gentes vetustissimi & illustrissimi quique partim à pastoribus educati, partim pastores ipsi fuerunt. Romulum atque Cyrum inter pastores educatos, potentissimarum monarchiarũ auctores, memoria proditum est. Adde Galerium, Maximinum, Constantinum, Probum, Aurelianum, ab armentariorum stabulis ad imperatoriam purpuram euectos. Homerus Vlyssis subulcum Eumæum magno fortitudinis elogio celebrauit. Etenim fortissimas gentes pecuariam exercuisse, testantur Italorum, & Germanorum atque Heluetiorum populi, quorum regiones iam quàm olim cultiores, rerum gestarum magnitudine à multis seculis præclari, his potissimum opibus olim gloriabantur, atque etiamnum hoc quæstu pollent, qui sanctissimus est & grauissimus. Quare veteres & Græci, & Latini scriptores in præcipuis opulentiæ laudibus posuerunt πολυάρνας, πολυμήλας, ac πολυβώτας, & ipsas pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles tradiderunt. Vnde pellis

Romulus & Cyrus inter pastores educati.

Imperatores ex armentariis.

Velleris

aurei significatio.

aureæ in Colchide arietis historia, ad quam Argonautæ profecti produntur,

Aurea poma.

& aurea μῆλα Hesperidum. Denique signa cælestia, maria, montes atque regiones à pecudibus appellationem retinent: nimirum, aries, taurus inter sydera: Taurus mons, & Bosporum mare: Italia à vitulis nomen tenet. Accedit ad pecorariæ curæ dignitatem, quòd magnam

Pastorum cum principibus similitudo.

similitudinem cum principatu habet: quapropter non rarò & Prophetarum oraculis, & Poëtarum carminibus principes & reges pastores populorum,

ποιμένες λαῶν.

ποιμένες λαῶν vocantur: immò dominus mundi se appellat ipsum pastorem. Cùm ex his colligatur, quàm magna res sit pastio rustica, & quàm agriculturæ coniuncta, nos post Georgicen & Phyteuticen hanc bucolicam disciplinam breuissimè complecti studuimus. Hanc Varro trifariam partitur, nos quartam partem adiiciemus. Ac primam armentis maioribus tribuimus

Armenta.

pascendis, quales sunt equi, asini, muli, cameli, boues: quæ ille quasi aramenta dicta putat, vel ab arando, vel quòd armorum, hoc est, quorumlibet instrumen-

mentorum vsui idonea, vel ab armis, id est, scapulis maioribus, vt Seruius docet. Nam Virgilius sic ait:

Hoc satis armentis, superat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges, hirtasq; capellas.

Et Plinius, Camelos, *inquit*, inter armenta nutrit Oriens. Iumenta autem siue à iungendo, seu à iuuando dicta esse animalia, quæ vel ad sarcinas ferendas, vel ad vehicula trahenda, vel denique ad terram colendam comparantur, supra dictum. Pomponius Iureconsultus negat, boues iumentorum nomine intelligi, sed armentorum potius: Vlpianus & Caius, quadrupedes pecudum numero censent oues, boues, capras, asinos, mulas, equos: Nos Virgilij, Ciceronis, atque eorum, qui Latinè locuti sunt, consuetudinem secuti, inter armenta & iumenta, maiora animalia promiscuè referemus huius libri prima parte. Deinde pecori minori secundas partes attribuemus. Et quanquam pecora & pecudes de omnibus animalibus, quæ sub imperio hominis, & pabulo pascuntur, promiscuè intelligantur, atque communia sint vocabula, (Sic enim

Iumenta.

Pecudes.

Libri tertij partitio.

enim ait Cicero, *Multitudo pecorum partim ad vescendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim ad vestiendum*) nos adiectione minorum, oues, capras, sues, ab armentis separabimus. Tertiam partem ad pecuariam rem pertinentem adiecimus, non vt ex ea fructus capiatur, sed potius propter vsum, custodiamque ac ministerium, quod præbet, qualis est cura pastorum, canum, felium. Atque has tres partes hoc tertio libro exequemur, reliquas pastiones quarto libro prosecuturi. Hæc de pecuariæ pastionis cum agricultura communione, deque eius dignitate & origine, ordinisque, ac vocabulorum ratione præfati, ad singula pastoralia munia progrediemur.

Introduximus autem singulorum armentorum pecorumque magistros, messis tempore, die festo, per otium in gramine sub vmbra recubantes, de sua quemque cura ac disciplina differentes, ac singulos suas veluti symbolas proferentes: Euphorbum quidem bubulcum, Hippocomum equisonem, Hedionem opilionem, Eumæum subulcum.

Dialogistæ.
Euphorbus.
Hippocomus.
Hedio
Eumæus.

EVPH. Heus tu Hippocome, quò pergis vagabùdus? Hodiéne feriæ indictæ à Parocho? iã in taberna Sympoſiis iuuenum, & choreis indulgere oportuit. HIP. Ignauis ſemper feriæ. Ex re mea erit, & crumenæ cõſulere, & equos viſere, ecquid paſcantur, an incommodi aliquid patiantur. Paſcua prorſus æſtatis ſiccitate exucca nudataque pabulo, vt periculum ſit, ne inedia compulſi, lætiora paſcua deſiderãtes erumpant, ac lædantur. EVP. Quin equos in hunc campum adducis, vbi ex recenti meſſe ſtipulæ ariſtæque ſparſæ, & graminis quoque copia inter dumeta carpenda ſuppetunt? HIP. Non abſurdè mones. EVP. Agè igitur, Maſtiga ſubſidiarium tuum iube compellere huc gregem: Tu hîc conſideas ſub corylo hac, quæ ſimul & vmbram & auellanas nuces ſuppeditabit. Accerſemus & Eumæum atque Hedionem, ſi videtur, deque rebus communibus commentabimur. HIP. Placet. Tu igitur, Maſtix, equos vnà cum pullis atque aſinis huc compellito. EVPH. Et vos, Eumæe & Hedio, greges in vnum cogite, atque adeſte,

adeſte, Symbolum, velut in taberna, ſuum quiſque citra pecuniam aut impenſam conferat de ſua quiſque pecoris diſciplina. Equi certè, Hippocome, tui adhuc mediocriter habiti. Vidi nuper Agrij noſtri vicini equos longè ſtrigoſiores, & ſqualidiores. HIP. Non eadem fortè cura, cum tamen illi paſcua non deſint, nec laboribus tantis onerentur. Noſtri contrà & operi crebro adhibentur, neque ſic lautè paſcuntur, cetera tamen accuratius tractantur. EVPH. Quoniam & locus, & tempus conceditur, rogamus, de cura hac nobis aliquid diſſeras, quæ huic animali adhibetur. HIPPO. Certè pecunia mihi numeranda non ſuppetit. Quare ſi vrgeas, non negabo, quod poſtulas. Inter iumenta & animalia, quæ in conſortium operis adhibemus, præcipuum locum tenet Equus. Nam & generoſiſſimum, & elegantiſſimum, & vſui humano accommodatiſſimum, adde fideliſſimum pecus cenſetur. Cumque huius varius ſit vſus, de eius laudibus multa dicenda eſſent, de quibus aliâs dabitur occaſio. EVPH. Solùm de agnoſcendo generoſo bonoq;

De equis.

bonóque equo, déque eius cura habenda audire cupimus. HIPPO. Principiò equorum varius vſus. Nam alij ad agriculturam vecturámque, alij curſibus & certaminibus, ac rei militari, ac prædationi, alij admiſſuræ deſtinantur: quare ſuis quíque vſibus deligendi. Equites ac milites, feroces, animoſos ac veloces quærunt, forma & colore elegantes: Agricolæ tractabiles, corpore vaſto, ad laborem vecturamque idoneos. Educatio tamen propè eadem: nam ſic educamus, vt omnes ſperemus generoſos futuros. EVP. Quænam igitur potiſſimum in educatione curanda? HIPPO. Quibus cordi eſt equini generis educatio, hos primùm conuenit prouidere de generoſis autoribus, deinde de pabuli copia, quæ vtraque in aliis pecoribus ad mediocritatẽ adhiberi poſſunt, at equi ſummam ſedulitatem, ſatietatemque largam poſtulant. Quare prius magna cura marem diligere oportet, quem admiſſuræ deſtinabimus: nam eum conuenit omnibus boni equi numeris abſolutum eſſe, & iis notis, quas in optimo, generoſiſſimóque equo requirere

velis:

velis: deinde non minore ſollicitudine matrem. Nobilitatem quidam exigunt à loco, quales Hiſpani, Neapolitani, Sarmatici, Peloponeſiaci, Turcici, Theſſalici: Sed hi magis ad curſum, & celeritatem comparantur. Corpore vaſtiore, & laboribus ruſticis atque admiſſuræ accommodatiores petuntur è Friſia, Batauia, Morinis. Forma autem equi & corpora diligenter cõtemplanda. Nam ipſa ſæpe inſpectio certas ſignificationes præbet naturæ bonitatis. Quare ab ipſis calcibus ad verticem exactè contemplanda forma. Et primùm quidem præcipua ratio. Nam vti fruſtrà elegantiam ſpectaueris ſuperioris ædificij, ſi fundamentum ſit ruinoſum: Ita equi neque militi, neque agricolæ, neque viatori vſui eſſe poterunt, qui pedum ſanitate deſtituuntur. In explorando igitur primùm vngula conſideranda, vt non tenera ac mollis, ſed dura ſit & ſolida, rotunda ac ſcutellata, ſic concaua, vt concauitas ſolo non impingat, nec lædatur, quæq; , vt ſymbolum, ſonitu bonitatem pedum declaret, teſte Xenophonte. Plenæ & carnoſæ im-

Equus quomodo contemplandus.

Pedes. Vngulæ.

pro-

probantur: & qui tales habent, claudicant facilè. Chelidonem vocat idem Xenophon vngulæ concauitatem, carnosas & pleniores citra cauitatē, χαμήλας. Quare vngulam asini probant plurimi. Ossa supra vngulam neque procera sint, vt caprarum, quæ succussatione sessorem affligere solent, & crura huiusmodi facilè inflantur: neque depressa nimis, ne salebrosis locis exulcerentur. Tibiæ atque crura, cùm sint fulcimenta totius corporis, conuenit esse æqualia, recta, scissa, citra venarum ac carnium obesitatem aut tumorem aliquem. Nam si carne & venis obesæ sint, ea duris itineribus facilè inflantur, & claudicationi occasionem præbent. Solidipedum crura statim iusta mensura nasci proditum, pòst exporrigentia se verius quàm crescentia: quapropter inde à pullo facilè metiri possis futuram equi magnitudinem. Genua teretia, flexibilia, nodosa, & parua, neque introrsum spectantia: Rigida vitanda: Femora sub armis crassa, pectus musculorum toris numerosum, latum, quod & ad formam, & ad gressus longiores

χελιδόνες. χάμηλαι.

Genua.

Femora. Pectus.

Ceruix. commendabile: Ceruix mollis, lataq́; non tanquam hirco prona, ſed inſtar galli gallinacei ardua & ad flexibilitatem idonea: Iuba denſa, per dextram, alij per ſiniſtram malunt, profuſam: Caput exiguum, macilentum: Nam grande & graue caput pigri ac hebetis indicium: Breuis promuſcis: Os amplum, lacerum, quodq́; frena glomeret mandendo, ſpumámque eiiciat. Sic canit Virgilius

Iuba.

Caput.

Os.

Stat ſonipes, ac frena ferox ſpumãtia mandit.

Sicci oris equi vitandi: Maxillæ ſint æquales & puſillæ. Nam ſi diſtent nimium, difficultatem frenandi ſignificant: Et inæqualitas buccarum facit, vt ſint ore contumaces, neque ceruicem inflectant, ſed caput turpiter protendant. Oculi magni, ſanguinei, atque igneum tuentes prominentéſque, quos ἐξοφθάλμους vocant, laudantur, tanquam vigilantes: & alacres concaui & exigui, κοιλόφθαλμοι, improbantur, ſicut & ſtellæ in oculis nigræ pallidæq́; vitantur. Deprehenduntur noctu ad lucernam luculentius hæc vitia. Columella nigros oculos laudat. Et hetero-

Oculi.

phthal-

phthalmi, ab alterius oculi varietate cõmendantur, qualem ferunt fuisse Alexandri Bucephalum: Auriculæ breues, arrectæ, micantes. Aures enim equorum animum indicare solent: quare grandes & flaccidæ reiiciuntur: Nares patulæ, siquidem hæc ad spirandum, quàm angustæ sunt accommodatiores, & spiritus ferocitatísque in equo significationem præbent. Armis sit grandibus & rectis, lateribus inflexis, Spina supra armos paulò elatior, præbet equiti commodiorem sessionem, & armi reliquúmque corpus firmius constringuntur, si illa duplex sit. Latera profundiora demissioráque, & ad aluum compactiora, ac turgidiuscula, sessorem melius excipiunt, & robotis censentur maioris. Lumbi quò fuerint latiores, hoc facilius attollit priores pedes, & posterioribus subsequitur, iliáque minora videbuntur, quæ vastitate sua partim deturpant, partim etiam debilitant grauántque equos. Venter sit substrictus: Clunes ampli & carnosi, ita vt pectori lateribúsque respondeant. Nam coxas & femora si habeat lata, ita vt posterio-

Aures.
Nares.
Armi.
Spina.
Latera.
Lumbi.
Venter.
Clunes.

ribus paululum diuaricari videatur, greſſum firmiorem præbebit: Id quod deprehendimus ſublutari aliquid è terra, diuaricatis, non compreſſis cruribus attollemus firmius. Teſtes habeat pares & exiguos. Caudam, longam & ſetoſam criſpamq́; : ἱππούρις Equiſetum, inde dicta; quod equinæ caudæ proprium maximè ſit. Longitudo enim non ad elegantiam ſolùm, verùm etiam muſcis & inſectis animalibus abigendis idonea eſt. Sunt tamen qui mutilis delectentur, præſertim ſi clunibus obeſis ſint. Breuiter, ſic corpus vniuerſum compoſitum requiritur, vt ſit grande, ſublime, erectum, ab aſpectu etiam agile, atque ex longo, quantum figura permittit, rotundum. Tradunt equiſones, generoſum equum plurium aliorum animantium membris exquiſitis conſtare debere, nempe capite & cruribus ceruinis, auribus & cauda vulpinis, ceruice olorina, pectore leonino: clunibus mulieris, pedibus aſininis. Virgilius noſter in ſuis Georgicis graphicè generoſi equi notas depinxit inquiens:

Cauda. ἱππούρις.

Equi forma à Virgilio abſoluta. Georg. 3.

Continuò pecoris generoſi pullus in aruis

Altius

Altius ingreditur, & mollia crura reponit:
Primus & ire viã, & fluuios tranare minaces
Audet, & ignoto sese committere ponto:
Nec vanos horret strepitus. Illi ardua ceruix,
Argutumq́ caput, breuis aluus, obesaq́ terga,
Luxuriatq́ toris animosum pectus, honesti
Spadices, glauciq́, color deterrimus albis,
Et giluo. Tum si quasonũ procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artꝰ
Collectumq́ premens voluit sub naribus ignẽ,
Dẽsa iuba, & dextro iactata recũbit in armo:
At duplex agitur per lumbos spina, cauatq́
Tellurẽ, et solido grauiter sonat vngula cornu.

Videtis quàm paucis versibus equi probati indolem virtutémque vniuersam absoluat Poëta. Sunt & alij mores, è quibus laudari solent, nempe hilares & feroculi, ex placido & concitato mitissimi, vt testatur Columella, quòd hi reperiuntur ad obsequia habiliores, & ad certamina laborum tolerantiores. Xenophon laudabilis equi argumentum esse scribit, post defatigationem si non recuset iterare laborem. Comperimus & hoc; quò quis acrior equus, hoc in bibendo profundius eundem nares mergere. Et pullus cum gregalibus in pa-

ſcuis crebro curſu contendẽs,& vt Poëta notauit, ſi fluuium, pontemve prior traiiciat, non reſpectans alios, aut glaciem non reformidet, inprimis laudatur. EVPH. Quinam colores maxime probandi? Poëta reiicere videtur albũ, quem ego à pleriſque plurimum commendari audio, maximè in Britannicis tellonibus, quos in deliciis videmus haberi quàm candidiſſimos. HIPPO. De coloribus variæ ſunt ſententiæ, atque in omnibus ferè coloribus, vt vulgo dicitur, & ignaui & generoſi reperiuntur, nec adeò refert, cuius ſit coloris, ſi alia ſigna bonæ indolis reſpondeant. Attamen elegantiæ delectus atque etiam virtutis plerunque in colore quæritur. Præcipui colores à quibuſdam numerantur puniceus, albineus, badius, ruſſeus, mureus, ceruius, giluus, ſcutulatus, albus, guttatus, candidus, niger. Puniceum ac ſpadicem hoc tempore maximè commendari video, qui & à Poëta præfertur aliis. Galli fidum vocant equum ſpadicem, *Le baiart loyal.* Commendabiliores, qui in fronte veluti ſtellam, & ſiniſtro aut alterutro pe-

Colores.

de

de pauxillum albedinis habeant aſperſum. Superioribus annis pomacei, ſcutulati atque guttati, cerulei, thalaſſei, atque cani, quos griſeos vocant, habebantur in precio non minus, quàm hodie ſpadices, & qui his proximi mucidi, vel cum albedine, vel rubedine, vel nigredine commixti. Prorſus albos à Virgilio improbatos Plato laudat. Alij nigricantes laudibus vehunt, maximè ſi, vt de ſpadice diximus, in fronte vel aſteriſcum, vel lineam albicantem, vel denique altero pede candoris aliquid habeant. Prorſus nigri ſine vlla macula, vitari ſolent. Guttati quaſíque muſcis obſiti pilis, præſtantes habentur, & ſolent plerunque laboris eſſe tolerantes. Gilui & varij, quos picas vocant, ab omnibus penè reiiciuntur, attamen vtrique ſi fortunentur, ſolent nõnunquam præſtantes eſſe, præſertim ſi gilui lineam nigram à ceruice ad caudam vſque, per ſpinam rectà ductam habeant. Reiiciuntur & varij, maximè ſi albedinis pluſculum habeãt. Admiſſarij vnius coloris, robuſto corpore, membriſque confirmatis & cæteris iam dictis indiciis

Admiſſarius.

Matres. conſpicui requiruntur. In matribus eaſdem ferè notas quærere oportet, quas in maribus, inprimis autem vt ſint vaſto corpore, forma eleganti, vnius & ipſæ coloris, ventre magno, & pectore, ac poſterioribus quadratis amplis. EVPH.

Aetas. Quænam ætas ad generandum idonea? HIPPOC. Admiſſarius adhiberi poteſt, cùm iam membris eſt cõſummatis: nam præmaturi, fœtus imbecilliores reddunt. Bimo vtrinque vulgaris coitus, at à trimatu firmior, & vſque ad annos viginti admiſſarius idoneus: generaſſe etiam ad annos quadraginta, adiutum in attollenda parte priore corporis: non enim tempus, ſed ingenium auferre libidinem, Ariſtoteles tradidit ante Plinium. Sunt tamen, qui ante quartum aut quintum annum non putant admittendum, ſed roborandum largo cibo, vt Veneri ſuperſit, quantóque fortius inierit, tantò firmiora ſemina præbet futuræ ſtirpi: nec minus quàm ſedecim, nec plures quàm viginti, implere volunt. Herodotus tradit, vicenis matribus vnum admiſſarium ſufficere. Neque tamen æqualis numerus adhibendus

dus, ſed admiſſarij æſtimandi, & ſubmittenda coniugia vel pauca, vel plurima, vt durare in plures annos poſſit: Iueni firmoque corpori non vltra 15 aut 16. Mediis aliquibus ſpatiis conuenit admiſſarium ſeparari, propter noxam furoris alterni, habita interim corporis ratione. Sunt enim alij aliis imbecilliores viribus. EVPH. Fœminæ qua ætate admittuntur? HIPPOC. Fœminas bimas concipere poſſe, ſed præſtare trimas, vt poſt tertium aut quartum annum enixa fœtum educat: eamque poſt decimum annum putant non eſſe admodum vtilem: nam ex annoſa matre, tardam & inertem prolem procreari. Vndenis menſibus ferunt, duodecimo gignunt. EVPH. Aetatem vnde cognoſces, ſi de ea hæſitaueris? HIPPOC. Eam cùm alia, tum præcipue dentium ſignificatio prodit: atque ij dentes, qui ætatem notant, γνώμονες Græcè vocantur, qui vbi exciderint, equus neque delectat ſpe, neque reuendibilis eſt. Ariſtoteles tradit, equorum dentes 40 eſſe, quorum quatuor menſe triceſimo mutantur, bini vtrinque, ſuprà dico & ſub-

Equarum partus tempus.

Dentes γνώμονες.

Aetas è dentibus

ter. Incipientes quartum agere annum itidem reiiciũt infernè & ſupernè duos ab vtraque parte: perfectis quatuor annis,& inſtante quinto, reliquos eiiciunt ſuperiores, & inferiores, eos, qui naſcuntur, cauos habent. Sextum annum ingreſſo primorum cauitates explentur,ſeptimo omnes expletos habet, neque vlla deinde cauitas reſtat: quare deinceps nulla è dentibus cognitio. Sunt, qui ex iuncturis caudæ iudicent, vbi ætas in dentibus agnoſci deſinit. Palladius prouectioribus tempora cauari, ſupercilia caneſcere, denteſque prominere tradit. Ariſtoteles ait, ætatem quadrupedum cognoſci, ſi cutis prætenta maxillis detracta, mox relaxata, illico in ſuum redeat locum: id indicium iunioris: contrà, ſi rugata maneat,veteris. Vitæ tempus vt plurimum ad 20 annos, nonnullis ad 30 aut 40 atque adeò ad 50. vt Ariſtoteles tradit, ſi & naturæ bonitas, & cura diligens accedat. Proditum eſt, vixiſſe equum 75 annos. Fœminæ minore quàm mares ſpatio, & admiſſarij, quàm alij mares, propter coitum,viuere traduntur. Creſcen-

Vitæ tempus.

ſcendo finem faciunt equæ quinquennio, mares ſexennio aut ſeptennio.

EVPH. Quænam exiſtimas tempora admiſſuræ idonea? HIP. Ab æquinoctio per vernum tempus cùm primis opportunũ eſt, adhibere admiſſarium equarum deſideriis. A vere autem reliquiſq; anni temporibus remouendum à fœminis putant quidam, ne, aut cùm volent, aut ſi id facere prohibeantur, noxam ineant: ſiquidem vbi conceperint equæ, à coitu abhorrentes, mares calcitrando repellunt. Pleriſq; tamen locis per totam æſtatem cum matribus committitur admiſſarius in paſcua, atque id vtilius eſſe palàm, nimirum vt ad deſideria equarum adſint: cùm interdum equæ non ante æſtatem vel Auguſtum marem admittant, & Auguſtales pulli ſæpe feliciter adoleſcant: Tametſi vere editi pulli magis optandi, quòd ij per totam æſtatem cum matribus educentur in lætis paſcuis, & matres eodem tempore, quo conceperint, herbidis campis per annum paruo cum labore fœtum educent: nam duodecimo menſe partum edunt, vt ex Ariſtotele paulò

Admiſſuræ tẽpora.

antè

antè indicauimus. Eoq; tempore maximè obſeruãdum, vt tam fœminis quàm admiſſariis coëundi fiat poteſtas: quoniam hoc præcipuè armentum, ſi prohibeas, libidinis excitatur furiis; vnde & veneno nomen inditum, Hippomanes, quòd equinæ cupidini ſimilẽ mortalibus amorem accendat. Id in fronte, caricæ magnitudine, colore nigro naſcitur, quod ſtatim deuorat mater edito partu: ſi præripiatur, partum aut non diligit, aut non admittit ad vbera. Nec dubium, quin flagrent aliquot regionibus equæ tanta libidine, vt etiam ſi marem non habeant, nimia cupiditate figurantes ipſæ ſibi venerem, cohortalium more auium vento concipiant: Id quod Poëta notat:

Hippomanes.

Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum.

Vento enim concepiſſe in Hiſpania equas, proditum, fœtumq; educaſſe, ſed triennij vitam non excedere. Ariſtoteles, iuba tonſa libidinem equarum extingui ſcribit. EVPH. Quid ſi equa marem non patitur, num remedio aliquo excitatur? HIPPO. Sunt, qui Scylla, vel vrtica, vel erithonio herba, naturalia linant,

Vento cõcipere.

linant vel confricent, eaq; re libidinem accendant. Nonnunquam ignobilis quoq; & vulgaris elicit coëundi appetitum: nam vbi admotus ferè tentauit obsequium, fœmina abducitur, & iam patientiori generosior equus imponitur. Sin mas ad venerem iners, odore perfricatur, detersis spongia fœminæ locis, & admota naribus equi. Si marem velimus progenerari, sinistrum testiculum admissarij funiculo obligemus, cùm fœminam, dextrum. Idem in omnibus propè pecudibus obseruandum. EVPH. Quoto initu implentur? HIP. Non certo numero omnes æquè implent, sed aliquando vno, aliquando duobus aut pluribus. Aiunt vltra quindecim initus vnius anni equam non tolerare. Sæpe quatuor, aut quinque, atque etiam paucioribus contentæ sunt. Admittendæ per interualla bis in die, mane & vesperi. Cùm satis sit, ipsæ matres declarant calcitrando. Aiunt cognationis sensum inesse huic bruto, & adduci difficulter posse, vt equus matrem insiliat. Proditum est, cùm quidam velato capite coëgisset matrem inire

Mas vt generetur.

Cognationis sensus in equis.

inire admiſſarium, ſublato velo, cùm matrẽ agnouiſſet, impetu in prorigam facto illum mordicus interfeciſſe. A coitu mox equa ad curſum adigẽda verberibus, ne genitalem vrinam profundat. Equam ſolam animalium à coitu ad Aquilonem, Auſtrúmve currere perhibent, prout maſculum, aut fœminam cõceperit. Colorem illico mutare rubriore pilo, vel quicunq; ſit, pleniore, hoc argumento deſinunt admittere. Solent poſt dies aliquot admiſſionis rurſum equæ adduci, quòd ſi iam conceperint, admiſſarium repellent, vt paulò antè dictum. EVPHOR. Quotannis ne implendæ? HIPPO. Auaritia noſtra ſingulis annis cupit equas fœtas eſſe. Verùm ſi præſtantes velis habere pullos, ſolùm alternis ſubmittas, quò perfectior firmiorque partus fiat: vulgò tamen quotannis fœtum educare ſolemne. EVPHOR. Aſinum quoque conſcendere equas videmus. HIPPOC. Maximè: nam hinc mulum gigni duodecimo menſe, infrà dicetur. Sunt, qui velint iubam equæ attonderi, quæ aſinum admittere debeat, tametſi alij libidinem ex-

An quotãnis implendæ equæ.

De aſino admittendo.

extingui detonsa iuba tradant. Prægnantibus equabus cura adhibenda, largoque pabulo firmandæ. Quod si frigore hyemis herbæ defecerint, tecto contineantur, ac neque opere, neque cursu exerceantur, neque frigori committãtur, nec in angusto clausove coërceantur, ne aliæ aliarum conceptus elidant. Nam hæc incommoda omnia fœtum abigunt. Moderatis tamen laboribus exercere prægnantes nihil vetat, imò præstat, quàm ociosas alere: siquidem ocio refractariæ redduntur, & fatigantur citius. Aristoteles scripsit, Scythas equitare grauidas, cùm primùm se mouere incipit fœtus, nimirum ad partus facilitatem id proficere arbitrantes. Cauendum tamen, ne venter allidatur repagulis, fœtu onerosis. Quod si aut partu, aut abortu equa laborat, remedio erit filicula trita, & aqua tepida permista, dataque per cornu. Proditum est, abortum facere ex odore extinctæ lucernæ. Quotannis delectus faciendus, & inutiles equæ, & quæ gignere desinunt, destituendæ. Nam à prima fœtura vltra decimum annum non

Prægnantes quo pacto tractandæ.

Delectus habēdus.

Pullorum tractãdorum ratio.

non ſunt ſeruandæ. Tum enim adhuc viribus pollent, & poſſunt alienari, poſt non item. Editi pulli manu non ſunt contingẽdi. Læditur enim vel leuiſſimo contactu. Curandum, vt, ſi in ſtabulis adhuc mater, ſpatioſo ſatis & calido loco verſetur cum matre, ne aut frigus infirmo noceat, aut mater in auguſtiis eum obterat. Congrua igitur vtrique loca deligenda, vt neque frigore, neque calore nimio affligantur. Paulatim deinde producendus erit pullus, prouidendumque, ne ſtercore vngulas adurat. Mox cùm firmior fuerit, in eadem paſcua, in quibus mater eſt, dimittendus, ne deſiderio partus ſui laboret equa: ſiquidem id præcipuè genus pecudis amore natorum, niſi fiat poteſtas, noxam trahit. Orbus ſæpe à reliquis fœtis educatur. Matres lætioribus paſcuis alendæ, quò pullis vberior lactis ſuppeditetur alimonia. Quinquemeſtribus factis, cùm in ſtabulum reducti fuerint, obiicienda farina hordeacea molita cum furfuribus, & quicquid aliud tenue natum, libenter edent. Anniculi vel in paſcua læta mittendi, vel furfures,

& pa-

& paleæ atque fœnum præbenda. Varro non prius nisi biennes factos, à lacte remoueri voluit. Quanquam autem non probemus præproperè amouendos, tamen à quinto aut sexto mense remouere solemus, & lætis pascuis cõmittere: ea consuetudo non incommoda, receptaque est. Porrò quàm diu cum matribus sunt, vtile fuerit pullos tractare nonnunquam, ne, cùm à matribus disiuncti fuerint, exterreantur, aut homines exhorrescant. Docendi sunt, non irasci, & homines non solùm amare, verùm desiderare quoque, discant, varios aspectus non horrere, etiãsi strepitus fiant, non terreri, sed appropinquare. Xenophon ait, vti pueros pręceptoribus, ita pullos oportet domitoribus committere, ac præscribere, quibus exercitiis imbuendi. Sunt enim varij equorum vsus, & ad suos quique instituendi. Sed de his aliâs, cùm de re equestri, equisque domandis vberius dicetur. Iam de iis solùm differemus, quibus apud matres & rusticis exercitiis imbuendi sint. Vt autem mansuetiores fiant, frena aliáque instrumenta

equestria in vicino suspendenda, vt oculis consuescant & videre eorum faciem, & è motu audire crepitus. Cùm verò ad manus iam accedere cõsueuerint, Varro docet, interdum imponere his puerum bis aut ter pronum in vẽtrem, postea sedentem: hoc facere cùm sit trimus: tum etiam maximè crescere & lacertosum fieri. Sunt, qui existiment, post annum & sex menses equulum domari posse: Varro post trimum, à quo farrago dari cœperit. Nos à secundo anno moderatis laboribus assuefacimus, primùm occando in agro prosciſſo, quod & pedibus prodest, & gressui: ac deinde aratro, aliisque paulatim quibuslibet, & frigori caloribusq; cum temperamento præparamus. In iungendo operi hoc curandum, vt pares viribus iungantur, ne valentioris robur alteri procuret exitium, hortamen clamoris & verberis metuentis. Trahendo minus læduntur quàm portando. Subinde laboribus moderatis equũ exercere vtile. Sic enim assuefactus non tam facilè lædítur. Sed cura vigilanti opus. EVPHO. De castratione quid sentis?

Quando domandi, & laboribus admouendi.

Trahendo minus quàm portando lædi equos.

Castratio equorum.

sentis? plurimis enim hîc vtimur castratis. HIPPOCOM. Est quidem horum vsus aliquis, sed qui bonum cantherium habere velit, hunc bonum (vt dicitur) equum castrare oportet. Castrantur anniculi atque etiam grãdiores: nos aliquando quinquennem, aut sexennem castrauimus. Atqui castrati animum amittunt. Obseruandum, vt sint benè habiti corporis: nam ferè manet ea habitudine, qua est, dum castratur. Castrantur & equæ, sed rarius, & maiori periculo. EVPH. Equilia qualia esse conuenit? audiui aliquoties multum referre, quo pacto stabuletur equus. HIPPO. Stabula equorum sint loco sicco, ne humore madescant vngulæ, quod facilè vitabimus, si stabula aut roboreis axibus, aut, quod Xenophon mauult, lapidibus rotundis constrata sint, ac subinde humo atque fimo emundata, rursumque stipulæ stramentaque insternantur, ita vt stantibus durum, cubantibus molle sit stabulum: altius substernendum, vt molliter cubent. Stabulum ita constitutum, ante oculos esse Xenophon vult, vt in conspectu sit Domini.

Stabula equina.

Luminis plurimum equilia habere debent, ne tenebris assueti, cùm in lucem producuntur, caligent. Sunt, qui existiment, mansuetiores & minus horridos fieri, si lumen crebrius spectent: & nitidiores fieri, si ad matutinum solem pabulum capiant. Aestate in aperto tam noctibus quàm diebus libera aura præstetur. Hyeme tepere magis debent stabula, quàm calescere. Quare meridianas plagas equilia respicere conuenit, vt tamen non destituantur septentrionalibus luminibus, quæ per hyemem clausa non offendant, per æstatem patefacta refrigerent. EVPHOR. Idem etiam bubulo pecori conuenit. HIPPOCOM.

Fricatio.

Porrò non minus corpora pecudum quàm hominum sunt defricanda: sic sæpe plus prodest, pressa manu subegisse terga equi, quàm si largissimè cibum præbeas. Fricare atque abstergere equum oportet tam mane quàm vesperi, & quoties ab opere vel equitatione in stabulum reducitur. In distringendo ordiemur à capite ac iuba, frustra enim inferiora nitemur repurgare, si superiora immunda fuerint. Plurimum autem

refert

refert, idoneis temporibus pecus ad præsepia, ad aquam, ad exercitia ducere. De exercitiis iam diximus. De pabulis restat sermo, & quia de pascuis supra dictum, de reliquo pascendi modo dicere conuenit. Vt quisque generosiores habere velit equos, hoc meliore pabulo alere debet, siquidem pabulum ipsam generositatem plurimum adiuuare, rustici affirmare solent. Si iuuenis sit equus, vt suprà de pullis dixi, herbis, paleis & fœno pascatur; adultior verò & ad labores perferendos aptus siccioribus pabulis vtatur, puta paleis, hordeo, auena & fœno. Paleis propter siccitatem non ita alitur, sed moderato tamen corporis habitu conseruatur: Et quia durum pabulum difficilius dissoluitur, ideò ad laborem commodius. Gregibus spatiosa, & palustria, nec non montana pascua deligenda sunt, rigua, nec vnquam siccanea, vacuáque magis, quàm stirpibus impedita frequenter, mollibus quàm proceris herbis abundantia: vulgaribus equis passim pasci permittitur. Si nimis breui gramine pascantur, citius dentes atterunt anterio- Pabula.

res,& ante iuſtum ſenium edentuli reddũtur. Cùm autem omne animal naturaliter humidum ſit, equus inprimis ſiue iuuenis , ſiue ſenex, refici debet humidioribus herbis, vt naturalis conſtitutio conſeruetur. Cauendum exiſtimant quidam, ne herbæ aut gramina dentur vere: Tempore autem autumnali herbas præbendas cum ſuo rore, noctu nihilominus auenam, vel hordeum atque fœnum danda. Atqui locis frigidioribus in Germania, Gallia,& Britannia, vbi paſcua magis ſunt tenera,verno æſtiuoque tempore non dubitant viridi pabulo defecto , ac herbis pratenſibus equos purgare. Calidioribus regionibus etiam farragine idem efficiunt. Sunt, qui conciſa poma præbeant purgandi cauſa. Atque hæc purgandis equis cura. In vniuerſum autem, qui equum velit habere ſanum & ad labores durabilem, is præbeat auenam cõciſis ſtraminibus mixtã: ſic enim mediocriter & benè paſcitur. quòd ſi labores augeãtur,purior auena dari poterit. Præbendum autem pabulum demiſſo loco quidam contendunt: & nos pleriſque

Purgatio equorum.

que locis externis vidimus sic constituta præsepia, vt cum quadam difficultate ac labore annonam aut fœnum capiant. Id enim conducere, vt flectendi extendendiq; vsu exerceantur, & ceruicem atque caput grandescere hoc exercitio, ac deniq; ad frenandum habiliores reddi equos, statuunt. Adde hac cura robustiores fieri propter assiduam priorum pedum impressionem: tametsi pluribus locis præsepia editiora exhibentur. Qualiacunq; sint, semper munda seruentur, & ante, quàm pabulum præbeatur, expurgentur. Hippocomi, qui ad quæstum equos alunt, quò vendibiliores reddant, siliginem decoquũt in pabulum, aut fabaceam farinam, iisque deliciis nitidos reddunt: verùm ad laborem hæc non probãtur: Optimum pabulum auena, aut, vbi hæc non suppetit, hordeum. Cauendum ne triticum, aut siligo, aut sicca legumina dentur. Præbendum autem pabulum pluribus potius portionibus, quàm semel aut bis immodicè aut profusius, ne nimia satietate pabulum fastidiant, præstat enim subinde pauxillum obiicere,

vt eo abſumpto plus deſiderent. Quinquies ferè paſci ſolent quotidie, quando in ſtabulis continentur, ſpatiis horarum æqualiter partitis. Quoties laborant, rarius, ſed largius paſci poterunt: ſi itineribus longis fatigentur, noctu etiã reficiendi ſunt. Semper, vt dixi, cauendum, ne nimia ſatietas faſtidium pariat. Qui pabulum auidius vorant, laborioſiores eſſe ſolent. Obſeruandum quoq;, ne ſudanti, & è labore maximè itineris incaleſcenti, auena aut hordeum præbeatur antè, quàm refrixerit: fœnum autem præbere mox, nihil prohibet. Fœnum autem ſit grati odoris ac benè ſiccatum: excutiatur, antequàm præſepibus imponatur, & inprimis diſpiciendum, necubi plumæ auium adhæreant. Equus ſi vehementius incaleſcat, prius quàm præſepibus alligetur, ſurſum deorſúmque opertus ducatur pedetentim, vt paulatim refrigeſcat. Alligato ſubſternenda ſtramenta, ne ſoli frigiditas offendat. Neque in aquam mox à labore ducendus, ſed cùm iam à ſudore refrixerit, tum demum & potandus, & abluendus, reductíque crura abſter-

Equorum à labore cura.

abſtergenda, defricandáque. Equo autem recuſante ac faſtidiente pabulum, quidam allium cum pipere contuſum præbere, dentéſque fricare ſolent tantiſper, dum ad pabuli deſiderium redeat. Alij linteum intinctum aquæ ſalſæ, alligatúmque bacillo, in fauces inſeri præcipiũt. Lupini (vt vocant) dentes ſi enaſcantur, qui impedire ſolent pabuli appetentiam, hos abradere conuenit. In potando non negligenda cura. Ariſtoteles ſcribit, pro aquæ ratione iumenta & pabulo paſci, vt vel faſtidioſius, vel appetentius paſcantur atque alantur. Equi & cameli turbulentam ſuauius potant, adeò vt pede ſæpe limpidam interturbent, boues contrà limpidam & fluentem malunt. Equum quatriduo ſitim tolerare idem Ariſtoteles teſtatur. Varro bis potandos equos præcipit in die, idq; nos obſeruamus, nempe ſemel antemeridiano tempore, & pomeridiano iterum. At brumæ tempore ſemel potaſſe ſufficere poteſt. Equus aquandus prius extergi ſolet, ac deinde in aquam duci vſque ad genua, maximè ſi macilentus ſit: pinguem altius ingre-

Cibum recuſans equus.

Lupini dentes.

Aquam pede turbatam potant equi.

De aquando equo.

di nihil oberit. Sunt tamen plerique, qui existiment, non sic altè ducendos in aquam, vt testes aqua mergantur, præsertim si iuuenis sit equus. A Martio, & verno tempore in aquam fluentem sursum deorsum ducere ad agilitatem pedum & exercitium, non inutile. Nam aqua exiccat crura, coërcendo humores, quò minus deorsum ad crura descendant, inflationesque & gallas reprimit. Reducti ab aqua crura straminis manipulo extergenda, quòd fumositas stabulorum cruribus madidis inflammationes inducere soleat. Aquam Vegetius probat limpidam & perennem: ab aliis magis probatur leniter fluens, mollis & turbida præsertim ex argillosa terra: nam hanc aquam propter crassitudinem plus nutrire, magisque reficere equos, quàm rapidos fluuios: attamen assuetos limpidis rapidisque, ac durioribus aquis, robustos fieri ac laboriosos. Quare animaduertere hac quoque in parte oportet, vbi equus enutritus. Aquæ quò frigidiores, hoc minus alunt equos. Quò plenius equus biberit, hoc reddi creditur habitior. Proin-

Aquæratio.

de

de abluere os prius & fricare ſale made-facto ſolent hippocomi : quoad potus pabuliq; deſiderium accendatur. EVPH. De morbis curandis addas quæſo: nam Ariſtoteles tradit, equos tot morbis infeſtari, quot homines. HIPPO, Quod ad vitia & morbos attinet, prudentius eſt cauere, ne vitiis fiant obnoxii, vt diligentia præuertat morbos, &, vt Vegetius inquit, ſtudio incolumitatem tueri, quàm ægritudinis remedia præſtare. Id autem fiet non difficulter, ſi ea, quæ de pabulo, de aquando, deq; ſtabulis & exercitiis, aliiſque adminiſtrationibus paulò antè diximus, curare non grauemur. Qui probatum equũ habere velit, & citra noxam conſeruare, eum oportet ſuum pecus crebrò viſere, adire, contrectare, fricare, (Id enim manſuetudinem docet & cutem exhilarat) atq; adeò ſemper eſſe memorem prouerbij, Oculum domini ſaginare equum : breuiter, ſic in conſpectu habere, vt citius domini de penu aliquid ſubduci poſſit, quàm de præſepio pabulum, vti præcipit Xenophon. Nam qui equum negligit, ſeipſum negligit.

De morbis, & qua cura incolumitas conſeruetur.

Oculus domini ſaginat equũ.

Mode-

Exercitiũ equo vtile

Moderatum exercitium, & quotidie producere in campum, ſi cælum patietur, vtile fuerit. Perinde enim negatum, quàm immoderatum exercitium nocet. Matutini labores magis congruunt, quàm veſpertini. Neque hyeme, neq; æſtate equus immodicè fatigandus: nam ſudoribus nimiis agitatus, moxq; refrigeſcens facilè noxam contrahit. Quare hîc repetendum, ſi à laboribus & ſudore vehementius equus incaleſcat, coopertus aliquandiu ducatur leniter, vt paulatim refrigeſcat, ante quam ad cibum, aut potum admittatur. Vbi refrixerit, in aquam ducendus atque abluendus. Reducto ſtramenta munda ſubſternenda, crura abſtergenda, atque inde pabulum præbendum.

Laſſi equi cura.

Laſſitudini quies remedio eſt, & à ſudore ſi æſtus ſit, poſca, ſi hyems, muria os ablui vtile putatur: quandoquidem harum rerum neglectu ſæpe optimi corrumpuntur equi. Vinum quoq; & oleũ faucibus infundere æſtate frigidum, hyeme tepidum, poſt Vegetij prȩcepta, rei experientia docuit: fatigatum equũ, ſi neceſſitas requirat longius ire, infuſo

in

in fauces vino roborari experimur. Incalescentem ex itinere aut labore, non oportet potare. Attamen si nõ nimium sudat, & rursus equitetur, non perinde noxium. Tutius tamen sitire, quàm æstuantem potare frigidam. Equus si diutius steterit, ac quieuerit, non est subitò ad cursum extimulandus, neque mox longis itineribus frangendus, sed paulatim labor augendus. Equus fatigatus mirum in modum recreatur, adeò vt recens appareat, si vel in stabulo, vel alio mundo loco, extra ventum aut pluuiam, vltro se volutet. Quare Xenophon vicinum stabulis locum volutationi idoneum postulat, quo à laboribus soluti volutentur equi, quandoquidẽ hoc exercitio & salubritas indicatur, & quasi restituitur. Danda etiã opera, vt vesperi diligenter curentur equi, atq; sudoribus extergantur, vt noctu quietẽ habeant. Hyeme laneo stragulo operiẽdi, propter frigus, æstate lineo, propter muscas. Cauendũ, ne lõgioribus itineribus vel laboribus, vrinæ reddẽdæ potestas denegetur, sed mox hora vna ab inchoato vel itinere, vel labore, excutiendo

Incalescẽtem non aquandũ.

Volutationis vtilitas.

Tegumenta equorũ

Vrinæ reddendæ cura.

do lotio ſiſtatur. Ducendus extra viam, & ſi concedatur, in fimetum maximè ouilium. Quod ſi vrinæ reddendæ impedimento crucietur, fomenta eadem admouẽda, quæ frigori, nempe oleum immiſtum vino, ſuper ilia & renes infuſum. Item pediculus peni immiſſus, aut etiam ſmigma podici inditum auxiliari comperitur. Quæ ſi non profuerint, melle decocto & ſale collyrium tenue foramini, quo meat vrina, inditur. Sunt qui de bitumine collyrium naturalibus inſerere præcipiant. Aelianus ſcribit, retentam in equo vrinam ſolui, copioſéque reddi, ſi virgo zona, quam geſtat, faciem equi feriat. Pedum (quæ præcipua cura eſt) incolumitas conſeruabitur, ſi, vt ſuprà indicauimus, ſtabula rotundis lapidibus, vel axibus conſtrata diligenter mundentur. Subinde chelidoni aut plantis ſtercus bubulum, vel, ſi hoc deſit, equinum indatur, & tibiæ deorſum defricentur ſtraminis manipulo conuoluto. Vt autem vngulæ creſcant, vel attritæ reparentur, allij capita in vncias 7. rutæ manipulos tres, aluminis tuſi & cribrati

Pedum cura.

vncias

vncias 7. axungiæ veteris pondera 2. ſtercoris aſini plenam manum commiſceas, ac decoquas, & vtaris. Ab itinere pedes diligenter expurgandi, ne quid luti, vel ſordium inhærere patiamur. Vnguento vngulæ attritæ reficientur eo, quo diximus, modo. Articuli quoque, vel ſuffragines poſt iter calido foueantur vino, vel ouum vnum aut alterum incutiendum pedum plantis: ipſæ tibiæ cereuiſia calida, aut ſimili fomento confoueantur. Si alterum pedem protendat equus, neque æqualiter ſtet, indicium eſt alicuius vitij, ac infirmitatis. Claudicare contingit equum, vel quia vngulæ ex itinere attritæ, vel ferraturæ vitio, vel etiam ex ocioſa in ſtabulis humorum collectione, vel denique è gallis, atque crurum aliqua læſione. Quod ſi è ferratura claudicet, malleo concutito ſingulos clauos, & in cuius ictu ſenſeris vitare, eum clauum eximito: vel frigidam infundas vngulæ, &, qui primus è clauis exiccatur, hunc euellas. Si pus ſit, id exprimas, atq; inde picem cum axũgia veteri benè coctam imponas. Oportet autem ſolum vngulæ aperi-

Vitij ſignificatio in equo.

Claudicationis vitium.

aperire celeriter, vt per inferiores partes, si sit apostema, digeratur, ne per coronulas faciat eruptionem, quod difficilius & lentam curationem admittit. Signis autem id deprehenditur, nam priorem pedem planum ponet. Quod si suspendat, pedem subrades, & locum, quem videris nigriorem, digito pulsabis, si cesserit in dolore, & maturuerit, aperito, saniemque emittito. Si claudicat introrsum, nec premat nisi extremitates, indicium est vngulæ laborantis. Sin toto pede æqualiter terram calcat, alibi quàm in vngula laborat. Claudicans non flectens iuncturas, læsionem circa iuncturas indicat. In genere, si claudicat, sumito canabem cum oui albo atque imponito pedi, quo claudicat, & pòst ferrato. Si vulnus fecerit, puluerem ostrearum, & ærei vasis fuliginem benè tonsa, ad siccandum inspargito, vel album oui cum fuligine atque aceto imponito. Crepatiarum, vt vocant, vitium, quòd inter iuncturas & vngulam contingit ad similitudinem scabiei, oritur è stabulorum fumis & humoribus crurium madidorum: cura est eadem,

Crepatiarum, & Grapparũ cura.

dem, quæ Grapparum, quod ipſum quoque vitium in iuncturis pedum, rumpens carnes & pus generans. Euulſis pilis, lauetur locus cereuiſia tepida, vel aqua decoctionis maluæ, ſulphuris, & ſepi arietini, quorum ſubſtantia obligetur iuncturis læſis veſperi atque mane. Vel cum ſepo arietino, aut hircino, axũgia, ære viridi, ac ſulphure viuo, bolo, ſapone vel ſmigmate decoctis, factoque vnguento, linendum quotidie bis, lauandúmque vino tepido, inde exiccato loco iterum vngendum: abſtinebitur ab aqua. Vini quoque feces curandis crepatiis adhibentur. Suffrago vitium equi in poſterioribus cruribus curatur hordeacea farina impoſita: *vulgo Spatt*: Gallarum, vt vocant, inflationes & tumores in tibiis, quas alij aquatilia, alij ozenas appellant, excindendo & cauteriis curantur. Nonnulli eas in aqua frigida rapidáque ſi equus crebrò ducatur, conſtringi, & reprimi exiſtimant. Item lauare ſale, aceto, axungia, & oleo per dies aliquot obligando, vel ſcarificatione curare ſolent. Externa aduſtionibus curantur. Si dor-

Suffrago.

Gallarum cura.

ſum è ſella vel tumeat inflatum, vel læſum fuerit, Vegetius iubet cepas in feruenti aqua decoctas, atque ſic feruentes, quantum corium ſuſtinere poteſt, imponere, faſciáque illigare tumori, & vna nocte tolli inflationem. Item ſalem tritum cum aceto miſcendum alij volunt, additóque vitello oui, & loca, quæ tumere cœperint, perfricanda, atque ſic deſtricta ſiccabuntur: Etiam herbam piperitidem contuſam cum ſucco ſuo imponunt, & mox reſidere tumorem, experientia docuit. Dorſum vulneratum lauetur cereuiſia & butyro liquido. Eſt morbus, qui frequenter infeſtare ſolet equos, quem alij ſyncopen, alij ſtenachoriaſin, alij cydicum morbum, alij aliter appellant, vulgò **Feivel** vocatur, quo ſi corripiatur equus, aurem deprimito, & vbi deſinit auriculæ extremum, incidito phlebotomo, vel ſcalpello ſaniem expurgato: ſed cauendum, ne vena, quæ eſt paulò ſuperius, incidatur. Si equus incaleſcens, vel potu, vel vento lædatur, (vulgus Germanorum **Verfangen** vocat, tetanicus dicitur tum à rigore membrorum:) ſunt qui

Dorſi attriti cura.

Syncope. Stenachorialis.

Verfangen

qui diſtentionem putent Vegetio, aliis infuſticationem appellari) remedium: Conciſam in fruſta minuta muſtelę pellem, addito butyro recenti, ouoque putrido cum aceto, commixtaque per cornu infundito: pòſt madido ſtragulo contectus equus ſtet, donec incaleſcat. Ventris & inteſtinorum dolor ſedari creditur equo & mulo anatum aut nantium conſpectu. Vt à muſcis non infeſtentur iumenta, ſucco foliorum cucurbitæ iumentorum pili intingantur æſtate media. Solent & lumbrici iumentorum inteſtina affligere: indicium erit, ſi ſubinde ad aluum reſpiciant, ſi crebrò volutentur, ſi caudam iactent. Remedium adhibetur cornu ceruinum, aut ſabina trita, atque cum aceto per cornu data. Columella iubet manum per anum inſerere, & fimum eximere, ac deinde anum aqua marina, vel muria lauare. Rheuma, ſiue catarrhus equum reddit pigrum & languidum, nihilominus duci equitarique patitur, eſtque labor mediocris non inutilis: tepida potetur aqua, iniectis triticeis furfuribus: quò magis excreauerit

Diſteutionis cura.

mucos, hoc melius habebit. Sunt morbi aliquot incurabiles, & quorum ratione ex Aedilitio Edicto redhibitio debetur, nisi aliter cautum sit in stipulando. Quales Asthmatici, suspirioſi, lunatici, serpigine vel intertrigine infecti, vermem appellant, qui morbus, si ad testiculos vsque proserpat, incurabilis existimatur. Adduntur gallæ intrinsecæ vel introrsum manantes. Asthmaticum curari quidam negant, quòd phthisi homini mortiferæ assimiletur. Salus tamē promittitur, si principiis occurratur. Nam sanguinē in siccis morbis detrahere contrarium est. At vino & oleo commixtis tepefactisque perungatur totum corpus, & aduerso pilo vsque ad sudorem confricetur. Interna autem hac potione à prima die curandus est: Succum ptisanæ, adipem suillum remissum, & amylum molle ex passo decocta, per cornu danda, vt canalis gutturis maxillarumque compago laxetur: quo facto, loco calido statuatur. Item prodest hordeum viride, atque herba, quæ aridiratem temperet. Proderit & potio ex passo, ouisque crudis

Vermis morbus.

Asthmatis cura.

Passum vini dulcis genus. Columella lib. 12 cap. 39.

dis & butyro, thure atque croco, dulcibuſque, quæ aſperitatem mitigent. Interim quoque vngendus modo, quem diximus. Lunaticos curare ſtudent à temporum parte detracto ſanguine: Ad hæc quotidie oculum calido fomento curant foris: Intrinſecus collyrio thermantico acerrimóque per plures dies inungunt donec curetur. Scabiei & ſerpigini & intertrigini quidam adhibent cantharides contuſas, mixta ærugine inungendo, deinde ferro candenti, vel ſartagine corpus equi calefaciunt. Alij bis in die aqua calida ſubluunt, & mox decocto & trito ſale cũ adipe defricant, dum ſanies emanet: præcipuè ſalutarem aiunt adipem vituli marini inter initia: Si inueterauerit, vehementioribus opus remediis: adhibeatur bitumen, ſulphur, pix liquida axungiæ veteri commixtæ parique menſura decoctæ, ſubinde ſcabie reſiccata picéque liquida cum oleo illita. Infricatur & fuligo vlceri ex aheno. Pluribus & equi & bubuli pecoris morbis ſuccurrit radicula, conſiliginem vocant & pulmonariam, pectoris pelli inſerta, facto prius

Lunatici cura.

Scabies.

Serpigo.

Intertrigo.

Conſiligo

ſubula foramine. Aduerſus omnes equorum morbos probatiſſimam curam tradit Vegetius cẽtauream, abſynthium, peucedanum, ſerpillum, ſagapenum, betonicam, ſaxifragam, ariſtolochiam rotundam: æquis ponderibus tundas, & ſi febrit animal, cum aqua, ſi non febrit, cum vino optimo des, & ſingulis per ſextarium aquæ vel vini cocti prædicti medicaminis ſingula maiora cochlearia commiſceas, & per fauces ingeras. Deplere animalia veteres vetuerunt abſque neceſſitate, ne conſuetudo minuendi, ſi tẽpore alio omittatur, ſtatim morbum generet. Rectius ergo minoris ætatis animalibus & benè valentibus non detrahitur ſanguis, niſi è palato. Maturis non incommodum, cùm in paſcua mittuntur, ſed cautio adhibenda in ſecando, ne altius imprimas manum. Caſtrata prorſus non ſunt deplenda. Barbaricis equis feruntnullam adhibendam medicinam. EVPH. De equis iam ſatis: ad aſinos deſcendere tempus poſtulat. HIPPOCOM. Præpoſterus hic progreſſus: at quando ſic iubetis, hac quoque in parte non deero, vt

Deplendi ratio.

ro, vt tandem, meo penſo perſoluto, vos paria ſymbola conferatis. Aſinorum vulgaris cura, neque tamen aſpernanda, cùm propter varios vſus, quos præbent, tum propter paſcendi facilitatem. Nam qualicunque, & parabili pabulo contentum id pecus: foliis, ſpinis, ſarmentis, paleis, quibus omnes regiones abundant, etiam gliſcit: tum imprudentis cuſtodiæ negligentiam fortiter ſuſtinet, plagarum, laboris, famis, & penurię tolerantiſſimum, rariſque morbis afficitur: propter quæ tardius deficit, quàm aliud armentum. At huius animalis tam exiguæ tutelæ plurima & neceſſaria opera reſpondent. Nam & oneribus geſtandis dorſuarius aſinus equo par, vehicula trahit non nimio ponde- re, molarum, & conficiendi frumenti penè ſolemnis eſt huius pecoris vſus. Quare maximè ruri neceſſarius aſellus, qui & vtenſilia in vrbem, & ad molam frumentum geſtare ac reportare commodè poteſt. In Aegypto & Lybia, vbi leuior humus, etiam terræ proſcindĕdæ eius vſus: & delicatæ illic mulieres aſinis ſplendidè phaleratis vehuntur. Quin-

De Aſinis.

Aſini vſus.

etiam ad disciplinam docilis putatur, atque hodie in Cairo ad tibias saltare, & alia ludicra exercere, à circulatoribus edoceri traditur. In mercando, inquit Varro, vt cæteræ pecudes emptionibus & traditionibus dominium mutant, & de sanitate & noxa caueri solet,

Asini precium.

quadringentis nummis asinum emptum memoriæ proditur. In Celtiberia quadragenis nummorum millibus asinas emi Plinius auctor. Varro duo genera describit: Vnum ferum, quos onagros vocant, quorum in Phrygia & Ly-

Onagri.

caonia greges sunt multi. Onagri domiti præstantissimi sunt, maximè ad seminationem: facilè domari traduntur. Alterum mansuetum, de quo nobis sermo. Ex Arcadia optimos, quanquam Varro ex Rheatinorum seminio pullos præstantes produci scribit. Qui asinos educare vult, mares fœminaq; bona ætate, corpore amplo, seminio bono, firmósque deligat perinde atque in equis. Admissarij minimùm trimi sint. Nam à tribus annis ad decimum vsque,

Partus asinarum.

generationi idonei sunt. Partus à tricesimo mense ocyssimus, sed trimatu legiti-

gitimus: totidem quot equæ, & eisdem mensibus, & simili modo conceptum fœtum edunt. Sed incontinens vterus vrinam genitalem reddit, nî cogatur in cursum verberibus, à coitu. Rarò geminos parit. Paritura lucem fugit, & tenebras quærit, ne conspiciatur ab homine. Gignere aliqui tradunt tota vita, quæ durat ad trigesimum annum, Aristotele auctore. Admittuntur ante solstitium, & eodẽ tempore alternis annis pariunt. Duodecimo enim mense conceptum semen edunt. Prægnantes opere leuandæ. Venter enim labore, nationem reddit deteriorem. Mas ab opere non disiungitur, quòd salacissimus sit, & remissione laboris fiat deterior. Secundùm partum pullos anno non remouent à matre. Proximo anno noctibus patiuntur esse cum his, & leniter capistris, aliaúe qua re habent vinctos. Tertio anno domare incipiunt ad eas res, ad quas quisque eos vult habere in vsu. Partum impensè diligit mater, adeò vt per ignes ad fœtum tendere non dubitet. Sed aquarum tædium ei maius: si riuus intersit, horret ita, vt pe-

des omnino tingere metuat. Nec nisi assuetos potant fontes, qui sunt in pecuariis, atque ita, vt sicco tramite ad potũ eant. Nec pontes transeunt per raritatem plancarum translucentibus fluuiis. Non nisi spatiosa incubant spatia. Varia in somno visa concipiunt, ictu pedum crebro, qui nisi per inane permicuerit, repulsu durioris materię claditatem affert. Summis labris bibendo aquam attingere ideò creduntur, quòd aurium longiuscularum in aquis vmbram cernentes metuant, ne eas madefaciant. Frigoris id animal maximè impatiens. Claudicantes asinos curabis, si aqua calida totum pedem circumlaueris, & scalpello expurgaueris; quod postquam feceris, vrinam veterem calidam, in qua adeps maximè caprinus eliquatus sit, aut si is haberi nequit, bubulus, circumfundes, atque hoc facies vsque quò sanitatem adipiscatur. EVPHORB.

Claudicationis asini remedia.

Demulis. Aiunt asino & equa mulum gigni: è duobus diuersis generibus nata, tertij generis fieri, & neutri parentum esse similia. HIPPOCOM. Maximè. Atque etiam ex asina & equo mula, sed effrenis,

nis,& tarditatis indomitę:item ex equa & onagris manſuefactis, mulæ veloces gignuntur in curſu, & eximia pedum duritia, ſed rugoſo corpore, & animo indomito, generoſo tamen. Equas non minores quadrimis, neque decennibus maiores adhibendas aiunt. Generantur duodecimo menſe, ſicut & equi atque aſini, autore Ariſtotele: at Columella decimo tertio menſe vix parere ſcribit. Conceptum ex equo ſecutus aſini coitus abortu perimit, non item ex aſino, equi. Fœminas optimè à ſeptimo die impleri obſeruatum: mares fatigatos melius implere. Quæ non prius, quàm dentes, quos pullinos vocant, iaciat, conceperit, ſterilis intelligitur, & quæ non primo initu cœperit generare. Equo & aſina genitos mares hinnulos antiqui appellarunt, contraque, quos aſini & equæ gignerent, mulos. Mulos autem ipſos negant gignere: ſi quando pepereunt, id prodigij loco habitum: ſterilitatis cauſam exiſtimant, quòd ſemina contrariarum qualitatum ſterilia ſint. Id Ariſtotelem & plurimos philoſophos fatigauit, tametſi alicubi ille ſcripſit,

Hinnus.

pſit, in Syria mulas & coire & parere omnes. Atque huic aſtipulatur Theophraſtus, tradens in Cappadocia vulgò parere, & eſſe id animal ibi ſui generis. Idem comprobat Varro, & ante eum Dionyſius & Mago prodiderunt, mularum fætus regionibus Africæ non eſſe prodigioſos, neque raros, ſed tam familiares quàm nobis equarum. Verùm & forma & animo præſtantiora in hoc pecore, quæ equa & aſino generantur: etſi poteſt aliquatenus huic comparari, quod generat onager, niſi quòd indomitum, & ſeruitio contumax, ſylueſtri more ſtrigoſum patris proferat habitum. Quare hic nepotibus, quàm filiis vtilior, inquit Columella. Nam vbi aſina & onagro natus admittitur equę, per gradus confracta feritate, quicquid ex eo prouenit, paternam formam, fortitudinémque auitam refert. Mularum generi ſeminando deſtinandus, cuius ſpecies experimento ſpecioſior. Veruntamen aſpectu non aliter probari debet, quàm vt ſit ampliſſimi corporis, ceruice valida, robuſtis & latis coſtis, pectore muſculoſo & vaſto, feminibus lacer-

Mulas alibi parere.

lacertosis, cruribus compactis, colore nigro ac maculoso. Nam murinus cùm sit in asino vulgaris, tamen non optimè respondet in mula. Sunt qui tradant, quo colore sobolem quis habere velit, eo colore pallium circumponendum admissario. Asinus autem, vt est descriptus, in admissuram educandus: eum statim à partu genitum matri subtrahere oportet, & ignorãti equę subiicere, vt diximus: fallitur autem equa obscuro loco, partu proprio amoto: & alius quasi ex ea natus alitur. Cui cum decem diebus insueuerit equa, semper deinde destinanti præbet vbera. Sic nutritus admissarius equas diligere condiscit: Interdum etiam, quamuis materno lacte sit educatus, potest à tenero conuersatus equis familiariter, earum consuetudinem appetere, vt Columella tradit. At nostrates asini etiam vltro satis appetunt equas, vt non opus sit ad hoc eos assuescere. Est enim animal mirè salax, & pro corporis portione membrosius. At nõ oportet minorem, quàm trimum admittere: atque id ipsum, si concedatur, vere fieri conuenit, cùm & dese-

Color mularum.

Admissarij asini educatio.

Lib. 6. cap. 37.

desecto viridi pabulo, & larga auena, aut hordeo firmandus erit. Nec tamen teneræ fœminæ committetur: nam nisi prius ea marem cognouerit, assilientem admissarium calcibus proturbat, & iniuria depulsum etiam cęteris equa reddit inimicum. Id ne fiat, degener & vulgaris asellus admouetur, qui sollicitet obsequia fœminæ, neque is tamen inire finitur: sed si iam est equa Veneris patiens, confestim abacto viliore, generosiori mari iungitur. Locum ad id extructum habere rusticos Columella scribit, quem machinam vocent, qui duos parietes inædificatos habet & angusto interuallo distantes, ne fœmina colluctari, aut admissario ascendenti auertere se queat. Aditus est ex vtraque parte, sed ab inferiore clatris munitus, ad quæ capistrata imo cliuo constituitur equa, vt & prona ineuntis semina melius recipiat, & facilem sui tergoris ascensum ab editiore parte minori quadrupedi præbeat: quæ cum ex asino conceptum duodecimo mense edidit partum, sequenti anno vacua nutrit. Id enim vtilius, quàm vt & fœtam nihilominus

Machina.

minus admisso equo impleamus. Annicula mula rectè à matre repellitur, & amota montibus, aut feris locis pascitur, vt vngulas duret, sitque postea longis itineribus idonea. Nam clitellis aptior mulus: illa quidem agilior, sed vterque sexus & viam rectè graditur, & terram commodè proscindit, nisi precium quadrupedis rationem rustici oneret, aut campus graui gleba robora boum, equorumque postulet. Calcitratus inhibetur vini crebriore potu, vt Plinius scribit. Mulum octoginta annis vixisse idem testatur. EVPHOR. Postquàm de armentis dicere cœpisti, ecquid de Camelo? HIPPOCOM. Camelos inter armenta pascit oriens. Animal maximè omnium animalium hominis ministerio destinatum videtur quibusdã. Nam tuber in tergo ad onera portanda, & quatuor genua habent, cum equus & asinus, & cæteræ quadrupedes tantùm duo: siquidem posteriora anterius flectuntur, sinuanturque posterius, instar humanorum crurum, & prælongis cruribus in genua flectuntur onus excipientes. Eorum duo genera inter

Cameli.

Bactriani, & Arabici cameli.

inter se differentia. Bactriani & Arabici: illi duo habent tubera in dorso, hi singula, & in pectore alterum, cui incumbant. Dentium superiore ordine, vt boues, carent vtroque genere. Omnes autem iumentorũ in iis terris dorso funguntur, atque etiam equitatu in prælijs. Velocitas inter equos, sed sua cuique mensura, sicuti vires. Nec vltra assuetum procedunt spatium, nec plus instituto onere recipiunt. Odium aduersus equos gerunt naturale. Sitim quatriduo tolerant. Implentur, cùm bibendi occasio est, & in præteritũ & futurum, obturbata conculcatione prius aqua: aliter potu non gaudent. Pascuntur, præter pascua, & ea, quæ syluæ præbent, auena, aut hordeo cum sale. Coitus camelis auersus, sicut elephantis, tigribus, leoni, cuniculis, quibus auersa genitalia. Solitudines coituri petunt cameli, neque interuenire sine periculo datur. Ferunt 12 mensibus, pariunt vere à trimatu, iterumque post annum implentur à partu. Proferunt singulos, sicut elephanti & maioris corporis animantia, lac præbent, dum iterũ grauescunt,

Coitus auersus.

Partus cameli.

vt

vt Aristoteles tradit. Didymus in suis Georgicis scribit, camelum, sicut & equos, cognationis sensum habere, & neque matri, neque sorori misceri. Et camelum Bactrianam in montibus Indicis à suibus feris (quæ illic commune cum ipsis pabulum habent) concipere traditur. E sue autem siue apro & camelo fœmina gigni camelum geminatum tuber habentem, quemadmodum ex equis & asinis muli, multásque notas habere camelum inde natum, quibus patrem referat, nempe & densum pilum, & virium robur, atque in luto non facilè labascere, sed viribus suis erigi, duplúmque pondus, comparatione aliorum camelorum, gestare, prodit idem author. Castrantur fœminæ, quæ bellopræparantur: fortiores enim fieri coitu negato: Viuere quinquagenis annis Aristoteles scribit, quosdam & centenis: Rabiem vtcunque sentire Plinius addit. Horum aliqua similitudo in duo animalia transfertur, & camelopardalis vocatur, pedibus & cruribus posterioribus bouis, anterioribus & capite cameli, collo equi, albis maculis rutilum

Camelus è sue.

Camelopardalis.

colorem distinguentibus. Strabo tradit, esse coloris varietate hinnulo similem, virgatis pilis distincto, collo recto & in sublime subuecto instar Struthij, vertice paulò sublimiore camelo. EVPHOR. Tale animal nuper depictum in aulęis conspexisse videor, quo Aethiopes vxores cum liberis clitellis insidentes deducebant, nisi quòd id pusilla habebat cornua, qualia oues nonnullæ habent. Heliodorum in Aethiopicis hanc bestiam arbitror depinxisse. Sed horum exterorum animalium apud nos non ita frequens vsus. HIPPOCOM. Tu igitur, Euphorbe, de tui pecoris disciplina nobis stipulatum symbolum depromas: proxima enim equino pecori dignitas & cura debetur bouino. EV-PHOR. Quando sic cautum inter nos, ipse quoque quantum teneo de mea lubens impertiar professione symbolum. Principiò nequaquam concedo primas inter pecora equo: cùm veteres ferè præcipuum vsum & honorem boui aratori, & qui pro seruo esset, tribuerint: Siquidem ex viro, & vxore, ac boue domum constare, Hesiodus vetustissimus,

Lib. 10.

De bobus.

mus, grauiſſimuſque noſtræ profeſſionis autor cecinit, eiuſque autoritate idem in ſuis Politicis, & Oeconomicis comprobat Ariſtoteles. Adeóque hoc animal in precio fuit & honore ſemper, vt inter exempla capitis damnatus, qui ſocium laboris, tanquam colonum, & inprimis neceſſarium armentum occidiſſet. Ab huius pecoris celebritate pleraque ducta celebria nomina. Nam à multitudine & pulchritudine fœtuque vitulorum Italiam dictã tradunt, quòd è Sicilia Hercules perſecutus fuerit eò nobilem taurum, qui diceretur Italus. Hic ſocius hominum in ruſtico opere, Cereriſque miniſter. Et magnis rebus à boum maieſtate nomen indiderunt, βοῶπιν, βόλιμον, βόπεινα, βόπαιδα, βόυκηϑ appellantes, vuam quoque bumammam. Ac breuiter, in hoc pecus conuerti voluit Iupiter Europam adamans, ac rapiens, vt poëtæ fabulantur. Denique è boue putrefacto naſci cõſtat apes dulciſſimas mellis matres, vnde Græci βυγόνας appellant, vt Varro teſtatur. Idem huius pecoris genera vel gradus ætatis quatuor numerat: primam vitu-

Italiæ nomen.

lorum, ſecundam iuuencorum, tertiam boum nouellorum, quartam vetulorum. Diſcerni in prima vitulum & vitulam, inquit, in ſecunda iuuencum & iuuencam, in tertia & quarta taurum & vaccam : Quæ ſterilis vacca, eam tauram vocari, quæ prægnans, hordam. Ab ea hordicalia Varro, Sext. Pompeius hordica appellat feſta, quòd tunc hordæ boues immolarentur. Hoc genus pro regionum diuerſitate variat. Commendati veteribus Epirotici, Campani, Hetruſci. Noſtris in precio ſunt Pannonij, Burgundici, Auernici, Phryſij, Dani vel Cymbrici, & Anglici vel Britannici. Atque in bubulo genere aliud laboribus, aliud lacticinio, aliud ſaginæ vtilius, pleraque omnibus: In vniuerſum verò ſiue ad laborem, ſeu ad ſaginandum, mulgendúmve comparentur, nouelli probantur, & qui ætate ad fructus ferendos ſint integri potius, quàm experti. Boues enim, inquit Varro, cùm emimus, ſic ſtipulari ſolemus: *Illoſce boues, vel iuuencos ſanos rectè, degz pecore ſano eſſe, noxiſqz præſtari ſpõdéſne?* Paulò verboſius hæc, qui Mamilij actiones ſequuntur:

Taura. Horda.

Stipulatio in bobus emendis.

tur: lanij, qui ad cultrum bouem emũt, & qui ad altaria, hoſtiæ ſanitatem non ſolent ſtipulari. Et quanquam à virtute alij probentur, alij à corporis mole, communiter præſtant in hoc pecore quadrati benè compactis, & integris membris, longo, amplo, denſoque & benè coſtato corpore, nigricantibus cornibus, etſi in colore non tanta ſollicitudo, tamen albos, tanquam molles, quidam vitant, quod & Varro fatetur, requiritque, vt ſint latis frontibus, oculis magnis & nigris, piloſis hirtíſque auribus, compreſſis malis ſubſimiſve, gibberi ſpina leuiter remiſſa, apertis naribus & reſimis, labris ſubnigris, ceruicibus toroſis, craſſis, at longis palearibus à collo ad genua defluentibus, latis humeris, corio attactu non aſpero ac duro, vtero capaci, cruribus compactis, neruoſis ac rectis, breuioribus potius quàm longis, corporis videlicet mole deprimente, rectis genibus & eminulis, diſtantibus inter ſe pedibus non latis, neque ingredientibus, qui diſplodantur, pilo totius corporis denſo ac breui, cauda longa & ſetoſa. Boues ad laboran-

Bouis forma.

Boues quomodo emendi.

dum Palladius comparandos ſuadet vtilius in Martio, cùm necdum ſagina pleni nequeant fallaciam venditoris, vitiáque ſua cælare, neque repugnando domituræ contumacem pleni roboris exercere fiduciam: ac melius de vicinis comparari, qui nulla ſoli, aut aëris varietate tenentur. Nam indigena peregrino præſtat, quòd nec cœli, neque aquæ, nec pabuli mutatione tentatur, aut, ſi hoc deeſt, de locis ſimilibus ad ſimilia transfertur. Nec hoc negligendum, vt viribus ad trahẽdum comparentur æquales, ne valentioris robur alterius procuret exitium. Adde, vt ſint manſueti, arguti, timentes hortamen clamoris ac verberis, nec ad pontes aut flumina formidoloſi, multi cibi appetentes, verùm in eo conficiendo lenti: nam hi melius concoquunt. In tauris & vaccis ferè eaſdem notas requirunt, neque alio diſtat à caſtrato bonus taurus, niſi quòd huic torua facies eſt, vegetior aſpectus, breuiora cornua, toroſior ceruix, & ita vaſta, vt ſit maxima portio corporis, ventre paulò ſubſtrictiore, qui magis rectus, & ad ineundas fœminas habi-

Tauri forma.

habilis ſit. Taurus ante admiſſurã herba, palea, aut fœno roborandus, atque à fœminis ſecernendus eſt. Ante ſolſtitium non admittitur. Varro vſque ad Lyræ exortum à vaccis ſecernit: Ariſtoteles tamen vult tempore coitus cum vaccis paſci taurum. Vaccæ quoque probantur altiſſimæ formæ longæque, maximis veteris, frontibus latiſſimis & patentibus, cornibus venuſtis ac leuibus, ac cætera ferè eadem in fœminis, quæ & in maribus, deſiderantur, & præcipuè, vt ſint nouellę: quoniam cùm exceſſerint duodecim annos, fœtibus inutiliores habentur: durant tamen ſæpe pluribus, ſi paſtura diligens accedat, & à morbis incolumes ſeruentur. Vetulæ lactis plus præbent, quàm nouellæ, iuxta Ruſticorum prouerbium: *Vetulas vacas lac, gallinas nouellas oua vberius præbere.* Rurſum minores trimis iniri non oportet: ſi antè tamen conceperint, partum earum amoueri oportet, ac per triduũ, ne laborent, vbera exprimi, poſtea mulctra prohiberi. Plinius ſcribit anniculas ad fœcunditatem expeti, ſed eas non grandeſcere, ſicut in omni præmatura

Vaccarum forma, ætas.

Taura ſterilis.

videmus admiſſura. Quotannis in hoc genere pecoris æquè atque in reliquis delectus habendus, vt vetuſtæ, quæ vel gignere deſinunt, vel alioqui inutiles fœturæ, ſummoueantur, & vtique tauræ, quæ locum fœcundarum occupant, ablegandæ, vel aratro domandæ, quoniam laboris & operis non minus, vt Columella teſtatur, quàm iuuenci, propter vteri ſterilitatem patientes ſunt: At nos eas ſaginæ deſtinamus. Aetas è cornuum nodis aut circulis colligitur, quod Plinius quoque in capris notat. Tempus admiſſuræ idoneum alij exiſtimant veris medium: Palladius Iulio ſubmittendas vaccas, quòd ſic decem menſium partus concludi poterit. Nam totidem menſibus partum gerit: vulgo dicitur, *Vaccæ & Reginæ idem tempus partus:* quicquid ante genitum, inutile, vt Ariſtoteles tradit. Pluribus locis malunt 30 aut 40 diebus poſt ſolſtitium admitti, vt ad Martium atque Aprilem partum edant. Qui autem lacte indigent, ita fœturam diſpenſant, vt omni tempore anni ſuperſit alimentum, atque à vere in brumam admittunt. Vno

Aetas è cornibus.

Partus vaccæ.

ini-

initu conceptus peragitur. Quod si fortè pererrauit, vigesimo pòst die marem repetit fœmina. Aiunt, si ad dextram tauri descendunt, marem gignere, si ad siniſtram, fœminam. Græci asserunt, si marem gigni velis, siniſtrum tauri testiculum ligandum, si fœminam, dextrum. Varro tradit, exemptis testiculis si statim admiseris, concipere. Vni tauro quindecim vaccas Columella sufficere asserit. Nos existimamus vicenis sufficere posse vnum taurum, si talis sit, qualem descripsimus. Si pabuli copia sit, quotannis possunt matres fœturæ submitti. Cauendum tamen, ne nimium saginentur: nam sic difficilius concipere creduntur. Sed & pabulum subtrahitur fœminis circa tempus admiſſuræ: ne eas steriles reddat nimia corporis obesitas, & tauris adiicitur, quò fortius ineant. Si vacca taurum non admittit, scyllæ medullam cum aqua terere oportet, & naturam oblinere. Sin autem tauri segniores sint, cerui caudam vrito teritóque, & vino subactam, pudendo ac testibus tauri illinito: eo & in aliis animalibus vti licebit,

Vacca vno initu concipit.

Mas qua ratione gignatur.

vt Quintilius tradit. Elicitur & cupiditas odore genitalium admoto naribus, & reliquis, quæ in equorum admissura annotauimus. Taurum non sæpius quàm bis salire in die debere, volunt aliqui: attamen sæpius etiam posse, compertum. Plerisque locis tauros & verres bannales habent, vt sicut ille omnibus vaccis, ita hic omnibus suibus prostitutus sit. Tauros rubro colore efferari proditum, quemadmodum elephantes albo, leones limis oculis aspicere. Vitulos editos alij sugere matres sinunt, ne tamen cum matribus cubent: nam obteruntur: alij remouent ab vberibus, & lacte vel sero lactis, atque furfuribus, aut farinis iniectis educant tantisper, dum herba pascantur alióve pabulo. Ex his siue ad sobolem, siue ad laborem, seu denique ad saginam educare velis, herbidis pascuis opus est. Et quanquam è genere sint nobili & magno, tamen si pabulo destituantur, iustum incrementum non assument. Pabulum enim & genus, & incrementum donare vulgò dicitur. Castrandos Mago & veteres censuere, dum adhuc teneri,

Bannales tauri & verres.

Pabulum & genus, & incrementum largitur.

neri, quod nos quoq; obſeruamus, idque ferro. Et nos ferè verno, vel autumnali tempore trimeſtres, aut circiter, maſculos teſtibus exectis caſtramus, fœmellis matrices ſecamus, vulneraq; conſuta recenti butyro oblinimus. Columella non ferro, ſed fiſſa ferula comprimere teſticulos & paulatim confringere iubet, idque optimum iudicat caſtrationis genus, quod teneræ ætati abſque vulnere adhibetur. Nam vbi induruit, melius bimus quàm anniculus caſtratur: idque fit autumno, luna decreſcente; vitulum ad machinam deligare oportet, deinde prius quàm ferrum adhibeas, duabus anguſtis ligneis regulis, veluti forcipibus, apprehendere teſtium neruos, ex quibus genitales depẽdent; quibus comprehenſis, ſtatim teſtes ferro reſecare, & expreſſos ita reſcindere, vt extrema pars eorum adhærens prædictis neruis relinquatur. Nam hoc modo nec eruptione ſanguinis periclitatur iuuencus, nec in totum effœminatur, ſed ſeruata forma, maris generandi vim deponit. Attamen ſi permittas à recenti cura-

Caſtratio vitulorũ.

tione

tione inire fœminam, constat posse generare: sed id non permittendum, ne profluuio sanguinis intereat. Vulnera sarmentitio cinere cum argenti spuma linenda: abstinendumq; eo die ab humore, & exiguo cibo alendus. Sequenti triduo, velut æger, frondibus & defecto viridi pabulo alendus, prohibenduſq; multa potione. Placet etiam pice liquida & cinere cum exiguo oleo vlcera ipsa per triduum linire, quò citius cicatricem obducant, & à muscis non infestentur. Vitulos adhuc teneros assuescere oportet, vt se tractari manu, & ad præsepia religari patiantur, vt in domitura & laboris, & periculi minus sit. Verùm ante tertium annum, & post quintum Colum. domari iuuencos vetat, quoniam illa ętas adhuc tenera, hęc prædura. Eos autem, qui de grege feri comprehenduntur, & eius formæ sunt ac notæ, quam superius descripsimus, sic subigi conuenit: Primum omnium spatiosum stabulum præparetur, vbi domitor facilè versari, & vnde digredi sine periculo possit: Ante stabulum quoque campus, vel spatium patens, vt pro-

Domandi disciplina

producti liberum habeant excurſum, ne pauidi arboribus aut obiacentibus rebus implicentur, noxamque capiant. In ſtabulo ſint ampla præſepia, ſupra quæ tranſuerſi aſſeres in modum iugorum à terra ſeptem pedibus elati configantur, ad quos religari poſſint iuuenci. Deinde dies eligenda à tempeſtatibus & impedimentis libera, qua capti ducantur ad ſtabulum, quorum ſi nimia feritas fuerit, vno die ac nocte inter vincula ieiuniis mitigentur, atque mox blandis appellationibus, illecebriſque oblati pabuli non à latere, neque à tergo, ſed à fronte accedat bubulcus, admulcens nares & terga pertractet, mero ſubinde conſpergens, hac tamen cautione, ne aliquem calce contingat aut cornu, quod ſi primum ſibi ceſſiſſe feliciter ſenſerit, obtinebit in poſterum. Hinc mitigati os & palatum ſalibus fricabis, & in gulam demittas præſulſi adipis librales offas, & vini ſextarios ſingulos cornu infundens per fauces; quæ res intra triduum totius ſæuitiæ iram reſoluet. Alij eos inter ſe iungunt, & docent onera leuiora tentare.

tare. Et, quod vtile eſt, ſi arationi parantur, ſubacto prius ſolo exerceantur, vt nouus labor colla non quaſſet. Expeditior ratio domandi, vt aſperum bouem manſueto & valido boui coniungas, quo oſtendente facilè ad omnia cogetur officia. Si poſt domituram decumbat in ſulco, non afficiatur igne aut verbere, ſed pedes ligentur vinculis, vt non poſſit progredi, ſtare, aut depaſci: ita fame ac ſiti laſſatus ignauiam deponet. Pabuli ratio huius pecoris eſt varia pro regionũ more. Si vbertas regionis viride pabulum ſubminiſtrat, nihil eo melius. Siccioribus agris, & maximè hybernis temporibus, ad præſepia hæc armenta ſunt alẽda, & pro loci conditione pabulum præbendum. Vbi vicia ſuppetunt, ea ſunt optima, in faſcem colligata. Conuenit & pratenſe fœnum & palea: item caules braſſicarum vnâ cum paleis, & fœno, vel ſtipula, vel ſtramine conciſis, atque aqua coctis præbentur hyeme. Alicubi ſolum ſtramen iam recens excuſſo frumento, & paleæ dantur: Pluribus locis aqua macerati lupini,

De Pabulo bubuli armenti.

vel

vel cicerculæ. vel erui mista paleis. Adhæc vinacea cum folliculis, ac frondes pampineæ, vlmeæ, fraxineæ, populeæ, iligneæ, sed post æstatem deficientibus ceteris, possunt & ficulneæ probè dari, si sit earum copia, aut, si stringere arbores expediat, iligneæ vel querneæ. Boues citius saginari maximè herbidis pascuis, & frumento, item rapis, pomis, radicibus, in confesso est. Optimè & boues & vaccæ saginantur, si pascua desint, in stabulis data farina mista paleis triticeis, & rapis, aut excrementis cereuisiariis. Citius saginari lauatione aquæ calidæ, & si quis incisa cute spiritum in viscera arundine adigat, Plinius testatur. Item pinguescere Sotion tradit, si redeuntibus è pascuis prima die brassicam concisam, acri aceto maceratam præbeas, deinde paleas excussas, & furfuribus triticeis mistas, ad dies quinque aut sex, ac sequentibus diebus pabulum paulatim augeas. Et hyeme quidem circa gallicinij horam nutries, dein circa diluculum. Aestate primùm sub diluculum secundùm ad meridiem, ac denique vespere. Potus æstate

Boues quibus saginentur.

De aquæ do.

æstate bis, mane tribus ante meridiem, & totidem à meridie horis: Hyeme semel tepida præbenda, quæ etiam fœturam adiuuare putatur: vnde lacunæ vtiles, quibus aqua pluuia colligitur. Aquam non requirunt hæc armenta limpidam, cùm sordida & diluta non offendat: tamen præstiterit mundam præbere. Huic pecori hyeme aprica loca, æstate frigida paranda, & montana maximè, quia frutetis, & his internascente herba saturatur: quamuis circa riuos, & lætis pascuis omnium optimè & saginantur bubula pecora, vt diximus, & lac copiosius præbent. Aestate sub dio etiam nocte durare plurimis locis, in Britanniæ insula etiam hybernare foris, cõstat. Quanquã autem frigus tolerare possit, septa tamẽ fieri conuenit propter iniuriam grauidarum laxiora. Constituantur stabula loco sicco, vel lapide, vel glareis, aut arena constrata: illa, quòd imbres respuant, hæc, quòd celeriter sorbeant transmittantque: Sed vtraque deuexa aliquatenus, vt humor, si incidat, possit defluere & elabi, ne fundamenta parietum, vel vn-

Bubulo pecori pascendo idonea loca.

Bubilia.

gulæ

gulæ pedum corrumpantur. Obuertantur autem parti meridianæ, vt & facilè ſiccentur, & frigidis ventis non ſint obnoxia: interim tamen, ne egeant ſeptentrionis & orientis luminibus, quæ, vt de equilibus dictum, hyeme clauſa, æſtate patefacta refrigerent: ac breuiter, ſi fieri poſſit, neque frigore, neque calore infeſtentur, & ab humore ſuſpenſa ſint. Columella duplicia bubilia vult fieri, æſtiua & hyberna: & illa quidem ſine tecto, parietibus altis circumſepta, in quibus ſine violentia ferarum conquieſcant. Lata eſſe oportet bubilia pedes ad minimum octo, vt ſimul ad procumbendum ſit capacitas, ne in anguſtiis conceptum altera alterius elidat, & vt inualida robuſtioris ictus euitet, & bubulcis atque iugariis ad circumeundum laxa miniſteria præbeat. Vitruuius bubilia ad focum & orientis cœli regionem ſpectare vult, ideò quòd boues lumen & ignem ſpectando minus horridi & manſuetiores fiant. Ignis autem beneficio naturali, pecori amicus eſt, ſiue quòd inutilis & peſtifer humor ab illo diſcutitur &

exudat, ſiue quòd conceptum è paſtu aut opere frigus expellitur : flammárum denique halitu interna curari exiſtimant. Stabula diſtinctis præſepibus, faliſcis, longuriiſque dirimantur. Præſepia non altius edita eſſe conuenit, quàm vt bubulum pecus ſine incommodo ſtans veſci queat: & ne à vicino pabulum diripiatur, ab vtraque parte ſingulis pecoribus præſepia claudantur. Cannabeis funibus alligantur, ne ſe mutuò lædant: Cato clatratas faliſcas habere vult. Cæterùm parum proderit benè paſcere, niſi præſtetur, vt ſint ſalubri corpore, roburque conſeruent. Quare ſiue in paſcuis, ſiue ſtabulis cõtineantur, ſubinde conſideranda iumenta & pecora, atque etiam nocturna cura nequaquam negligenda, præſertim ſi fœtæ ſint: quanquam ſemper & quotidie diluculo, & ſub veſperam in paſcuis viſenda, tamen id maximè neceſſarium, cùm recenter in paſcua verna emittuntur : nam tum facilè è diætæ mutatione noxam contrahunt tam boues quàm vaccæ atque iuuenci. Hyeme quoque diligens cura adhiben-

Stabula bubilia. Præſepia.

Sanitatis bubuli pecoris cura.

benda, ne tam impensæ vberioris pabuli vitentur, quàm ratio potius habeatur iacturæ pereũtium animalium. Proinde in stabulis non parcendum stramentis: præsertim, cum ab opere boues disiungũtur, substrictos confricare manibus dorsumq; comprimere, & pellem reuellere proderit. Cùm de via, aut à pastu redeunt, priusquam ad bouile deducantur, aqua pedes diluendi, ne inhærentes corpori sordes vlcera gignant, vel vngulas reddant molliores. Hyeme frigus cùm primis arcendum, perinde atque æstate accersenda pura aura, nempe vt interdiu non desit vmbra, noctu sub diuo stent. Vtroque enim & frigore immoderato, & æstu morbos contrahunt. Boues in cursum concitare, maximè æstate, nequaquam conuenit: nam is motus facilè febrium occasionem præbet, aut aluum citam reddit. Cauendum, ne sues, aut gallinæ ad præsepia perueniant: vtraque enim immunditia sua perniciem afferũt. Sus ægra quod egerit, pestilentiam creare solet. Mortua quoque cadauera procul amouenda & Pestilentia vnde.

altissimè obruenda, ne sana corpora contagio lędantur. Cùm verò pestilentia gregem corripuerit, continuò mutandus cœli status, & in plures partes distributo pecore, longis regionibus segregandi incolumes à morbidis, ne contagio sanos corripiat: inprimis arcendi communibus aquis, atque stabulis. Pestilentia commune vocabulum, sed plures habet species. Aliis humor per os ac nares effluit: aliis siccitas, & animal indies magis atque magis macescit. Est articularis, quando vel prioribus, vel posterioribus claudicat. Subrenalis, si à posterioribus debilitas apparet, quia lumbi dolere creduntur. Farciminosus, quoties per totum corpus tubercula ostentantur, & rursus euanescentia alio loco erumpunt. Subtercutaneus, quando humor in diuersis corporis partibus exudat. Elephantiasis, cum velut scabies minutæ cicatrices in corio instar lenticulæ, apparent. Est' mania, cùm sensu priuantur, vt nec videant, nec audiant, vti consueuerint, etiamsi hilares, & nitidi sint: Atque hi morbi omnes contagione serpunt.

Pestilentiæ varietas in animalibus.

punt. Quare laborare incipiens pecus continuò ſegregandum, ne aliis periculum generet, & negligentia (vt à ſtultis ſolet) diuinæ imputetur offenſæ. Propulſandi ſunt autem morbi, quantumuis peſtiferi, accuratiſſimis remediis. Commune remedium Columella tradita, panacis & eryngij radices ſeminibus fœniculi miſcendas, & cum defruti ac moliti tritici farina feruentiſque aqua conſpergendas eſſe, eoque medicamine ſaluandum pecus. Vulgò ægrotanti vel bubulo, vel equino, aliiſque ferè omnibus pecoribus adhibetur radiculæ vſus, quam conſiliginem vocant: eam bubulo pecori palearibus, equino, pectori, ſuibus atque ouibus, auriculæ, facto prius ſubula foramine, emiſſóque ſanguine, inſerunt, donec pars, quæ ſubula circumſcripta eſt, excidat, quam cum recens plaga comprehendit, ita continet, vt elabi nequeat: eò omnis vis morbi, peſtilénſque virus elicitur, & vbi iam ſatis collectus ſaniei tumor, radicula eximitur, vel ſponte excidit. Suffimenta quoque plurimùm iuuant, à Vegetio tradita,

Communia remedia.

Radicula Conſiligo.

Suffimenta.

sulfur, bitumen, allium, origanum, semen coriandri, carbonibus insperſa, & cooperta boum super vas, in quo suffimenta incenduntur, diutius contenta, vt fumus os eorum capiat, ac nares impleat, atque ita ad cerebrum, & interna salubri remedio penetret. Proderit etiam totum corpus suffimentare, quò & pernicies tollatur, & cætera pecora contagio non lædantur. Cruditatis signa sunt crebri ructus, ac ventris sonitus, fastidium cibi, neruorum intentio, hebetes oculi, propter quæ bos neque ruminat, neque lingua se detergit. Remedio erunt aquæ calidæ duo congij & mox triginta brassicæ caules modicè cocti & ex aceto dati, sed vno die abstinendum alio cibo. Si neglecta cruditas, & inflatio ventris, & intestinorum maior dolor insequitur, qui nec capere cibos finit, gemitus exprimit, locóque stare non patitur: remedium est, proximam clunibus caudæ partem vinculo vehementius obstringere, viníque sextarium cum olei hemina faucibus infundere, atque ita citatum per mille quingentos passus age-

Cruditatis remedium.

Ventris inflatio.

agere. Si dolor manet, vngulas circumsecare, & manu vncta per anum inserta fimum extrahere, rursúmque agere currentem. Sunt, qui cauda quatuor digitis ab ano percussa vena sanguinem emittendũ censent, qui cùm satis effluxerit, papyri ligamine inhibetur. Vena in cauda secanda.

Est morbus qui Lupus vocatur, Der Wolf Germanis: Indicium est in caudæ extremitate, ossiculo se exerente, quo inciso, salem & fuliginem indere solent atque obligare. Lupus morbus.

Ventris & intestinorum dolor sedatur, si anseres natantes & maximè anates aspexerit, vt suprà quoq; de equino pecore dictum: Siquidem anates conspectu sui id genus pecoris sanare Columella & Vegetius tradunt. Torminum signum, cruenta & muccosa ventris proluuies. Remedium est, vt à potu pecus prohibeatur triduo, & primo die etiam à cibo. Item, vinaceorum duæ libræ torrefactæ, & cum totidem sextariis vini austeri præbeantur, omníque alio humore abstineatur, dentúrque lentisci & oleastri cacumina. Quod si neque ventris restiterit citata proluuies, neque Tormina quo curẽtur.

inteſtinorum dolor, & ſi ſæpius quàm conſueuit oculi lachryment, & pituita naribus profluat, frons vſque ad oſſa vratur, aureſque ferro ſcindantur. Vulnera, dum ſaneſcunt, bubula vrina defricare conuenit. At ferro reſciſſa melius pice & oleo curantur. Tuſſis boum non minus quàm equorum curanda, quæ ſi recens fuerit, ſextarius farinæ hordeaceæ cum vno ouo crudo, & hemina paſſi per os datur ieiuno: granum quoque conciſum tuſumque, admixta farina fabæ frixæ & pollinis lentis ſextario aquæ calidæ miſcetur, agitataque diligenter per os infunditur. Columella etiam gramina conciſa & his admiſtam freſam fabam dari vult: lentes quoq; exemptas valuulis, molitas minutè, atque aquæ miſtas. Veterem tuſſim pellunt duæ libræ hyſſopi, maceratæ ex aqua ſextariis tribus, quod infuſum teritur, & cum duabus partibus farinæ miſcetur, & per os datur, ſuper quod aqua hyſſopi decocti propinatur per cornu. Item eruum cum ptiſana hordei, ſi in pabulis molitum, & cum aqua tepida vel mulſa in fauces ſaliuan-

Aduerſus tuſſim.

ti ori infundatur. Cùm pulmones exulcerantur, atque inde tussis ac macies & ad vltimum phthisis existit, quæ ne mortem afferant, radix coryli, inusta perforatæ auriculæ inseritur, tum porri succus instar heminæ pari olei mensuræ miscetur, & cum vini sextario potandus datur diebus compluribus. Febricitantis indicium, manãtes lachrymæ, grauatum caput, oculi compressi, fluidum saliuis os: ac ex venarum inquietudine, & calore totius corporis intelligitur. Conuenit die vno abstinere cibo, postero die exiguum sanguinem ieiuno sub cauda emitti, atque interposita hora modicæ magnitudinis coctos brassicæ colliculos triginta ex oleo & garo saliuanti ori immitti, eamque escam per dies quinque ieiuno dari: Præterea cacumina lentium vel oleæ, vel tenerrimam quamque frondem, aut pampinos vitis obiici, labra quoque detergeri spongia, & aquam frigidam ter quotidie præberi potandam. Sanguinem demissum in pedes, claudicationem afferre Vegetius prodit. Quod cùm accidit, statim vngula

Febris indicia.

Claudicationis remedia.

inſpicitur, tactus autem feruorem demonſtrat, nec bos vitiatam partem vehementius premi patitur. At ſi ſanguis adhuc ſupra vngulas in cruribus eſt, frictione aſſidua diſcutitur, vel cùm ea nihil profuit, ſcarificatione adimitur: quod ſi in vngulis iam eſt, inter duos vngues cultello leniter aperies; poſtea linamenta ſale atque aceto imbuta applicentur, ac ſolea ſpartea pes induatur: maximè danda eſt opera, ne in aquam pedem mittat, & vt ſiccè ſtabuletur. Hic idem ſanguis, niſi emiſſus fuerit, ſaniem creabit, qui ſi ſuppurauerit, tardè procurabitur: ac primò ferro circumciſus & expurgatus, deinde pannis, aceto, ſale & oleo madentibus, inculcatis, mox axungia vetere & ſeuo hircino pari pondere decoctis ad ſanitatem producitur. Si ſanguis in inferiore parte vngulæ eſt, extrema pars ipſius vnguis ad viuum reſecatur, & ita emittitur, ac linamentis pes inuolutus, ſpartea munitur. Mediam vngulam ab inferiore parte non expedit aperire, niſi eo loco iam ſuppuratio facta eſt.

Neruorũ doloris remedia.

Si dolore neruorum claudicat, oleo & ſale

ſale genua poplitéſque & crura confricanda ſunt, donec ſanetur. Si genua intumuerunt, calido aceto confouenda ſunt, & lini ſemen detritum, aut milium detritum compreſſúmque aqua mulſa imponendum. Spongiæ quoque feruenti aquæ imbutæ, & expreſſæ atque melle litæ, rectè genibus applicantur, ac faſcis circumdantur. Si tumori ſubeſt aliquis humor, fermentum vel farina hordeacea ex paſſo aut aqua mulſa decocta imponitur, & cùm maturuerit ſuppuratio, reſcinditur ferro, eáque emiſſa, vt ſuprà dictum, linamentis curatur. Omnis ferè dolor corporis, ſi ſine vulnere eſt, recens melius fomentis diſcutitur. Vetus vritur, & ſupra vſtum, butyrum, vel caprinus inſtillatur adeps. Si talum aut vngulam læſerit, picem duram & axungiam cum ſulfure & lana ſuccida inuolutam candente ferro ſupra vulnus inurito. Eadem cura, ſi ſurculum, ſpinam, aut acutum aliquid calcauerit, vel lapide vngulam pertuderit, eo, ſi quid inhæſerit, exempto, aut ſi altius vulneratum, latius ferro circumciditur, atque ita inuri-

Suppurationis cura.

Fomentorum ratio.

Vſtionis cura.

Talilæſi & vngulæ cura.

inuritur, vt ſuprà monuimus. Si vbera intumeſcant, cereuiſia veteri incocta hedera confouenda ſunt, & fauis ac camomilla fumiganda. Subtriti pedes eluuntur calefacta vrina bubula, deinde faſce ſarmentorum incenſo, & cùm iam ignis in fauillam recidit, feruentibus cineribus cogatur inſiſtere, ac pice liquida cum oleo vel axungia cornua eius linantur. Minus claudicabunt, ſi opere diſiunctis multa frigida luuentur pedes, & deinde ſuffragines, coronæ, ac diſcrimen ipſum, quo diuiſa eſt bouis vngula, vetere axungia defricetur: Scabies extenuatur trito allio defricto, eodemq; remedio curatur rabioſi canis morſus, quem & impoſito vulneri vetere ſalſamento ſanari tradit Columella. Scabiei quoq; mederi cunilam, & ſulfur contrita, admiſtoque oleo atq; aqua & aceto incocta, atque pòſt tepefactis tritum alumen inſperſum, idq; medicamentum candente ſole illitum prodeſſe inprimis. Alij vrinam bubulam cum butyro illinunt. Sunt, qui reſinam ac picem liquidam cum vino cataplaſmatum modo impo-

nunt.

Pedū ſubtritorum cura.

Scabiei cura.

Canis rabidi morſus remedia.

nunt. Coriago, cùm pellis tergori ita adhæret, vt prehensa deduci non queat à costis. Ea contingit, si sudans ex labore refrixerit, aut si sub onere pluuia madefactus, aut ex languore ad maciē perductus. Quæ quia pernicioſa sunt, prospiciendum, vt cùm ab opere redierint, & adhuc æstuantes anhelantesque vino aspergantur, & offæ adipis faucibus inserantur. Quod si vitium hoc sentiatur inhærere, proderit decoquere laurum, & ea calida fouere terga, multoq; oleo & vino confestim subigere, ac per omnes partes apprehendere & attrahere pellem. Idq; optimè fit sub dio, sole feruente. Si percussa vena, sanguinis fluxus reprimi non possit, remedium est stercus ipsius animalis superimpositum fluentibus venis. Communis ad omnes morbos à Vegetio traditur potio ista: Radix scyllæ, radix populi, quæ Græcè Rhamnos dicitur, & sales communes, quantum sufficit, mittantur in aquam, eámque animalibus vsq; ad sanitatem dabis in potu: atq; ea, ineunte vere, per 14 dies continuos in potu data facilè omnes morbos repellunt. Bu-

Coriaginis cura.

Sanguini sistendo.

De Bubalis. Bisontes.

Bubali, quos vulgus Buffalos vocat, Plinius bisontes esse contendit, in Italia, maximè vltra Apenninum, frequẽtes, è ferarum atque syluestrium genere, ob feritatem annulo ferreo per nares traiecto tractantur, colore nigro, corpore vasto, cruribus compactis, robustis ac breuibus, si reliquorũ membrorum proportionem contempleris, cornibus magnis & vallicosis nigrisq; pilis minutis, cauda exigua, plaustris trahendis, aliisq; operibus, perinde atque boum, illic vsus. E lacte eius animalis casei conficiuntur, qui Romæ & aliis locis in precio: hos maximi cibi esse scribit Columella, & qui difficillimè transeant sumpti. Hæc sunt, quæ de mei pecoris administratione dicenda pro meo symbolo afferenda duxi. Iam tibi, Hedio, lampada trado. HEDIO.

De Quib'.

Inter minores quadrupedes ouilis pecoris præcipuam rationem esse, nemo negabit, imò quæ prima sit, si ad vtilitatis magnitudinem respicias. Nã vt boues sumptum hominum excolũt, testante Plinio, ita huic pecori corporis tutela debetur. Siquidem oues si-

mul

mul & corporibus noſtris veſtem præbent, & lactis vbertate carníſque optimæ dapes ſubminiſtrant, quod expreſſit de Pythagoricis Poëta:

Inq; tuendos
Natum homines, (pecus) pleno quæ fertis in vbere nectar,
Mollia quæ nobis veſtras velamina lanas
Præbetis, vitaq; magis quàm morte iuuatis.

Ouid. Metamorph. lib. 15.

Ouium genera.

Ouium genera plura ſunt: Nam pinguis & campeſtris ager proceras alit, gracilis & collinus quadratas, ſylueſtris & montoſus puſillas. Mileſias, Appulas, Calabraſq; veteres commendarũt, earumq; optimas Tarentinas, inde Parmenſes, & Mutinenſes. Nunc vellere præſtantiſſimo habentur Britannicæ, & ad Rhenum Germanicæ, atq; Gallicæ. Varro cenſet, primùm ætatis rationem habendam oues comparaturo, vt neq; vetulæ neque meræ agnæ ſint: quòd alteræ nondum, alteræ iam non poſſunt dare fructum, ſed ea melior ætas, quam ſequitur ſpes, quàm ea, quã mors. Bimæ igitur eligendæ: quæ trimatum exceſſerint, reiiciendæ. Aetas

Oues qua ætate ac forma cõparandæ.

inden-

in dentibus cognoſcitur: nam vetulis ambeſi: Deinde, ouem quærendam amplo corpore, lana multa & molli, villis altis ac denſis toto corpore, maximè circum ceruicem & collum, ventrem quoq; vt habeat lanoſum, (quæ collo ac ventre non ſunt piloſæ, maiores apicas vocabant, vt ait Varro Rei Ruſticæ lib. 2. c. 2. easque reijciebant) ceruice prolixa, ampli vteri, cruribus humilibus: quanquam Britannicæ ſint altioribus: caudæ alibi breues, alibi prolixæ & ad prodigium amplæ. Nam in Arabia alias cubitali lõgitudine, ſed latas, alias non minores tribus cubitis eſſe, Herodotus ſcribit, & Ælianus aſtipulatur, quas alligari oporteat à paſtoribus, ne vulnerentur per terram tractæ. In Ægypto ad viginti & amplius libras veruecis caudam pendere proditum. Arietes cornibus intortis & ad roſtrum pronis, quærantur, licet alibi ſint mutili non improbi, ſed etiam pręſtãtiores, intortis autem potius quam ſurrectis. Quibuſdam regionibus, vbi ſtatus cæli vuidus ventoſuſque, capri & arietes optantur ampliſſimis cornibus, quòd

Apicæ oues.

Caudæ ouiũ miræ magnitudinis.

Arietes quales cõparandi.

ea

ea porrecta maximam capitis partem à tempestate defendant. Itaque atrociore hyeme cornutos, clementiore mutilos probant mares. Accedit hoc incommodum, cùm se sciat armatum, frequentius in pugnam procurrit, in fœminas quoq; procacior: & riualem, quamuis solus non sufficiat, violentissimè prosequitur, nec ab alio tempestiuum patitur iniri gregem, nisi cùm est fatigatus libidine. Mutilus autem mitior, cùm se exarmatum intelligat. Quare pastores petulci sæuitiam cohibentes tabulam pedalem configunt aculeis, & aduersam fronti cornibus reliquant: ea res prohibet à rixa, cùm suo ictu ipsum se sauciet. Aliqui tradunt, terebra secundum auriculas foratis cornibus, qua curuantur inflexu, pugnacẽ mitigari. Rursum alibi fœmellæ quoque cornutæ reperiuntur. Sit igitur aries rauis oculis, auribus amplis, pectore & scapulis ac clunibus latis, testibus amplis, cauda lata longaq;. Animaduertendum quoque lingua ne sit nigra aut varia, quòd ferè quæ talem habeant, nigros aut varios procreant

agnos. Idque Virgilius notauit.

Illum autem, (quamuis aries sit cãdidus ipse)
Nigra subest vdo tantum cui lingua palato
Reijce, ne maculis infuscet vellera pullis
Nascentum.

Oues non nisi lauatas & intonsas aiuñ
comparandas, quò melius coloris vni-
Color. tas appareat. Color albus cũ optimus,
tum vtilissimus est, quod ex eo alii plu-
rimi fiant colores, neq; hic ex alio. Ta-
metsi nõ desit precium apud quosdam
fusco & pullo, atq; etiam rutilo, quem
vocant ἐρυθρόν. Canam comam impro-
babis, quod sit incerti coloris. Ex India
& Africa afferuntur oues velleris hir-
sutissimi. A progenie animaduertitur,
si agnos procreant formosos. In empti-
Lib. 2. Rei rust. cap. 2. onibus vt Varro tradidit, eo iure vtun-
tur, quod leges præscribunt; in quibus
alii plura, alii pauciora excipiunt. Qui-
dam precio facto in singulas oues, vt a-
gni chordi, id est, serotini, duo pro vna
oue annumerentur, &, si cui vetustate
dentes absunt, item binę pro singulis vt
procedant. De reliquo antiqua formu-
Formula emptionis ouium. la vsurpatur. Nam cùm emptor dixit,
Tanti sunt mihi emptæ? & ille respondit,

sunt,

sunt, & exprompsit nummos; emptor stipulatur prisca formula sic: *Illasce oues, qua de re agitur, sanas rectè esse, sicut ouillum pecus, quod rectè sanum est extra luscam, surdam, minam, id est, ventre glabro, neque de pecore morboso esse, habereq; rectè lieere, hæc sic rectè fieri spondes?* Nec cum id factum est, tamen grex dominum nõ mutauit, nisi sit æs annumeratum. Nec non emptor potest ex empto vendito illũ damnare, si non tradat, quamuis non soluerit nummos: vt ille emptorem simili iudicio, si nõ reddidit precium. In Martio maximè comparandas oues, & quæ hyeme duraverint, pastorum habet disciplina: Nam oues esse validiores, quæ mense Martio generantur, etiam Iacob animaduertit. Genes. 30. Qui oues alere vult, hic necesse habet, vt agri cõditionem metiatur, proq; illius amplitudine & natura greges instituat. Nec satis est, si camporum spatia suppetant æstiuis pastionibus, verùm etiam hybernis pabulis sufficiant, oportet. Larga enim præbenda sunt alimenta, præstatq; exiguum numerum benè alere, (id quod plus quoque emolumenti do-

Mina.

Oues quãdo comparandæ.

mino reddet) quàm maximũ gregem
Numerus ouium alendarũ. pabuli inopia laborantem. Florentinu
tradit, numerum imparem esse debe
re, vt qui naturalem quandam vim ac
gregis salutem ac durabilitatem habe
re credatur: sed hæc superstitiosa, si
cut alia pleraque, apud Ethnicos repe
riuntur. Quotannis delectus facien
dus, & in demortuarum ac vitiosarum
locum totidem vel plures substituen
dæ. Nec committi debet, vt totus grex
effœtus senectute dominum destituat
Sæpe frigorum atque hyemis sæuiti
pastorem decipit, & eas oues interimit
quas ille tempore autumni ratus ad
huc esse tolerabiles, non summouerat
Quare Columella existimat, non mi
nori quàm quadrimæ, neque ei, qua
excessit annos octo, prolem submitten
dam esse, tum quòd neutra ętas ad edu
candum idonea, tum etiam quia quoc
ex vetere materia generatur, plerunq
congeneratum parentis senium refert
& vel sterile est vel imbecillum. A bi
matu fœminas maritandas, iuuenemq
haberi quinquennem, post annum se
ptimum fatiscere idem paulò antè di
xit.

xit. Pleriſque à bimatu ad nouenos annos generationem in vtroque ſexu durare compertum. Ante bimatum neque fœminam neque arietem conuenit admittere, etſi plurimis locis etiam anniculæ generent. Deterretur à ſaliendo aries fiſcellis & iunco aliáue re alligatis naturæ matrum. Commodius ſeruãtur, ſi ſecretas paſcas. Sed plerunque ſine diſcretione permittuntur coire. Arietes, quibus vſurus ſis ad fœturam, bimeſtri tempore ſegregandos, & largiori pabulo explendos aliqui volũt, vt firmiores facti ad fœminas admittãtur. At noſtrates ferè ſemper in grege cõpaſcuntur. Validiores fieri, ſi pabulo cepe aut polygonon herba admiſceatur: Vetulas magis perſequũtur arietes, quàm nouellas, quòd facilius citiusq; ineantur, & ipſos arietes in ſenecta meliores vtilioresq;. Dextro teſte prægato, fœminas, læuo, mares generari: Aquilonis quoq; afflatu mares concipi, Auſtri fœminas: Sufficere vnum arietẽ quinquaginta matribus Didymus tradit. Vbi omnes conceperint, iterum ſegregandos arietes quidam præcipiunt:

Ætas generandi.

Didym. Geopon. lib. 18. c. 30.

Mas aut fœmina vt generetur.

nã prægnantibus nocere putãtur. Quãdiu admiſſura durat, eadẽ aqua vtendũ Varro & Plinius tradiderũt, quòd commutatio & lanam faciat variam & verum corrumpat. Notum eſt ſtratagema Iacobi Patriarchæ ad varias oues producendas. Tempus optimum admiſſuræ ab Arcturi occaſu ad Aquilæ occaſum, Varro & Columella ſcriptum reliquerunt, & Plinius interpretatur à tertio Idus Maij ad 13. Calend. Auguſti. Alii tempus admiſſuræ per totum annum diſponunt. Multi hybernos agnos præferunt vernis, ſolumq; hoc animal vtiliter bruma naſci putant. Nam alicubi ſæpius anno pariunt. Tonitrua ſolitariis ouibus abortus inferunt; quare conuenit eas congregare, vt cœtu iuuentur. Gerunt partum diebus 150. vel quinque menſes, poſteà concepti, inualidi: Cordos vocabant antiqui poſt id tempus natos. Plurimum pariunt ſingulos, ſæpe tamen geminos atque ternos, ſi bono pabulo & ſaturæ paſcãtur. Compertum in Menapiis quinas matres vicenos quinos produxiſſe eodem anno agnos. Incredibile fortè qui-

Admiſſuræ tẽpus.

Partus tempus.

Cordi.

Fœcunditas ouiũ.

quibuſdam videtur, at tamen eſt probabile, cum bis anno pariant, & plerunque geminos, interdum tergeminos. Partus verò pecoris non ſecus, quàm obſtetricum more cuſtodiri oportet. Neque enim aliter hoc animal, quam muliebris ſexus, enititur. Sæpius etiam, quando eſt omnis rationis ignarum, laborat in partu. Quare conuenit opilionem veterinariæ medicinæ peritum eſſe, vt ſi res exigat, vel integrum conceptum, cùm tranſuerſus hæret, locis genitalibus extrahat, vel ferro diuiſum citra matris perniciem partum educat. Agnus autem vbi eſt editus, erigi debet atque vberibus admoueri, tum etiam eius deductum os preſſis humectare papillis, vt condiſcat maternum trahere alimentum. Sed prius quam hoc fiat, exiguum emulgendum eſt, quod coloſtram vocant, de qua infrà. Nam ea, niſi aliquatenus emittitur, agno nocet. Si matrem amittat, per cornu lac datur vt adoleſcat. Si ad matris mammam non accedat, admouere oportet, & agni labra butyro aut adipe ſuillo vngere, & olfacere labra lacte. Cùm nati

Agnorum educatio.

Coloſtra.

fuerint agni, cum matribus ſeorſum clauduntur, vt ſimul & hæ partum foueant, & illi matrem agnoſcere condiſcant: poſtea laſciuientes cum paribus virgea ſegregantur area, vel, vt Varro ſcribit, cùm decẽ dies præterierint, palos figunt, quibus eos alligent re aliqua leui, ne membra delibent, néve nimia exultatione puerili maceſcant. Teneriores à valentioribus ſemouendi, ne ab his opprimantur, ac primũ manè antequam in paſcua procedat grex, atque veſperi ſaturis admouendi matribus agni, & cum firmi eſſe cœperint, intra ſtabulum, trifolio, ac medica herbáque tenera, aut etiam furfuribus atque farina alendi: poſteà vbi validiuſculi fiunt, in vicina aprica loca circa meridiẽ vnâ cum matribus emittendi. Interea matres non mulgendas, quidam cenſent, quòd & lanæ plus ferant, & agnos plures. Cùm depulſi ſunt agni à matribus, diligentia adhibenda, ne deſiderio contabeſcant. Itaque deliniendi in nutricatu pabuli bonitate, & à frigore & æſtu, ne quid laborent, curãdum. Cùm obliuione iam lactis non deſiderant matres,

matres, tum denique compellendos in gregem. Pluribus tamen locis permittuntur agni vnâ cum matribus in ipso grege compasci, & agnos sugere matres ad messem vsque, dum matres ipsæ agnos repellunt atque ablactant. Castrandos agnos non minores quinque mensium, neque antè quàm calores & frigora se fregerint, est Varronis sentẽtia. Verùm experientia docet, quò citius, hoc melius succedere castraturã. Nam in adultioribus periculosior est, sicut & in aliis animalibus castrandis. Quos arietes submittere volunt, potissimum eligunt ex matribus, quæ geminos parere solent. Pabulum ouium optimum herbæ, quæ aratro proscissæ aruis nascuntur: deinde quæ pratis vligine carentibus. Palustres maximè vitandæ, & quæ iuxta stagna ac paludes. Syluestria loca propter lanæ iacturam incommoda, &, præter hoc, sentes etiam corpora vulnerant. Pinguis & campestris situs proceras oues tolerat, collinus quadratas, sylueſtris & montosus exiguas, pratis planisque noualibus tectum pecus commodissimè pascitur:

De Castratione.

Gemineꝰ parientis eligendi mares.

Ouium pabulum.

Tectæ ouis.

Idque non ſolum generibus, ſed etiam coloribus plurimum refert. Breuiter, quò gramina teneriora, hoc magis ouillo pecori conueniunt. Nulla tamen tam blanda pabula, aut paſcua, quorum gratia non exoleſcat vſu continuo, niſi pecudũ faſtidio paſtor occurrerit præbito ſale, quod velut ad pabuli condimentum, per æſtatem canalibus ligneis impoſitum, cùm è paſtu redierint, oues lambunt, atque eo ſapore cupidinem bibendi paſcendique concipiunt. Nam cum potu potiſſimum pingueſcant oues, vt Ariſt. tradit, æſtate ſalem dari oportet die quinto, ſingulis centenis ſingulos modios. Sic enim pecus incolume & pinguius reddi & vberius lac præbere. Porrò cõtra hybernam penuriam ſuccurritur obiectis per præſepia intra tectum cibis. Aluntur autem commodiſſimè regionibus calidioribus repoſitis vlmeis, vel è fraxino frondibus, vel autumnali fœno, quod mollius eſt, & ob id iucundius quàm maturum. Cythiſo quoque & ſatiua vicia paſcũtur. Vbi tamẽ cætera defecerint, ex piſis excuſſis, ac leguminibus aluntur, triticique

Sale oues reficiũtur

triticique ſtramina, & paleæ præbentur. Nam per ſe frumentum ac legumina cum ſuis valuulis, ſumtuoſiora ſunt, quàm vt quiuis ſuppeditare poſſit; tamen auenæ aliisque frumentis ſi ſuppetat copia, & res poſtulet, nequaquam parcendum. Quanta diligentia hoc pecus paſcendum, declarat Virgilius Latinorũ Poëtarum princeps, qui neque tempora paſcendi, & ad aquam ducendi negligenda putauit:

At verò Zephyris cùm læta vocantibus æſtas,
In ſaltus vtrumque gregem atque in paſcua mittes,
Luciferi primo cum ſidere frigida rura
Carpamus, dum mane nouum, dum gramina canent.
Et ros in tenera pecori gratiſſimus herba.
Inde vbi quarta ſitim cæli collegerit hora,
Ad puteos, aut alta greges ad ſtagna iubeto
Currentem ilignis potare canalibus vndam.

Medio autem die ad vallem, vt idem canit mox ſubdens:

Sicubi magna Iouis antiquo robore quercus
Ingentes tendit ramos, aut ſicubi nigrum

Ilici-

Ilicibus crebris ſacra nemus accubat vmbra.

Rurſus deinde mitigatæ vapore cogentur ad aquam, etiam per æſtatem, atque iterum ad paſcua perducentur, *Solis ad occaſum, cùm frigidus aëra veſper Temperat, & ſaltus reficit iam roſida Luna.*

Varro paſtiones temporibus diſtingui ſcribit in Appulia, vt æſtate prima luce exeant paſtum, propterea quod tũ herba roſcida meridianam, quæ eſt aridior, iucunditate ſuperet. Sole exorto puro propellunt, vt redintegrantes rurſum ad paſtum alacriores faciant. Circiter meridianos æſtus, dum deferueſcant, ſub imbriferas rupes & arbores patulas ſubiiciunt, quoad refrigerato aëre veſpertino, rurſus paſcant ad ſolis occaſum; atque ita agendum eſt, vt auerſum ſit ſoli caput: nam caput illi molle. Ab occaſu paruo interuallo interpoſito ad bibendum appellunt, & rurſus paſcunt quoad contenebrauit: iterum enim tunc in herba iucunditas. Hæc ab Vergiliarum & Caniculæ exortu ad æquinoctium autumnale obſeruari dicit Varro. Idem Columella & Plinius docent, per emerſum caniculæ

Paſcendarum omiũ cura.

ſidus

ſidus, vt ante meridiem grex in occidentem ſpectans agatur, & in eam partem progrediatur, poſt meridiem in orientem. Quibus in locis meſſes ſunt factæ, intereſt duplici de cauſa, quòd & caduca ſpica ſaturantur, & obtritis ſtramentis & ſtercoratione faciunt in futurum annum ſegetes meliores: attamen noſtris non placet ouem ſpicas legere. Reliquæ paſtiones hyberno ac verno tempore hoc mutãt, quod pruina iam exhalata propellunt in pabulum & paſcunt diem totum, ac meridiano tempore ſemel agere potum ſatis habere exiſtimant. Noſtratibus obſeruatur, neque ante exorientem ſolem, neque poſt occaſum paſci debere oues foris æſtate, propter roris noxam, hyeme non perinde nocentem. Hyeme & vere matutinis temporibus intra ſepta continendæ tantiſper, dum dies aruis gelicidia detrahat. Nam pruinoſam illis diebus herbam pecudi grauedinem creare, ventremque proluere. Quare frigidis, humidisque temporibus anni ſemel duntaxat ei poteſtatem aquæ faciendam eſſe. Præterea gregis cuſto-

Spicas oues legere non conuenit.

dem

Pastoris in pascendo cura.

dem circumspectum esse oportet, id quod omnibus omnium quadrupedum pastoribus præcipitur, vt clementia vtatur, & sibilis, fistulis cantuque oblectet. Nam Musica delectari id genus pecorum, eoque non minus quàm pascuis pingueſcere, Arabes existimant, vt scribit Aelianus. Sicque moderetur, vt in cogendis recipiendisque, acclamatione atqne baculo minetur, nec vnquam telum in eas emittat: Neque ab ipsis longius recedat, nec aut recubet, aut considat. Nam nisi procedit, stare debet, quoniam grex custodis officium, sublimem, celsissimamque oculorum veluti speculam desiderat, vt neque tardiores & grauidas, dum cunctantur, neque agiles & fœtas, dum procurrunt, separari à cæteris sinat, ne fur, aut bestia hallucinantem pastorem decipiat. De pastionibus abundè: de stabulis iam dicendum. Nam eorum magna ratio habenda, vt sint loco idoneo, non ventoso, spectent ad orientem magis quàm ad meridiem. Columella humilia postulat, & in longitudinem potius quàm in la-

Musica oues delectari.

Stabula ouium.

in latitudinem porrecta, vt hyeme calida sint, nec augustiæ fœtus oblidant; & poni vult ad meridianam plagam; nam pecus hoc, etsi est vestitissimum, frigoris tamen impatientissimum est, nec minus æstiui vaporis. Nos vidimus stabula huius pecoris quædam sic dispositа, vt & ab oriente, & meridie ostium, & pro temporis ratione cœli capax esset. Columella subiicit, vt stabulum sit ad meridiem obuersum, & ab alia parte vestibulum, idque clausum, in quod sit tutus exitus refrigerandi. Danda opera, vt vbi stent, solum eruderatum sit, & procliuum, vt euerri facilè possit, ac fieri purum, & necubi vrina consistere queat. Nam ea vligo nõ solùm vngulas, sed lanam etiam corrumpit, scabrasque reddit. Ne igitur sit humor, sed semper quàm aridissimis filicibus, vel culmis stabula constrata sint, quò mollius ac purius incubent fœtæ. Sint quala mundissima. Quò enim mundius quiescunt, hoc lubentius pascuntur. Pascendæ sunt largiori pabulo. Nam, vt dictum, exiguus numerus, cùm pabulo satiatur, plus domino reddit,

Oues paucas & benè pascendas

reddit, quàm maximus grex malè nutritus. Facienda quoque septa separata ab aliis, quò enitentes secludere possis, & ægras. Atq; hæc de villaticis ouibus, quæ quotidie domum reducuntur.

Oues quæ procul à stabulis pascũtur.

Porrò locis quibusdam pascuntur procul à villis atque tectis, nempe in saltibus, aut campis amplioribus. Hîc pastores ducunt secum crates, & retia, quibus cohortes in solitudine faciant, cæteraque vtensilia: cùm interdum millibus aliquot hybernæ pastiones ab æstiuis absint, & Varroni greges, qui in Apulia hybernarent, in Reatinis montibus æstiuarent. Et Virgilius de pastoribus Libycis canit:

Crates pro ouilibus.

Quid tibi pastores Libyæ, quid pascua versu
Prosequar, & raris habitata mapalia tectis?
Sæpe diẽ noctemq́, & totum ex ordine mẽsem
Pascitur, itq́ pecus longè in deserta sine vllis
Hospitijs, tantum campi iacet: omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumq́, laremq́,
Armaq́, Amycleumq́ canem, Cressamq́ pharetram.

Idem in Bructeris & aliis aliquot Germaniæ locis non rarum esse, ipse testari possum: vbi cum grege in agris pernoctantes

ctantes paſtores cratibus gregem cingunt alligatis canibus excubitoribus. Ipſe opilio in carruca aut ciſio biroto, cui tectum impoſitum, tanquam ἀμαξόβιος, iuxta gregem quieſcit. Græcas autem oues, ſicut Aſianas, & Tarentinas, & quas tectas vocant, has moris eſt ſtabulo potius quàm foris nutrire, propter precioſi velleris curam. EVPHORBVS. Tonſuræ quæ tempora obſeruantur? HED. Tonſuræ variant tempora, quia non vbique idem cœli ſtatus, neque pecoris, pabuliq; ratio eadem. Eſtque modus optimus, conſiderare cœli temperaturam, quò ouis neque frigore tonſa, neque æſtu, ſi intonſa maneat, lædatur. Quibuſdam locis bis tondentur, nempe ad initium Maij, aut finiente Aprili, temperatis diebus, prima tonſura, & iterum circa Septembris initium ſecunda vſurpatur. Quibus ſemel tondere duntaxat conſuetum, hi circa ſolſtitium æſtiuum vellere pecus liberant: quo tempore & ij, qui gemina vtuntur tonſura, agnos quoque tondere conſueuerunt. Ante triduum quàm tondeantur, benè lauandæ, atque vbi

Τεκτάονες Græcè.

Tonſuræ tempora.

exiccatæ, tondendæ ſunt. Non omnibus locis tondendi ſed quibuſdam locis vellendi morem eſſe ſcribit Plinius. Lanam veteres laudatiſſimam celebrauere Appulam, & quæ in Italia Græci pecoris appellabatur, inde Italicam; tertium locũ Mileſiæ tribuerunt. Appulæ breues villo, nec niſi penulis celebres. Circa Tarentum Canaſium-que ſummam nobilitatem habent. In Aſia verò eodem genere Laodiceæ: Iam Britãnici velleris præcipuum precium. Quò pabulum magis tenerum, hoc lana mollior gigni exiſtimatur. Ouium, quas lupus occiderit, vellera, & factas ex his veſtes, pediculis procreandis magis obnoxia, quàm cætera, Ariſtoteles ſcripſit. Vulnera, quæ inter tondendum contingunt, pice liquida inungenda. Tonſas tradunt adlinendas ſucco decocti lupini, fecibuſq; vini veteris, & amurca, pari menſura atque in vnum corpus cõmixtis. Poſt triduum vel in mari, ſi id vicinum, vel in mediterraneis aqua cœleſti cũ ſale decocta pecorum corpora diluenda; hoc modo curat m pecus toto anno, nec ſcabrũ fieri,

Plin. lib. 8 cap. 48 Lanæ præſtantiſſimæ.

fieri, & prolixas lanas creare fertur & molles: vnde Virgilius, Fluuio, inquit, sæpe mersare salubri. Sunt, qui præcipiunt, tribus per annum totum diebus aprico die lotas oues oleo & vino vngẽdas: Propter serpentes, quæ sub præsepibus plerunque latent, cedrum vel galbanum, vel mulieris capillos aut ceruina cornua vrenda. Autumno delectus habendus, de quo suprà admonuimus, & debiles quæque precio commutandæ, ne eas imbecilles hybernum frigus absumat. Vna autem cæsa aut altera, inspiciendum hepar, quod si vitiosum sit (nam hinc futuri periculi significatio datur) tum vel vendendæ, vel saginandæ atque mactandę sunt. Vix enim, hepate infecto, incolumes seruari poterunt. Oues frequentius quàm vllum aliud animal infestatur scabie, quæ ferè nascitur, vt Poeta testatur:

Delectus quotãnis habendus autumno.

Scabies ouium.

-cùm frigidus imber
Altius ad viuum procedit, & horrida cano
Bruma gelu.

Vel si æstiuum sudorem mari vel flumine non abluas, si detonsam syluestribus rubis ac spinis sauciari patiaris, si stabu-

lovtaris, in quo muli, aut equi, aut asini steterint, præcipuè autem exiguitas pabuli, maciem, macies scabiem generat. Intelligitur pecus vitiosum, si locum aliquem corporis vel scalpat, aut cornu vel vngula tundat, vel arbori affricet vel parietibus: quod vbi videris, comprehende, lanaque deducta, deprehendes asperam cutem & velut quãdam prurigi:iem. Varia huic malo remedia præscribuntur à pluribus, sed quæ non vbique omnibus obuia. Virgilius nullum remedium præsentius existimat, quàm

si ferro poteris rescindere summum
Vlceris os: alitur vitium, viuitq; tegendo.

Constantinus ex Didymo tradit, scabiem ouium curari lauando vrina, & sulphur cum oleo illinendo. Vulgus pastorum mox comprehensam fricãtem se ouem, deducta lana, oblinit locum suspectum pice liquida, quam in eum vsum in pixide circumferunt. Alij alia remedia profitentur operosiora, quæ non sunt cuilibet vel regioni vel opilioni parabilia. Quod si totum gregem inuaserit, aliquoties ita hæret, vt ipsa

stabula,

ſtabula, atque adeò (quod in omnibus morbis vtile) regionem & aërem mutare neceſſe ſit. Vnum ego deprehendo conſeruandæ incolumitatis huius pecoris præſentiſſimum remedium. Baccas iuniperi contuſas minutim inſpergas auenæ, miſceaſque ſale; hæc ſimul miſta ter quatérve quotannis præbeto. Nam etſi iuniperi grana per ſe reſpuunt, tamen propter ſalis & auenæ appetentiam ſimul non grauatim aſſument. Si pediculis, aut ricinis infeſtentur, aceris radices contundantur, additaque aqua coquantur, eumq; liquorem diuulſa lana inſpergas tepidum, vt à ſpina per totum corpus diffluat, Alij mandragoræ radice vtuntur; at cauendum, ne deguſtent. Febricitantibus ſanguis de talo inter duas vngulas mittendus, quod poëta docuit inquiens:

Profuit incenſos æſtus auertere, & inter
Ima ferire pedis ſalientem ſanguine venam.

Sunt qui ſub oculis & de auribus ſanguinem detrahunt. Intertrigo pice liquida & alumine ac ſulphure acetoq; miſtis eruitur, vel æris ærugine infriata. Tuberculum cautè circumſecandum,

Cõmune remediũ cõſeruãdæ incolumitatis.

Aduerſus pediculos & ricinos.

Febricitãtium remedia.

Intertrigo

ne vermiculum, qui inibi occultatur, faucies; nam is saniem emittit noxium, vulnusq; facit insanabile. Si solis æstu læsæ concidant neque edant, betæ sylueſtris succum dato, coganturq; ipsas betas edere. Si difficulter spirent, aures ferro incidantur. Si tussis vexet, amygdalæ tusæ cum vini cyathis tribus per nares infundantur. Ouem pulmonariam & suem curabis inserta per auriculam consiligine, quæ radicula vulgò vocatur; hic morbus plerunque aquæ penuria creatur; quare præsertim æstiuo tempore omni quadrupedi largius bibendi potestas danda est. Crura fracta non aliter quàm hominum curantur, inuoluta lanis, oleo atque vino insuccatis, & mox assulis aut ferulis circumdatis conligata. Mentigine quoque emissi agni atque aliæ oues ex roscidis herbis depastis laborant, & os & labra vlceribus corripiũtur. Remedio fuerit hyssopus & sal, æquis ponderibus contrita; si ea mistura os, palatum, & labra confricentur, vlcera aceto piceq; liquida cum adipe suillo perlinantur. Si ex herba noxia vel vermis esu intu-

Spirantes difficulter.

Tussis.

Pulmonaria ouis.

Crura fracta.

Mentigo.

mescat

meſcat venter, lancinatis ſupra labra venis ſanguinem mittes, itemque quæ ſub cauda ſunt iuxta ſedem, hominisq; vrinã infundes. Si hirudinem deglutiuerit, acetum acre calidum, aut oleum infundito. A lupis aiunt liberas eſſe, ſi ducigregis ſcylla herba alligatur, Anatolio teſte. EVP. Caprarum tuarum, Hedio, ne obliuiſcaris. HED. Capris multa cum ouibus communia ſunt. Nam & ſaliuntur iiſdem temporibus, & geſtant in vtero menſibus totidem, quot oues. Reditus affert carne, lacte, caſeo, pelle, piloq;. nam & tondetur. Pilus ipſe vtilis ad funes & ſaccos, atque his ſimilia, & nautica miniſteria; quæ enim inde facta ſunt, neque humore putreſcunt, neque facilè inciduntur. In caprino pecore, ſicut in aliis quoque, & ætas & forma conſideranda, maximè ſi ad fœturam comparetur. Ad eam rem nouella quàm vetus melior: forma ſint firmæ, magnæ, corpus lęue habeant & pilo crebro, niſi glabræ ſint. Nam duo genera Varro commemorat, glabras & piloſas. Quæ mamillas aut verruculas, aliqui lacinias vocant,

Hirudinis deglutitæ cura.

Aduerſus lupos.

Deceptio.

Verruculę Laciniæ.

cant, ſub mento penſiles habent, has fœcundiores exiſtimant. Vber quoque grande habeant, & lac pingue, & multum pro portione præbeant. Hircus molliore pilo atque longo, ceruice & collo breui, gurgulione longiore, cruribus craſſis, auribus prægrandibus & flaccidis ſit. Melius fuerit, vnum gregem totum, quàm ex pluribus particulatim mercari. Dependet omniũ mento villus, quem aruncum vocari ſcribit Plinius, hoc ſi quis apprenſam ex grege vnam trahat, cæteræ ſtupentes ſpectant. Hircus cum barbæ fiducia, tùm naturæ quodam inſtinctu, vt Aelianus teſtatur, genus maſculum fœmineo præferens, antecedit. Emptionis huius pecoris alia ratio, quàm ouium, quòd capras ſanas nemo ſanus promittit: nunquam enim ſine febri ſunt: ſed ſtipulantur, capras illas hodie rectè eſſe & bibere poſſe. Mirandum in hoc animali, quòd non ſicut cætera naribus ſpiritum ducant, ſed auribus. Meliore ſemine, quæ bis pariunt: & his potiſſimum mares ſubmitti ad admiſſuras ſolent. Caper menſium ſeptem

Gregẽ potius quàm particulatim capras mercari.

Aruncus.

Stipulatio in capris emendis.

Capras obnoxias morbo.

Caprasau-

ad

ad procreandum habilis: quoniam immodicæ libidinis est: dum adhuc vberibus alitur, matrem stupro superuenire traditur: ideo celeriter & ante sex annos senescit, quòd immatura Veneris cupidine primis pueritiæ temporibus exhauritur. Itaque quinquennis parum idoneus habetur fœminis implendis. Tempus admissuræ per autumnum ferè ante Decembrem præcipiunt, vt appropinquante vere germinantibus frutetis, partus edatur. Gestat vterũ, vt diximus, mensibus quinque, sicut & ouis; edit ferè binos, aliquoties ternos atque quaternos, vt Plinius testatur. Ex geminis singula capita, quæ videntur esse robustiora, in supplementum gregis reseruantur, cætera vel mercantibus vel culinæ traduntur. Quod ad fœturam attinet, desistente autũno exigunt à grege è campis hircos in caprilia. Item, vt de arietibus dictum, quæ concepit post quartum mensem, redit tempore verno, vt Varro tradit. Edunt partum anniculæ atque bimæ capellæ, sed educare partum non debere, Columella cõ-

ribus spiritũ ducere.

Veneris noxa.

tendit, nisi trimam: quare anniculæ depellenda soboles, bimæ tandiu admittenda, dum possit esse vendibilis. Pessimam fœturam idem tradit, cùm matres bimæ ternos hœdos procreant: Qui vbi editi, eodem modo educantur, quo agni, nisi quòd hœdorum lasciuia magis compescenda arctiusque cohibenda, tenuesque frondes super lactis abundantiam præbendæ. Plinius tradit trimas minus vtiliter generare, & in senecta, nec vltra quadriennium, incipere septimo mense & adhuc lactentes. Primus in die coitus non implet, sequens efficacior, dein concipit, parit octo annis. Quare capellas vltra octo annos non esse seruandas suadent, quòd assiduo partu sterilescant. Mutilos conuenit esse, sicut & aliarum gregum maritos diximus superius: quoniam cornuti pernicioſi propter petulantiam. Mutilis etiam capris maiorem lactis copiam esse asseuerant. Columella etsi mutilam quoque probet quieto cœli statu, attamen procelloso & imbrifero cœlo cornutas nõ improbat. Quibus cornua sunt, in his indicia anno-

Mutilorũ ratio.

Cornua

annorum per incrementa nodorum æstimantur. Traditur noctu eas non minus quàm interdiu cernere. Item auersas iacere, nec in pascuis contueri inter se. Frigus nocere huic pecori proditur, maximè fœtis, nocet & æstus. Solertiam eius animalis Mutianus sibi visam prodit in ponte prætenui, duabus obuiis è diuerso; cùm circumactũ angustiæ non caperent, nec reciprocationem longitudo in exilitate cæca, torrente rapido minaciter subterfluẽte, alteram decubuisse, atque ita alteram proculcatæ supergressam. Gregem vnum totum emendum diximus, eumque meliorem, qui non ex collectis comparatus sit, sed ex consuetis vnâ. Greges plures potius quàm magnos Varro probare videtur exemplo cuiusdam Gaberij, quòd magnus facilè peste inficiatur: satisque magnum gregem, quinquagenas. Columella numerum maiorem quàm centum, vno clauso scribit non habẽdum, cum lanigeræ mille pariter stabulentur. Morsus earum arboribus exitialis: quare Baccho immolari solitæ, quòd

ætatem indicant. Capraruum mores & solertia. Plin. l. 8. c. 50.

vi-

Caprile. vitibus noxium ſit hoc pecus. Caprile ipſum vel naturali ſaxo, vel manu conſtratum probauit Columella, quoniam huic pecori nihil ſubſternere opus, niſi cùm foris pernoctat, virgulta quædam ſubſternunt. Paſtor ſubinde ſtabulum conuerrere debet, nec pati ſtercus aut humorem conſiſtere, quæ capris ſunt inimica: quoniam, vt ſupra memoraui, rarò ſine febre ſunt, & peDe morbis caprarum. ſtilentia vexantur. Atqui alia pecora cùm peſte corripiuntur, prius morbo & languoribus maceſcunt, ſolæ capellæ quamuis optimæ & hilares ſubitò concidunt, & veluti ruina aliqua gregatim proſternuntur. Idque maximè accidere pabuli vbertate ſolet. Quapropter ſtatim cum vnam aut alteram peſtis percutit, omnibus ſanguis detrahendus, nec tota die paſcendæ, ſed mediis quatuor horis intra ſepta claudendæ. Sin alius morbus infeſtat, pabulo medicantur arundinis & albæ ſpinæ radicibus, quas, cùm ferreis pilis diligenter contuderis, admiſcenda aqua pluuialis, ſolamque potandam pecori præbebis. Quod ſi ea res ægritudinem

non

non depellit, vẽdenda ſunt pecora, vel ſi id fieri nequit, mactanda ſaliendaq;. Mox interpoſito ſpatio alius grex reparandus, nec tamen antè, quàm peſtilẽs tempus anni, ſiue id fuit hyemis, vertatur æſtate, ſiue autumni, vere mutetur. Cùm ſingulæ laborant, eadẽ quæ ouibus remedia adhibentur. Florentinus tradit, ſi ciconiæ vẽtriculum aqua contritum cochlearij menſura infuderis, peſtilentia neque capras neque oues tentari. Si aqua diſtenditur cutis, quod vitium Græci ὕδροπα vocant, ſub armo pellis leniter inciſa pernicioſum tranſmittit humorem; vulnus factum liquida pice curetur. EVPHORB. Iam de tuo pecore curando ſatis nobis feciſſe videris. Vnum ab omnibus nobis prætermiſſum in te recidit, nempe lactis cura, præcipui noſtri alimenti. HEDIO. Quoniam ex hoc animalium genere, quorum curam enarrauimus, non aſpernandus lactis prouentus redit, eius quoque ratio nequaquam prætermittenda. Nam lac, inquit Varro, eſt omnium rerum, quas cibi cauſa ſumimus, liquentium maximè alibile. Diſcrimi-

Lactis cura Butyrum. Caſeus.

na

Lactis discrimina. na lactis ab animalium natura sumuntur: vt humanum, bubulum, ouinum, caprinum, asininum, equinum, camelinum. Maximè alit humanum, mox caprinum: vnde Iouem capra nutritum dixêre poetæ. Dulcissimum post humanum est camelinum. Cameli lac habent, donec iterum graueſcant. Efficacissimum, asininum. Asinæ continuò prægnantes lacteſcunt. Bos non habet lac nisi à partu. Stomacho accommodatissimum caprinum; quoniam fronde magis quàm herba capra vescuntur. Bubulum medicatius, & aluum maximè soluit. Ouillum dulcius, & magis alit, stomacho minus vtile; quoniam est pinguius. Omne vernum aquosius æstiuo, & de nouellis. Innocentius decoctum, præcipuè cum calculis marinis.

Lac nigrum. Lac nigrum oues præbere in Ponto ad flumen Astacem Plinius tradit. Lac generatim omne, vt Dioscorides tradit, boni succi est, stomachum & inteſtina inflatione vexat, vernum dilutius & aluum magis emollit. Discrimina lactis deinde à pastionibus, & pecudum natura, atque mulctu sumuntur, Varrone teſte.

teſte. A paſtionibus, quod ſit hordeo & ſtipula & omnino arido & firmo cibo pecude paſta, idq; alibile. Ad perpurgandum id valet, quod è viridi paſcuo, & eo magis, ſi ex herba, quæ eadem & ipſa ſumpta perpurgare corpora noſtra ſolet. E ſalicis cortice, ſi Beryto credimus, paſta pecora acerbum & præſtantius lac præbent, & multo magis à cythiſi pabulo. Noſtrates maximè probant è ſporia, & trifolio, & paſcuis luteis floribus abundãtibus. A pecudum natura lactis diſcrimen eſt, quod melius à valentibus, & ab iis, quæ nondum veteres ſunt, quàm contrà. A mulgendo optimum eſt, quod neq; emulctum longè abeſt à mulſo, neque à partu continuo ſumptum, vt eſt coloſtra prima à partu, ſpongioſa denſitas lactis. Probatur autem lac an purum & incorruptum, iunco acuto immiſſo & extracto, lactéque ad vnguem inſtillato: ſi mox defluxerit, indicium eſt aquæ admiſtæ, ſin conſtiterit in vngue, purum iudicatur. Schiſton, lactis genus adiectione guttulæ mulſi, vel aceti, à concreto lacte diſcriminatum, vt docet

Coloſtra. Lac quo pacto probetur an purum.

Schiſton.

Dio-

C: remor. Dioſcorides. Pingue lactis cremorem

De buty- ro. appellat Celſus. E lacte butyrum fit, cuius vſus inferioribus Germaniæ populis plurimus & commodiſſimus; aliis tamen nationibus quoque & veteribus atque adeo Patriarchis vſurpatum butyrum, & ſacræ & prophanæ teſtantur hiſtoriæ. Huius vtilitas cùm ad alia, tum ad famem ſedandam, & ad vires conſeruandas commẽdatur. Fit autem butyrum è lacte ſtatim è mulctralibus in conchas teſtulaſque (fictiles magis probantur, & latę magis quàm profundæ) effuſum. Inde altero die aut tertio pingue illud, quod ſummum lactis tegit (cremorem vocari diximus) ademptum collectumque in vas immittitur oblongum magis quam latum, cylindrica figura, etſi ſint, qui etiam alia vaſorum forma prona atque iacenti vtantur: crebráque agitatione ſurſum ac deorſum lac concutitur, donec pingue à liquidiore ſecernatur, & primum velut in micas, poſt continuata agitatione in maſſam cogatur. Inde exẽptum aut recens manditur, aut ſalitum reconditur. Tenue autem lactis à butyro

ſepara-

ſeparatum, velut Schiſton, familiæ aut porcis vitulíſque in cibum datur non inſalubrem neque ingratum. Fit & caſeus ex omni ferè lacte quadrupedum in fictile vas infuſo, indito adiectoque pauxillo coaguli, nempe lactis duobus congiis, magnitudine oliuæ vt coëat. Probatur coagulum leporinum aut hœdinum magis, quàm agninum Varroni: Nos plurimum vtimur vitulino. Sunt qui addunt lac ficulneum & acetum. Alij vtuntur pellicula, quæ auium ventribus adhæret, vel agreſtis cardui floribus. Lac quò recentius & purius, hoc caſeus fit melior: nam ex miſto, aut cui pingue ſublatum, factus caſeus celeriter acorem concipit, & indureſcit, neque ſeruari diu poterit: quare celerius abſumendus aut diſtrahendus, dum adhuc viridis ſuccum retinet. E pingui & recēti lacte factus diuturnæ cuſtodiæ idoneus eſt caſeus, & teneritudinem ſuccoſamque pinguedinem diutius retinet. Duabus aut tribus horis à coagulo indito lac concreſcit, craſſumque ipſum in formulas aut fiſcellas calathoſque vimineos mit-

De caſeo faciendo

Coagulū.

titur, aut per tyrocneſtem exprimitur, vel ſi caſei puſilli ſint, manu premuntur. Sin maiores, pondere vrgentur. Maximè enim refert, mox ſerum (ſic liquidum illud, quod defluit, vocamus) percolari, & à concreta materia ſeparari, neque permittere, vt ſua ſponte pigro humore defluat. Qui grandiores caſeos faciunt, formas in hoc paratas habent, ac pondera ſuperimponunt, quibus ſerum exprimatur. Deinde calathis aut formis exemptos in crates vel mundiſſimas tabulas loco opaco & frigido atq; à ventis remoto cõponunt, ſalibusq; conſpergunt, vt acidũ liquorẽ exudet, atque ita ponunt, ne ſe contingant. Vbi iam conſpiſſatus duratiorq; factus, vehementius premitur, torridoque ſale contingitur, ac rurſus ponderibus condenſatur; ſic neque fiſtuloſus, neque aridus prouenire creditur, quæ vitia ſolent accidere, ſi vel non ſatis preſſus ſit, aut nimium ſalitus. Sunt qui virides pineas nuces in mulctram demittunt, & ſuper eas mulgent, lactiq; permiſcent, atque congelant. Alij thymum tritum & frequenter gelatum

Serum lactis.

cum

cum lacte cogunt. Similiter qualemcunque velis saporem efficere, poteris adiecto, quod elegeris, condimento seu piperis, seu cuiuscunque pigmenti. At Columella optimum caseum iudicat, qui minimum medicaminis habet. Casei maximi cibi sunt bubuli, & qui difficillimè transeant sumpti. Secundo loco ouilli, sed minimi cibi, & qui facillimè deiiciantur, caprini. Equinos eosdem effectus, quos bubulos, habere tradunt. Fiunt & camelini casei & asinini: bubulini Romæ in delitiis. E cęteris animãtibus, quæ vtrinq; dentata, & quæ plures quaternis mãmas habent, caseũ non fieri proditũ, quòd horũ lac non coëat, & caseo sit inutile. Cõmendantur nostra ætate ad Padum facti, qui Parmenses vocantur, magnitudine & sapore in precio habiti. Nam octoginta librarum, & maiores in externas regiones transportantur. Plinius scriptum reliquit, Lunenses, ad singula millia pondo premi. Martiali celebrantur Lunenses, Vestini, Velabrenses, Trebulani. Laudantur & Batauici atque Anglici, qui & ipsi mer-

Caseos nõ fieri ex animantibus quæ plures quàm quaternas habeant mãmas.

Parmẽses casei.

cimoniis cum exteris permutantur. Vitia caſeorum ſunt, vt attigimus, ſi ſicci, ſi fiſtuloſi. Seruari aiunt caſeos & durabiles fieri, ſi aceruo leguminũ, maximè cicerculi aut frumenti tegantur. Molles caſei magis ſunt alibiles, quàm aridi, & ſtomacho vtiliores, neque in corpore reſides, veteres contrà: vnde tritum prouerbium, Caſeus nequam, niſi recens; ſeneſcentes autem in muſteum ſaporem redire, aceto è thymo maceratos, aut etiam vino. Si ob vetuſtatem durior aut amarus ſit, in omelyſi (hoc eſt farina ex hordeo non torrefacto) permadeſcat, deinde in aquam mittatur, pòſt, quod in ſuperficie hæret, auferatur. Compertum habemus, duriuſculos caſeos linteo inuolutos, quod aceto & vino madefactum ſit, ſæpiuſque aſperſos, & vino in rimas infuſo, atque ſepoſitos emolliri, & gratiorem recipere ſaporem. Sunt qui fermentum imponunt, eóque locum apertum claudunt, quo dempto recentiorem præſtari. Zoroaſtreni aiunt 20 annis in deſerto victitaſſe caſeo ita temperato, vt vetuſtatem non ſenti-

Omelyſis.

Zoroaſtres 20. annis caſeo vixit.

sentiret. EVPHOR. Ex sero, quod à caseo defluit, recocta fit, lento nimirum igne incalefacto, donec ad summum pinguedo casei emergere incipiat. HE. Tu eo cibo delectari soles. Ev. Fateor, maximè si recens lac copiosè sero infundatur. Tradunt veteres lacticinij genus nõ multum à recocta dissidens, quod Melcam vocant. Confici autem, si fictili nouo acetum indas, & leniter ad ignem feruere sinas, vt à vase conbibatur acetum, inque ea vasa lac mittas, recondasq; loco, vbi immota maneant, mox melcas præstantissimas habiturus. HE D. Sed abundè meum videor symbolum persoluisse, ad te iam transit periodus Eumæe. EV M. Suilli pecoris curam ad rei rusticæ pastionem pertinere, vetus maiorum dictum declarat, Ignauum & sumptuosum esse eum rusticum, qui succidiam in carnario suspendit à laniario, & non à domestico fundo desumptam. Nam est suus ex hoc pecore nostris agricolis non minus pænitendus prouentus, sæpe maior, quàm vobis magnis pecuariis è vestris gregibus. Nisi enim lardum sup-

Recocta.

Melca.

De Suibus ac porcino pecore

petat agricolæ, præcipuus apparatus culinæ rusticæ desiderari putatur. Iudæis quidem erat suilla abominabilis; arbitror enim eos non gustasse Celticas pernas, quæ Varroni, Straboni, Athenæo, & aliquot aliis grauissimis Scriptoribus vehementer probantur. Equidem hos intellexisse puto Vuestphalicos petasones, nostro etiamnum tempore externis atque adeo Romanis expetitos, eosque Celticas pernas appellatas, quod veteres maximè Græci, transalpinos populos tam Gallos, quàm Germanos, Celtas appellarunt. Certe ex nullo alio animali numerosior ganeæ materia; prope quinquaginta sapores, cũ cæteris singuli. Hinc censoriarum legum paginæ, interdictáque cænis abdomina, glandia, testiculi, vuluæ, syncipita verrina, vt testatur Plinius. At verò non solum Celtæ huius pecoris curam habuisse deprehenduntur, sed etiam Græcos & Italos greges amplissimos porcorum aluisse constat. De Græcis Homerus testatur, qui cognominẽ meũ memorat 12. haras habuisse, quarum singulę quinquaginta

Pernæ Celticæ.

Plin l. 8. cap. 51.

Greges porcorũ.

ginta fœtas clauderent. Et Polybius vna fœtura mille nonnunquam & plures porcos apud Italos antiquos & Tyrrhenos atque Gallos enutriri solitos scribit. Varro centenarium numerum modicum existimat. Qui porcinum gregem alere constituit, idoneã rationem & formæ & ætatis habere debet: Varro addit generis quoque, regionisque qualitatem. Et quia patri plerunque similior progenies, probandi sunt corpore eximij, quadrati, &, quod ad rem maximè pertinet, quàm salaciſſimi. Coloris vnius magis probantur Varroni: Setæ densæ, atque duræ, & nigræ sint, si frigida regio est: si temperata, glabrum pecus pasci potest: setæ aduersæ vitantur. Forma spectatur oblonga, longisque lateribus, quibus sit par adsustinendum fœturæ onus, magnus venter in longum se effundens, & Succidias longas pariens, clunibus vastis, nec perinde cruribus aut vngulis proceris, amplis & glandulosis ceruicibus, rostris breuibus & resupinis, intorta cauda. A progenie commendantur, si plurimos porcos

Col. l. 7. cap. 9.

Scrofæ forma.

pariant. A regione, vbi proueniant ampli potius quàm exiles. Aetas verris annicula ad generandum idonea, tametsi semestres etiam fœminam impleant. Sufficit vnus verres decem fœminis & amplius. Fœmina ad partus edendos annicula quoque idonea, & in annos septem, quæ quantò fœcundior est, hoc celerius senescit. E primo partu deprehenditur, quàm sit futura fœcunda; neque enim multum in reliquis mutat. Sues generosæ duodenas mammas habent, vulgares duas minus, aut pauciores. Suam quemque porcellum mammam nosse in fœtu, quo genitus est ordine, eaque alinec alia, detractoque illa alumno suo sterilescere ilico ac resilire, & Plinius & experientia docet. Emi & comparari solent hac stipulatione: *Illasce Sues sanas esse, habereque rectè licere, noxisque præstare, neque de pecore morboso esse spondesne?* In pastu locus huic pecori aptus vliginosus, quòd delectetur non solum aqua sed etiam luto. Itaque, vt scribit Varro, lupi cum sint nacti suem, trahunt vsque ad aquam, quod dentes feruorem

Aetas.

Stipulatio emendorum porcorum.

De pascēdis suibus.

rem carnis ferre nequeant. Etſi autem hoc pecus omnem ſitum ruris ferat, (nam & montibus, & campis quoque, paludinoſis magis quàm ſitientibus, paſcitur) nemora tamen maximè vliginoſa conueniunt, quæ veſtiuntur quercu, ſubere, fago, cerris, illicibus, oleaſtris, tamaricibus, corylis, pomiferiſque ſylueſtribus, vt ſunt albæ ſpinæ, Græcæ ſiliquæ, iuniperus, lotus, pinus, cornus, arbutus, prunus, ceraſus. Hæc enim diuerſis temporibus miteſcunt, ac penè toto anno gregem ſaturant. Ac vbi penuria arborum, terrenum pabulum conſectandum; & ſicco limoſum præfertur, vt vel paludem rimentur, effodiantque lumbricos, atque luto volutentur, & aquis abuti poſſint, id quod per æſtatem maximè neceſſarium. Veſtigant & radiculas maximè filicis aquatiliſque ſyluæ, veluti iunci, ſcirpi, & degeneris arundinis. Adde, graminoſum quoque agrum Suem alere, &, qui conſitus ceraſis, prunis, pomis, nucibus. Nec tamen propter hæc parcetur horreis, nam ſæpè de manu dandum eſt, cum foris deficit pabu-

lum, propter quod plurima glans vel ciſternis in aqua, vel fumo tabulatis recondenda. Item faba, piſa, leguminaque alia præbenda; neque parcendum hordeo. Nam hæc maximè generis alunt nobilitatem, & non ſolum pinguedinem efficiunt, ſed etiam carnem commendant. In primis cum adhuc lactent porcelli, & ipſi, & matres bene paſcendæ. Paſtum exigunt mane & ante ſolis æſtum, ſubiguntq; in vmbroſa loca, maxime vbi aqua ſit. Prius quam procedant ad paſcua, conditiuis cibis ſuſtinentur, ne immaturis & viridibus herbis aluus citetur, quo vitio maximè emaciantur. Poſt meridiem rurſus lenito feruore paſcunt. Hyberno tempore non prius educuntur, quàm pruina euanuerit & colliqueſcat glacies. Etſi ad ſuarii vocem agnitam accurrũt, tamen ad buccinam vel paſtum, vel domum porcos reuocandos mauult Varro, ſiue ſint paſcendi, ſeu includendi. Pabulum præbendum longius; ſic enim minus deperit, &, vt ſpatium ſit paſcendi minoribus, ne à maioribus depellantur. Vbi

Pabulum genus nobilitat.

buc-

buccina ſonuerit, etiamſi longinquo & ſylueſtri loco diſperſi ſint, mox accurrere dicuntur. Polybius tradit Italos ea conſuetudine vti, vt ſubulci porcos non ſequantur è veſtigio, vt aliis locis, & Græcis mos eſt, ſed ad ſpatium aliquod progreſſi buccinâ ſonent, porci vero à tergo buccinæ ſonitui aſſueti ad miraculum ſequũtur, etiam numeroſiſſimi greges. Adeo vocem ſubulci agnoſcit & obſequitur, ſi Aeliano credimus, vt etiam piratæ, cum in Tyrrheno mari appuliſſent, & ex hara porcos plures impoſitos naui abduxiſſent, piratis autem ſoluentibus, ſuarij voce agnita, ſtatim in alterum latus nauem impellentes euerterint, merſiſque piratis, porci ad ſuos enatarint incolumes. Quia iam de Verris & ſcrofæ conditionibus, ac ſimul de paſcendo dixi, de fœtura adiiciam. Admiſſuræ tempus exiſtimatur à bruma ad æquinoctium vernum: ita enim fit, vt æſtate pariat. Nam quatuor menſibus fœta, quinto parit. Vno initu impletur, ſed geminatur propter abortiendi facilitatem. Quod ſi bis ſcrofam parere velis,

Ad buccinæ ſonum porci colligendi.

Admiſſuræ & partus tempora.

Sus quatuor menſes fœta.

lis, præstat eam Februario aut etiam Ianuario verri submittere, vt videlicet Aprili aut Maio pariat, cum iam tellus herbescit, & lactis fit firmior maturitas. Cum desierit vberibus ali, stipula pascatur, cæterisque frumenti leguminum cadueis frugibus, vt deinde rursus sub autumnum parere possit. Natura enim, vt Varro testatur, annus eius diuisus est bifariam, quod bis pariat anno: quaternis mensibus fert ventrem, binis nutricat. Vbi conceperint, verres separandus: nam impetu in scrofas facto abortus faciunt. Matres non minores quàm anniculas admittendas, Varro contendit, attamen octauo mense sæpe pariunt. Sed quo fœcundiores, hoc celerius seneſcũt. Verres octo mẽsium atq; semestris etiam incipit salire, permanetq;, vt id recte facere possit, vsque in quartũ annũ. Deinde trimi aut quadrimi castrantur saginanturq;. Supra octo capitum numerum alere non debere quidã volunt. Alij ne supra sex: non quod fœcunditas scrofarum maioris numeri esse non possit, sed quia cælerrimè fatiscit, quæ plures educat.

Varro

Varro ſuem Aeneæ Lauinij xxx porcellos peperiſſe albos prodit, ſed hoc portentum putatur, quoties plures parit, quàm quot mammas habet, & ſi minus pariat, fructuariam idoneam non eſſe. Scrofam in ſua quamque hara, vt ſuos alat porcellos, oportet continere. Non enim, vt cæteri greges vniuerſi, claudi debent, ſed per porticus haræ faciendæ, quibus aut à partu, aut etiam prægnantes includantur. Nam præcipuè ſues cateruatim, atque inconditæ, cum ſint pariter incluſę, ſuper alias alię cubant & fœtus elidunt. Quare haræ parietibus iunctæ conſtruendæ ſunt in altitudine pedum quaternûm, aut altius, ne ſus tranſilire queat. Nam contegi non debet hara, vt inſpicere Suarius, & numerum à ſuperiore loco recenſere poſſit, & ſi quem decumbens mater oppreſſerit, cubanti ſubtrahat, & vt facilius purgari poſſit cubile. Quoties purgatur, toties arenam aut aliud iniicere oportet, quod exugat humorem. Etſi enim ſpurcum animal ſit, mundum tamen cubile poſtulat. In haris oſtium ſit & limen altius, ne porcelli,

Triginta porcelli vno partu editi.

Hararum cõſtitutio.

celli,cum mater prodit,tranſiliant, neque alieni irrepant. Cum peperit, largiore cibo ſuſtentare oportet, quò largius lac ſuppeditare poſſit,maximè autem hordeum madefactum, aut molitum atque aqua temperatum præbere. Quod ſi penuria pabuli ſic ferat,lactens porcellus ære commutandus. Sic enim mater labori ſubtracta, celerius iterum conceptum partum edit. Qui hyeme naſcuntur, ſunt exiles, tum propter frigora, tũ quod matres aſpernantur propter lactis exiguitatem, dentibuſque mammas ſauciant. Scrofa ſi partus deuoret, non protinus prodigium exiſtimandum; nam ſues ex omnibus pecudibus impatientiſſimæ famis perhibentur, atque, ea adigente,non ſolum alienam, ſed etiam ſuam ſobolem mandere. A partu decem proximis diebus non producunt matrem ex hara,præterquam potum,pòſt ſinunt abire in propinquum villæ locum, vt crebro reditu lacte alere poſſit ſobolem. Cum creuerint, cupiunt ſequi matrem, tum domi ſeorſum paſcuntur à matre, vt deſiderium parentis

tis ferant facilius, quod decem diebus assequuntur. Porcellos à mamma depulsos delicos & iam non lactentes vocari vult Varro, atque à partu decimo die Sacres antiquis dictos, quod tum primum ad Sacrificia idonei; & Nefrendes, quòd nondum fabam frendere, hoc est, frangere possint. Porculator vt industrius sit & impiger, necesse est, memorque omnium, quas pascit, & matricum, & iuniorum, vt vniuscuiusq; partum consideret, & enitentem obseruet claudatq;, vt in hara fœtum edat. Tũ denotet ptinus, quot & quales sint nati, & curet maximè, ne quis sub nutrice aliena educetur. Nã facillimè porcelli, si euaserint haram, miscent se, & Scrofa cum decumbit, æquè alieno ac suo præbet vbera. Quare vnaquæque cum sua prole claudenda suario, qui si memoria deficitur, quo minus agnoscat cuiusque progeniem, pice liquida eandem notam scrofæ & porcis imponat, & siue per literas, siue per alias notas vnamquamque prolem cum sua matre distinguat: Siquidem in maiore numero diuersis notis opus, ne con-

Delici. Lactantes.

Sacres.

Castratio. confundatur memoria suarij. Castrationis duo tempora seruari tradunt veteres, veris & autumni, vt videlicet neque æstus, neque frigora periculum afferant: Et mares, cum primum ineũt,

Maiales. semestres, & dicuntur maiales, aut cum sæpius progenerarunt, trimos aut quadrimos esse castrandos, vt possint pinguescere, nempe impressis duobus vulneribus, per vnamquamque plagam singuli eximuntur testiculi. Aut cum vnum testiculum exemeris, per impressum vulnus scalpellum inseritur, & media quasi cutis, quæ interuenit duobus testiculis, rescinditur, atque vncis digitis alter testiculus educitur; sic fit vna cicatrix. Verum hoc genus castrationis periculosius. Fœminis quoque vuluæ ferro exulcerantur, & cicatricibus clauduntur, ne fiant grauidæ, & pinguescant melius. Aristoteles, & eum secutus Plinius fœminis post bidui inediam suspensis posterioribus pernis, vuluam rescindi tradit, atque sic pinguescere celerius. Nobis probatur magis, vt iuniores castrentur, nempe bimestres: nam sic minus

est

est periculi. Castratis abstinendum à potu,& modico cibo pascendi. Vulnera recenti butyro vngũtur ac consuuntur. Sicut sanitatis ac bonæ constitutionis indicium, cauda contorta, sic inualidam suem esse certis significationibus comprehenditur. Nam setis è dorso euulsis, si cruor sit in radice setæ,non esse sanam notat. Ad hæc Sues ægrotantes, aut febricitantes capita transuersa gerunt, & per pascua subito, cum paulatim procurrerint, consistunt, & vertigine correptæ concidũt, eoque notanda capita, in quam partem proclinentur, vt ex aduersa parte auriculæ sanguinem mittamus. Item sub cauda duobus digitis à clunibus intermissis vena ferienda, quæ est in eo loco satis ampla, eamque Sarmento prius oportet verberari, deinde abictu virgæ tumentem ferro rescindi, detractóque sanguine colligari saligneo libro vel vlmeo. Quo facto, vno aut altero die sub tecto pecudem continebimus,& aquam modicè calidam,quãtum volent, farinæque hordeaceæ singulos sextarios præbebimus. Quo-

Indicium sanitatis in sue.

De morbis porcorum,& remediis.

Indicia ægrotantis suis.

Febricitantium suum medela.

niam anginæ & ſtrumæ maximè obnoxium hoc animal: Anginæ & tonſellæ ſi affligant, Didymus è ſcapulis ſanguinem detrahere iubet, alij ſub lingua: Aliqui radicula curant inſerta. Strumoſis ſub lingua mittendus ſanguis, qui cum profluxerit, ſale trito cum farina triticea confricari totum os conuenit: Democritus aſphodeli radicem tuſam ad minas tres ſingulis ſuibus præbere iubet. Nauſeantibus ſalutaris habetur eburnea ſcobis ſale fricto, & fabæ minutæ freſæ commiſta, ieiuniſque prius quàm in paſcua prodeant obiecta. Sues dum dulcedinem pabuli conſectantur, (eſt enim inſatiabile animal) ſupra modum ſplenis incremento laborant: Cui ſuccurritur, ſi fabricẽtur canales alueiue tamaricis è trunco, repleanturque aqua, ac deinde ſitientibus admoueantur; eius enim ligni ſuccus medicabilis. Democritus lienoſas potandas tradit aqua in qua candentes mirycæ carbones fuerint reſtincti. Solet hoc pecus ægrotare ita vt emacietur, nec cibos capiat, productumque in paſcua in medio campo pro-

Anginæ remedium & Strumæ.

Nauſeantium cura.

Lienoſæ ſuis cura.

Veternoſi & ignoti morbi remedium.

procumbat, & quodam veterno preſſum ſomnos æſtiuo ſub ſole captet: Quod cum facit, totus grex clauditur ſtabulo, atque vno die abſtinetur potione & pabulo. Poſtero die radix anguinei cucumeris trita & commiſta cum aqua datur ſitientibus: quam cum biberint, nauſea correptæ vomitant atque expurgantur, omnique bili depulſa, cicercula, vel faba, dura muria cõſperſa, ſicut hominibus, aqua calida potanda datur. Et cum omni quadrupedi per æſtatem ſitis ſit infeſta, tum ſuillo maxime inimica. Quare non, vt capellæ & oues, bis tantum ad aquas producendum, ſed ſi fieri poteſt, iuxta flumen aut ſtagnum detineatur æſtiuo tempore, quia cum ſit æſtuoſiſſimum, non contentum potione aquæ, niſi obeſam illuuiem & diſtentam pabulis aluum demerſerit & refrigerauerit. Nec vlla re magis gaudet, vt ante quoque dictum, quàm luto volutari. Quod ſi ea loca denegentur, puteis extracta & largè canalibus immiſſa præbenda ſunt pocula, quibus niſi affatim ſatientur, pulmonariæ fiunt. Is morbus ſana-

tur auriculis inſerta cõſiligine aut hel-
Pulmonariæ cura. leboro nigro, Columella auctore. So-
Splenis vitij remedia. let etiam vitio Splenis laborare, quod accidit, cum ſiccitas magna ingruit: cui ſuccurritur, ſi fiant canales ex tamaricibus & ruſco, repleanturq; aqua, & ſitientibus admoueantur. Nam eius ligni ſuccus medicabilis epotus inteſtinorum tumorem compeſcit. Quare Didymus prunas tamaricis aqua extinctas in potu præbendas, vel aquam, in qua ferrum candẽs extinctum, aceto miſtam præberi aduerſus ſplenis vitium teſtatur. Aqualiculos plumbo veſtiri ad ſanitatem confert. Suum morbis rubetam mederi à Plinio proditum. Aiunt ſuem, vno oculo amiſſo, cito extingui, alioquin ad 15 annos victuram. Eſt & vitium porci alioqui rectè valentis & pinguis, vt carnem habeat grandinoſam & granis veluti piſis infectam: Græci Chalazos vel vt Ariſtoteles χαλαζώδεις ſues vocant. Id animaduertere licet linguæ indicio, & vocis raucore. Aiunt natiuum eſſe
Gandinoæ ſuis Antidotum. hunc morbum, & antidotum, ne inficiatur, ſi in lintre plumbi affixa ſit lamina:

mina: Incolumes quoque ſeruari ſues, ſi bryoniæ radix in potu ſubinde detur. Generale remedium, alumen, ſulphur, lauri baccæ, æquis partibus, addita fuligine, quantum pugillus complectitur, eaque contuſa ſacculoque indita potionibus immittantur, idque quotannis bis renouetur. Aegrotantibus ex hac potione, cui ſacculus ſit impoſitus, præbendum. EVPHOR. Amabo, Eumæe, qua arte nobis tam pingues ſuccidias paras? arbitror te frumenti plurimum & nobis hordeum ſuffurari, quibus tuum pecus tam nitidum alas. EVMAEVS. Rationibus quibuſcunque vtar, certè hero meo non ſunt hæ inutiles, vti neque veſtræ artes, quibus equos boueſq; & reliqua pecora ſic nutritis, ne ſtrigoſa videãtur. Superius dictum, ignauum eſſe agricolam, qui ſuccidiam à laniario potius, quàm à proprio fundo cõparet: & alioqui à medicis ſuilla caro commendatur, quod humano ſanguini ſimillima. Neque ex alio animali numeroſior ganeę materia, vt initio prolocuti ſumus. Quare maximè refert, ruſticam culi-

nam ſuilla carnis annona, & ſuccidiis inſtructam penum eſſe, qua per totum annum familiam ſuſtentet. Inprimis curandum, vt ſingulis annis pro familiæ numero ſues ad ſaginam educentur. Facilè enim vel nemora, aut, ſi illa deſint, horrea, & paludes campique ſuppeditant, quibus alantur. Saginantur, vt Plinius exiſtimat, ſexaginta dierum ſpatio, ſed magis, tridui inedia ante ſaginationem orſa. Pingueſcunt autem hordeo alióve frumento, atque leguminibus vel molitis, vel integris: Omnium autem optimè glandibus: ea caro omnibus præſtat, ſolidiorque eſt, quæ quernis, quàm quæ faginis glandibus, aut caſtaneis ſaginam contrahit. Id pecus adeò pingueſcit, vt ſeipſum præ pinguedine neque ſuſtinere, neque progredi poſſit: & Varro refert, in Arcadia ſpectatam ſuem, quæ præ pinguedine carnis non modò ſurgere nó poſſet, ſed etiam vt in eius corpore ſorex exeſa carne nidum feciſſet, & mures peperiſſet. Idem addit, L. Volumnio ſenatori miſſam offulam cum duabus coſtis, quæ penderet tria & viginti

De ſaginandis porcis & ſalſura ſuillæ carnis.

ginti pondo, eiuſq; ſuis à cute ad os pedem & tres digitos fuiſſe. Præſtat ſaginare ſues bimos aut trimos, quàm iuniores, & quæ nondum plenum augmentum acquiſiuerint. Nam hi augeſcendo ſaginam retardare ſolent. Vt autem in diuturnum vſum caro conſeruetur, ſaliri & fumari conſueuit, qua cura ſimul & ſalubrior & gratior redditur, penuſque pluribus annis inſtrui poterit, & vnius anni vbertate ſequentibus ſterilibus ſuccurri. Sus igitur iam ſaginatus pridie quàm occidatur, potione prohibetur, quò ſit caro ſiccior. Nam ſi biberit, plus humoris ſalſura habebit. Ergo ſitientem cùm occideris, eum vel aqua feruente, vel exſtipula, aut ſarmentis tenuibuſque lignis flamma excitata glabrato. Vtroque enim modo pili detrahuntur. Neque probandum, quòd quidam detrahere pellem ſolent. Inde ſuſpenſus poſterioribus pedibus exenteratur, & inteſtina in ſuum quenque vſum repurgantur: & caro refrigeſcens vbi induruit, mox capite, perniſque ac ſuccidiis geminis reciſis, in menſa aut tabula lar-

gum ſalem infarciunt, maximè in eas partes, vbi oſſa relicta. Inde in ſeriam ſubſtrato ſale immittunt. Salſuram decreſcente luna fieri volunt quidam. Antequàm ſaliuntur, prius omnis ſanies & cruor exprimatur, abſtergaturque. Sunt, qui priuſquam ſalire incipiant, exoſſare conſueuerint, exiſtimantes eam rem ſalſuram durabiliorem, & minus vitioſam efficere. Nonnulli quoque non in cupis aut ſeria, ſed in tabulato ſuccidias reliquaſque ſalitas carnes relinquunt ad dies 10. pòſt ſuſpenduntur, vt aëre puro perflentur in carnario, atque, vbi aliquot dies perflatæ, paulatim modico fumo & deinceps acrius perfumentur. Gratiores reddentur carnes, ſi ſimul cum fumo aëris afflatum recipiant. Si initio vehementiori fumo accendantur, rancidæ fiunt carnes. Didymus carnes longo tempore recentes ſeruari tradit, ſi repurgatæ, refrigeratæque atque exiccatæ in locis vmbroſis & humidis collocentur, Boreali magis quàm Auſtrali cœlo expoſitis: Suauiores fieri niue circumpoſita, paleiſque ſuperinie ctis.

Va-

Vasa, in quibus carnes seruari debent, probantur ea magis, in quibus oleum fuit, quàm in quibus acetum.

Etsi de pastorum dignitate, atque antiquitate diximus, hoc tamen loco addendum videtur, frustrà de iumentorum, pecorumque cura præcipi, nisi sint, qui hoc munus diligenter exequantur. Habet ars pastoritia disciplinam, in qua iam inde à pueritia erudiri vtile fuerit. Et profectò villicum maximè conuenit in huius disciplinæ tyrociniis per omnes gradus ad magisterium operarum ascendisse: nempe à porculatore ad opilionem, atque inde ad armentarium pastorem, reliquasq; rei rusticæ operas: Verissimumque hoc, sicut in maioribus imperiis, eum demum rectius præesse posse, qui aliquãdo imperio paruerit, & per omnia gubernationis munia ad fastigiũ euaserit. Quanquam autem, vbi pusillus grex, & in propinquo pascitur, etiam pueri & puellæ hanc operam præstent, quotidie ad villam gregem reducentes: attamen, qui gregem amplum & in saltibus, remotisque campis pascunt, De Pastoribus.

diu noctúque apud gregem excubias agentes, &, vti ſuprà diximus, in Apulia hybernantes in Reatinis æſtiuant, hos & ætate, ac robore, & induſtria, ſcientiáque paſtoritia inſtructos eſſe oportet. Neque ſenes, aut pueri collium difficultatem, montiumque aſperitatem facilè ferunt: quod faciendum iis, qui gregem ſequuntur, præſertim armentarium, & caprarium, quibus rupes, ac ſyluæ cordi ſunt. Videas in Heluetiorum alpibus robuſtiſſimos, & militari more inſtructos homines armenta ſequi, & procul à conſortio hominũ pernoctare, atque ipſa quoq; lacticinia curare. Quare, qui huiuſmodi locis, & gregibus præficiendi, hos oportet eſſe veloces, firmis membris atque expeditis, qui non ſolùm pecus ſequi, ſed etiam à noxiis, rapacibuſque beſtiis defendere, & onera extollere in iumenta poſſint, quíque excurrere, ſi res requirat, & iaculari calleant, qualem Homerus ſuum depingit Eumæum. Proinde veteres in emendo paſtore certa ſtipulandi forma vſi, vbi inter cætera cauetur, ſanum eſſe, furtis noxiſ-

Heluetiorum paſtores.

Stipulatio in emẽdo paſtore.

noxiſque ſolutum. In Illyrico etiam cõiuges paſtoribus comites in paſcendo eſſe, author eſt Varro, quæ cibaria, & cætera neceſſaria paſtoribus expediant. Ac verò, quæ ad valetudinem pecorum pertinent, ea oportet paſtorem in promptu habere. Varro ob eam rem, & vt rationem domino conficere poſſit, literatum requirit. De numero paſtorum, & quot pecoribus, armentiſúe paſtores ſinguli ſufficiant, pro loci, animaliúmque ratione conſtituitur. Idem Varro octogenis hircis ſingulos tribuit paſtores, Atticus centenis: ad equarum gregem quinquagenarium binos homines, & vt equas habeat in ea regione domitas, in quibus regionibus ſtabularij equas ſolent abigere, vt in Lucanis & Apulia ſæpe accidere proditum. Noſtris regionibus vnus opilio centenis, ducentis, ſæpe trecentis & pluribus ouibus præficitur, præſertim vbi quotidiè in villam reducuntur. Porculator vnus vicenis, aut tricenis, ac pluribus ſufficit, ſi non nimis anguſto loco ſit paſcendus grex: Bobus atque vaccis ad eundem modum.

dum. Equorum apud nos greges rarò pascuntur: sed suo quisque ruri necessarios alit, siue in stabulis, seu pascuis atque pratis, rarò vicenarium excedente numero. Quo autem pacto pascenda pecora vel æstate, vel hyeme, & quando in meridiem atque occidentem, de hoc superius suo loco admouit.

De Canibus. Canem etsi inter pecora referendum negent Iureconsulti: neque fructuosum sit animal, tamen, sicut & pastor, custodiæ excubiarúmque causa & fidelitatis, multis modis est commendabile. Nam & pro dominis sæpe pugnasse, & dominis defunctis, inedia vitam finisse quosdam, compertum est: vnde precia generosorum canum cœperunt esse immensa. Alcibiadem 7000. drachmarum canem emisse proditum. Cum primis autem rei rusticæ administrandæ velut subsidiarium animal, canis, cuius rei exempla passim obuia. Nam præter fidem singularem, & nocturnas vigilias, etiam custos est pecoris, quòd eo comite opus sit ad defendendũ maximè ouillum

lum & caprinum pecus, quòd lupi inprimis captare ſolent, niſi canes opponantur defenſores. Sues ſi gregatim paſcantur, ſe defendere ſolent grunnitu, quaſi ad arma ſociis conclamatis. Armenta partim calcitratu, partim cornibus ſe tuentur, propulſantque impetentes. Canum autem, qui ad vtilitatem parantur, tria genera ſunt: nam de quarto, quod in delitiis habetur, Melitæarum & ſimilium, non multum laboramus. Vnum genus eſt venaticum, quorum indagine, velocitate, atque labore feras proſequimur: hi quales eſſe debeant, & quomodo illis vtendum, κυνηγετικοῖς ſuis Xenophon & Oppianus docuerunt, & nos poſtremo libro, vbi de venatione dicetur, horum meminerimus. Nunc de ruſticis canibus pecorum ac villæ cuſtodibus, ſermo inſtituitur, ac prius de œcuro dicemus, domus ac villæ cuſtode. Is comparandus eſt grandi & vaſto corpore, voce grauiſſima & quàm clariſſima, vti ſimul & latratu prodat, & viſu terreat, ac ne conſpectus quidem horribili fremitu fuget inſidiantem: Forma qua-

Canum genera.

Oecurus & vallaticus canis qualis eſſe debeat.

quadrata potius, quàm longa aut breui, capite magno, oculis acribus & radiantibus, vel rauis, vel glaucis, labris subnigris, neque resimis superius, neque pendulis inferius, palato atro, rictu amplo, mento suppresso, & ex eo enatis duobus dentibus dextra & sinistra paulò eminulis, superioribus directis potius quàm brochis, & acutis labróque tectis, aspectu leonino, villoso pectore atque amplo, latis armis, cruribus crassis, cauda breui, pedibus ampliſſimis. Mores neque mites neque truces nimium, ne vel furi aduletur, vel domesticos inuadat, maximè in custodia vigilans, nec erroneus, vt neque vagetur procul à villa, neque temerarius, sed circumspectus, ne vano strepitu concitatus latret. Nec refert, si villatici & ὀικουροὶ non sint veloces, nam plus cominus quàm eminus laborare, intraque septa se continere debent: aduenientes sagaciter acriterq; adoriantur, & latratu prodant terreantque.

Pecuarius canis qualis quærendus.

Pecuarius canis neque tam strigosus, neque pernix, quàm venaticus, neque tam obesus aut grauis quàm œcurus

ac

ac villæ cuſtos, ſed robuſtus tamen & promptus ac ſtrenuus ad pugnam, adque curſum idoneus, & lupum aliaſue feras & inſidiatores repellendos, raptorémque perſequendum, ad prædam denique eripiendam appoſitus ſit. Proinde corpus productius atque longius ad eum vſum habilius, quàm breue & quadratum: in ceteris cum œcuro conueniet & corporis & naturæ ratio. Quod ad ſexum attinet, mares probantur magis: nam fœminæ catulientes, propter canum greges moleſtæ, tametſi caſtratæ feroces, mordaciſſimæq; & vigilantes eſſe ſolent. Ætatis non nimis vetuli, neque prorſus catuli: Siquidem hi neque ſibi, neque gregi præſidio eſſe poterunt, ad cuſtodiam tamen villæ aut domus vetulorum aliquis vſus eſſe poteſt. Quod ſi catulus (nam is melius inſtituitur (ſiue ad cuſtodiam ſeu ad paſtoritium vſum compãretur, experimentum è pedum conſtitutione capitur, an magnus futurus. Caput habeat grãde, leue, venoſum, atque vt Xenophontis verbis vtar, ἰνώδη τὰ κάτωθεν τῶν μετώπων, auriculis

Catuli generoſi indicia.

culis magnis,& flaccidis,pendentibuſque, internodiis articulorum longis, pedibus anterioribus, quàm poſterioribus breuioribus,ſed rectis & magnis, qui ingredienti diſplodantur, digitis diſcretis, vnguibus duris, talo neque carneo, neque nimium duro,ſed molli, à fœminibus ſummis corpore ſuppreſſo, ſpina neque eminula, neque curua, lateribus nõ ita cauis, ſed coëũtibus in obliquum, humerorum interuallis diſtantibus, clunibus obeſis & ſupra caudam latis, & cætera, quæ ſupra in œcuro requirebamus. Color. Colore quo ſit,non multum refert, etſi Varroni albus placere, & Columellæ in paſtorali quoque idem videtur non diſplicere, ſicut in villatico niger : nam varium in neutro probari, ſed vnius potius coloris : Album autem ideo commendari, vt ſi in obſcuro lupus propulſandus, albus conſpici poſſit, ne canis pro lupo feriatur. Niger tamen & villaticus & œcurus conuenientior: ſiue enim luce clara fur aut inſidiator aduenerit, terribilior niger conſpicitur,ſiue noctu, ne conſpicitur quidem pro-

propter vmbræ ſimilitudinem, & tectus tenebris tutiorem acceſſum habet ad inſidiantem. Gilui atque flammei cineritiiúe haud diſplicent, ſi cæteris virtutum notis reſpondeant. Certè huius indolis, veluti leonem ex vnguibus metientes, vel comparabimus iuuenes, vel dominatos diſciplina idonea inſtituemus. Nam quantum diſciplina faciat, declarat Lycurgi exemplum apud Xenophontem. Vt acres reddantur, ſubinde irritandi, auribus vellendi, complauſúque ad mutuam pugnam incitandi, adiuuandíque ne opprimantur. Nam ſic audaciores reddúntur, & interriti, adq; labores infracti. Vinculis primum aſſuefiunt, ſi fuſtis loro alligetur collo, quem aliquandiu trahat, deinde hac veluti pædagogia etiam alligatus vel ducitur, vel domi retinetur. Vincti interdiu reddúntur acriores, noctu ſoluuntur, ſicq; aſſueſcunt noctu vigilare & interdiu dormire. Verùm, vt armati ſint aduerſus lupos, & alias feras, canéſque ſæuientes, imponuntur illis collaria, Varro mellum vocat, circulum circa col- Mellum

lum ex corio firmo cum clauulis capitatis, & ne duritia noceat, insuitur pelGenus. lis mollior. Videndum in primis, vt boni seminis sint canes, & si fieri possit ex eodem semine: nam cognati maximè inter se sunt præsidio: matres sint animosæ, æqualibus papillis, ætas iusta ad pariendum annua, & pariunt quotannis ad annos nouẽ, nec sunt vtiles post Aetas. annum decimum. Mares, vt Columella scribit, generant iuueniliter vsque ad decem annos, seniorum pigra soboles. Homerus videtur canis vitam vltra viginti annos producere, vbi de Vlysse reuerso, déque canis ἀναγνωρισμῷ loquitur. Et nos vidimus, qui ad eam ætatem putabantur accessisse, sed inutiles prorsus. Aetas è dentibus cognoscitur: iuuenum sunt albi atque acuti, senum nigri & obtusi, vt Aristoteles tradit. Partus canum. Vere catulire plerunque incipiunt, gerunt in vtero sexagenis diebus, vel, ad summum sexagenis tribus, Aristotele & Xenophonte autoribus. Varro ternis mensibus prægnantes esse scribit. Laconicæ octauo mense generant, cæteræ canes etiam semestres coitum pa-

patiuntur. Vno initu implentur. Pariunt circa ſolſtitium. Gignunt cæcos, & quò largiore aluntur lacte, eò tardiorem viſum recipiunt, non tamen vnquam vltra viceſimum primum diem, nec ante ſeptimum. Quidam tradunt, ſi vnus gignatur, nono die cernere, ſi gemini, decimo, idemque in ſingulos adiici, totidemque eſſe tarditatis ad lucem dies: & eam, quæ ex fœmina primipara genita, citius cernere. Optimum in fœtu, qui nouiſſimè cernere incipit, aut quem primum fert in cubile fœta. Statim vt editi ſunt catuli, de generes abiiciantur. E ſeptem retineantur tres aut quatuor, è tribus duo. Primis menſibus dum corroborentur, cum matribus permittendi luſus cauſa, pòſt inſtituendi, interdiu catenis continendi, & nocte, vt ante diximus, ſoluendi. Nec vnquam eos, quorum generoſam indolem volumus conſeruare, patiemur alienæ matris vberibus nutriri: quoniam & lac & ſpiritus maternus plurimum ad ingenij atque corporis incrementa facit. Quod ſi effœta lacte deficitur, caprinum maximè

præbebitur, dum fiunt mensium quatuor. Substernere oportet ipsis paleas aut aliud, vt molliter cubent & incalescant, frigus enim & hoc animal ægrè fert. Caudas catulorum post diem quadragesimum quàm sint editi, sic castrari conueniet. Neruus est, qui per articulos spinæ prorepit vsque ad vltimam partem caudæ. Is mordicus comprehensus & aliquatenus eductus abrumpitur, quo facto neque in longitudinem cauda fœdum capit incrementum, & rabies (vt quidam volunt) arcetur. Existimantur in vrina attollere crus ferè semestres. Id est signum consummati virium roboris: fœminæ hoc idem sidentes.

Caudæ præcisio.

Cibus canis vtriqué generi communis, propior (inquit Varro) hominis quàm ouis. Pascitur enim culina & ossibus. Diligenter illi de cibo prouidendum, alioqui fame compellitur ad cibum quærendum diuerti & diuagari vel à villa vel à pecore. Xenophon totum annum lac præberi vult, & ea, quibus per omnem vitam vsuri sint, & præterea nihil. Graues enim repletiones crura canum distor-

Cibus canis.

ta

ta reddere, morbos generare atque interiora corrumpere ſcribit. Panis communis cibus, ſed eum cum lacte aut ſero lactis dandum Varro cenſet: quòd ei cibo aſſueti à pecore non citò diſcedant. Datur etiam panis iure perfuſus ex oſſibus, atque ea ipſa oſſa contuſa, quæ dentes firmiores, & os patulum reddunt, ac malæ vehementius diducuntur, acrioreſque fiunt propter medullarum ſaporem. A morticinæ ouis carne abſtineant, ne ducti ſapore minus abſtineant à pecore. In fœtura dãdus potius panis hordeaceus quàm triticeus. Magis enim eo aluntur, & lactis præbent maiorem facultatem. Cibum aſſueſcant capere interdiu, nocte ſoluantur excubiarum cauſa. Ter paſcere oportet quotidie, mane, vbi alligantur, apponenduſq; potus, item meridie & veſperi, cum ſoluuntur. Nomina imponi debent breuia, quò celerius quiſque vocatus exaudiat. Græci & Latini diſſylabis, Germani monoſyllabis plerunque vtuntur. Etſi Columella non breuioribus duabus ſyllabis nomina indi debere ſcribat, idq; declarat

Nomina canum.

in nominibus tã Græcis quàm latinis, σκύλαξ, ῥώμη, ἄλκη, λάκων. Item lupa, tigris, cerua. Xenophon innumera recenſet, omnia ferè diſſyllaba. Morbi & vitia canum ſunt muſcarum plagæ, ricini, ſcabies. Aduerſus hæc catulos ex amygdala amara cum aqua trita, circa aures & intra digitos liniendos tradunt, vt neque muſcæ hæreant & exulcerationem inducant, neque ricini aut pediculi moleſti ſint. Quod ſi vlceribus iam præoccupatæ fuerint, picem liquidam ſuillo adipi coctam vulneribus inſtillari conuenit. Hoc medicamine etiam ricini contacti decidũt; nam manu non ſunt auellendi. Pulicoſæ cani remedia, cyminum tritum pari pondere cum veretro, & aqua miſtum atque illitum, Vel vetus amurca per totum corpus fuſa. Si ſcabies infeſtabit, cythyſi & ſeſami tantundem conterito, & cum pice liquida permiſceto, vitioſámque partem linito: Quod medicamentum etiam hominibus conuenit Scabiei mederi ferunt, ſi cutem pertundas graphio vel ſtilo, item ſi puluere tormentario oblinas. Ariſtoteles ſcri-

Morbi.

Ricinorũ pellendo iam ratio.

scribit, canes tribus potissimum morbis laborare, rabie, angina, podagra: Acrabiem facere furorem,& quæ momorderit, omnia rabie corripi, at hominem non semper. Intereunt hoc morbo etiam, quæ morsa sunt, excepto homine. Rabies, Syrio ardente, cumprimis pestifera. Nam & solis æstu & frigore intensissimo rabie infestari canes tradit Aegineta. Demorsos aquæ metus, quam ὑδροφοβίαν vocant, corripit. Quapropter obuiam itur, per triginta dies gallinaceo maximè fimo mixto canum cibis, aut si præuenerit morbus, veretro. Plinius tradit, in lingua canum nasci vermiculum, quæ vocetur lytta à Græcis, quo exempto infantibus catulis, nec rabidos fieri, nec fastidium sentire. Columella, vt paulò antè dictum, neruum in cauda eductum eodem conferre tradit. Rabidi cibos & potum auersantur, largam spumosámque ore ac naribus profundunt saliuam, toruis intuentur oculis, strigosum corpus, & solito compressius, cauda sub natibus contrahitur, assultant sine latratu,& nullo discrimine

Rabies.

ὑδροφοβία.

λύσσα.

Signa rabidi canis.

beluas & homines, notos iuxta & ignotos.

De Felibus.

Quemadmodum canis ad cuſtodiam tam domus & facultatum quàm pecoris, ita felis, domeſticum animal eſt accommodatiſſima. Vnde ab Aegyptiis propter vtilitatem pro Deo coli ſolebat felis aurea. Nam cùm mures tam in vrbibus quàm in villis multum incommodi afferant, aduerſus iſtud felium vſus perneceſſarius, nec vllum remedium præſentius. Catum vulgus, Græci ælurum vocant, muribus natura inimicum animal, noctu vigilans, interdiu dormit. Silentio enim & leui veſtigio ac velocitate, occultóque ſpeculatu in mures & auiculas inſilit, noctu acrius atque interdiu cernens, vt teſtatur Alexand. Aphrodiſeus. Oculi in tenebris radiant fulgéntque. Coitus ferè circa Februarium, & aliâs, nam ſæpius gignit, mare ſtante, fœmina ſubiacente. Cæcos parit, ſicut & canis. Herodotus autor eſt, feles poſtquàm ſunt enixæ, non amplius adire maſculos, ipſos verò mares fœminas coëundi gratia quærentes, cùm

potiri

potiri nequeant, fœtus necare, quibus illæ orbatæ, cupiditate prolis, cuius est id animal amantissimum, ad mares reuertantur. Masculi castrati domum custodiunt diligentius: alioqui ob venerem euagantur. Excrementa obruunt terra vel frumento, intelligentes odorem illum indicem esse sui. Locus quò mundior, hoc citius vrinam in eum eiicit. Plutarchus scribit felem odore vnguenti turbari ac furere.

Finis libri tertij.

LIBER QVARTVS.

DE AVIARIIS, RELIQVISQVE VILLATICIS AC COHORtalibus pastionibus.

QVEMADMODVM pecuarię pastionis cura nō aspernandam rusticis stipem affert, ita & auium, apum atque piscium alendorum studium vberrimum pro natura locorum quæstum præbere solet: vnde simul & villæ prouentus augere, & mensam assiduis inemtísque dapibus opulentare licet. Auiaria primùm instituisse, omnium generum inclusis auibus, M. Lælius Strabo Brundisij proditur, atque ex eo cœptum animalia coërceri, quibus natura cœlum assignarat. Aues autem

exo-

exoticas & peregrinas varias ſubinde aduehi cœperunt, è quarum educatione ac ſaginatione, ſimul & voluptas & fructus percipitur.

Introduximus autem in hoc dialogo Pullarium, Chenoboſcum, ac Meliſſeum, de paſtione cohortalium auiũ atque apum differentes. Dialogiſtæ.

MELIS. Ecquas te hîc video, Pullari, aues educare? arbitror impendij pluſculum, prouentum exiguum te percipere, ornithoníſque impenſas, quæſtum facilè vincere. PVL. Certè impenſas ipſas ſarciunt aues, ſiue vendere eas, ſiue culinæ deſtinare libeat. Aiunt Auidium Lurconem HS. ſexagena millia nummûm è ſuo ornithone ſingulis annis collegiſſe. MELI. At ego communes illas aues & indigenas magis probo. PVLLAR. Et nos eas quoque educamus in hoc rure. MELIS. Age igitur mihi commemores, qua diſciplina vtaris: nam oportet te peculiari diligentia & arte in his curandis vti. PVL. Ad ſuum quenque quæſtum æquum eſt eſſe induſtrium: Si requiras, non recuſabo mei auiarij ſtudium ex-

explicare, si tu quoque apum tuarum œconomiam non graueris explicare. MEL. Nequaquam grauabor in hoc tibi quoque mutuam operam nauare. PVL. Bonis igitur auibus meam disciplinam vobis declarabo, exorsurus à communibus. Inter domesticas aues primum locum gallinacei pulli sortiri videntur, adeò vulgares, vt vel pauperrimæ mulierculæ impensa facilè nutriri queant. In hac aue tria naturæ miracula καὶ τῆς σοφίας admirari licet. Primùm, quòd ouorum excludendorum tanta sollicitudine tenetur, vt cibi potusque necessitatem negligat: Deinde, quòd pullos tanta curat diligentia, vt vitæ suæ discrimen pullis tuendis opponere non dubitet: postremùm, quòd tempestate ingruente aut frigore atque ægritudine afflictos sub alis colligat foueátque, neglecta proprij corporis iactura. Suauissima extat in Euangelio comparatio, qua Christus seruator noster se gallinæ comparat pullos sub alis colligenti. Quare cùm hæ omnibus communes, & intra villarum septa pascãtur, ab his ordiendum

Gallinæ.

Matth. cap. 23. v. 37.

dum erit, ac primùm dicendum, qui pulli probentur magis, & quæ educandi, paſcendi, ſaginandíque ratio. Principiò, comparandæ ad fœturam fœcundiſſimæ, quales ſunt ferè fuſcis, aut rubicundis, flauis, aureíſve, atque etiam nigris plumis. Vitantur albæ, quæ ſunt plerunque molles, ac minus viuaces, tum ne fœcundæ quidem facilè reperiuntur: & quia conſpicuæ, accipitrum prædis magis expoſitæ. Sint igitur matrices coloris probati, robuſto corpore ac pectore, magnis capitibus, rectis, rutilíſque criſtulis, & interdum geminis, auribus albis, & ſub hac ſpecie quàm ampliſſimæ, vngulis paribus. Generoſiſſimæ iudicantur è Columellæ ſententia, quæ quinis digitis, ſed ita, ne cruribus emineant tranſuerſa calcaria: nam quæ hoc inſigne gerit virile, ad concubitum contumax, dedignatur admittere marem, raróque fœcunda, etiam cùm incubat, calcis aculeis oua perfringit. Pumiliones gallinas etſi vetuſtas, cùm propter infœcunditatem, tum propter alias cauſas improbat: tamen pluribus locis fœcundæ

Gallinæ quales comparandæ ad fœturam.

Pumiliones gallinæ.

cundæ reperiuntur, ouáque plurima edunt. In Britannia insula hoc tempore ad cibos delicatos expetuntur. Gallinaceos mares quàm salaciſſimos habere conuenit, atque in his idem, qui in fœminis color, idémque numerus vnguium, & alia pleraque probantur: attamen status altior requiritur, caput erectum, sublime, crista roseæ, excelsæ, nec obliquæ, oculi nigricantes ac raui, aduncum ac breue rostrum, aures magnæ, candidæq;, paleæ ex rutilo & albo resplendentes, & velut incanæ barbæ dependentes, iubæ variæ, vel ex aureo colore flauescentes, vel ex viridi reluceſcentes, per collum ceruicémque in humeros diffusæ, musculosa pectora, lacerti robusti, alæ plenæ ac proceræ, cauda, duplici ordine singulis vtrinque prominentibus pennis inflexa, fœmina & clunes frequentibus plumis hirta, robusta crura, infestis sudibus nocenter armata: Mores etsi non ad pugnam neque ad victoriæ laudem exiguntur, attamen generosi, alacres, vigilantes probantur, & ad sæpius canendum, excubiásque seruandas

Gallinacei mares quales deligendi.

das prompti (Est enim ales, diem horaſque, &, vt Prudentius teſtatur, pœnitentiam annuncians) nec qui facilè terreantur: nam interdum reſiſtere debent, & protegere coniugalem gregem, atque etiam ſerpentem, aliudve noxium animal interficere: ad pugnãdum tamen propenſi, & rixoſæ libidinis non probantur, quòd plerunque cæteros perſequantur, neque patiuntur gallinas iniri, cùm ipſi pluribus ſufficere non poſſint. Proinde illa procacitas prohibenda eſt corio in orbem formato, pérque mediam eius corij partem pes galli inſeretur, eáque quaſi compede coërceatur petulantia. Nam etſi quidam ferociſſimos alant ad pugnam & ad certamina, attamen hîc induſtrij patrisfamiliâs vectigal inſtituitur potius, quàm rixoſarum auium laniſta. Mari, qualem deſcripſimus, quinas aut ſenas fœminas adhibebimus: peregrinis, & quas maritimas vocant, pauciores propter grauitatem ſubdẽdæ, nempe ternæ ſingulis aut quaternæ, quòd mares non perind eſalaces, neque matres ita fœcundæ, & quæ quàm

Gallus pœnitentiæ contionator.

Mas quot fœminis iungendus.

quàm maxima, geminíſque interdum vitellis oua pariant : plurimæ tamen inertes ad incubandum, raróque multos educant pullos. Itaque quibus cordi eſt id genus educare, oua generoſarum vulgaribus ſubiiciunt excludenda, à quibus & pulli nutriuntur. MEL. Cedò, quo tempore maximè conuenit pullitionem procurare? PVL. Quibuſdam locis, nempe calidioribus, Ianuario incipiunt oua edere gallinæ, frigidioribus Februario, aut ad finem Ianuarij. Poteſt autem fœcunditas maturior cibis idoneis prouocari: præbetur commodiſſimè hordeum ſemicoctum, quod & ouorum auget incrementum, & partus frequentiores. Sunt qui eum cibum exiſtiment condiendum cithyſi foliis & ſemine eiuſdem, quæ vtraque mirum in modum putantur auium fœcunditatem augere: Aut vbi hæc non ſuppeditantur, ſporia ſupplere poterit. Proderit & calidioribus locis aues fouere, & cùm parturierint aues, curandum, vt habeant cubilia munda, paleíſque ſtrata, eáque ſubinde conuerrenda, & recentia ſub-

Incubationis tẽpus.

ſter-

ſternenda ſtramina. Nam replentur pulicibus, aliiſque animalibus, quæ gallinas conquieſcere non ſinunt, ob quam rem oua aut inæqualiter matureſcunt aut conſeneſcunt. Obſeruare autem oportet, cum oua ponuntur, vt edita colligantur notenturque, quæ quoque die nata, vt quàm recentiſſima glocientibus ſupponantur: Poſſunt tamen & requieta ſupponi, dum ne vetuſtiora ſint quàm dierum decem. Cum primùm parere deſierint, ferè incubare cupiunt, verùm id non omnibus permittendum, quòd nouellæ ouis edendis quàm excubandis ſint vtiliores. Inhibetur autem ea cupiditas pinnula per nares traiecta. Veteranæ potius ad excubandum eligendæ, quæ id ſæpius fecerint quàm pullaſtræ. Cognoſcendæ etiam quæ excubando vtiliores: Aliæ enim excubandis, aliæ educandis aptiores. Rurſus quædam & ſua & aliena conculcando frangunt aut deuorant; eas ſubmouere oportet, & ſi vngues, roſtráque acuta habent, pariendo potius occupare quàm incubando. Citra excubationem excludi

Oua quæ ſupponenda ad excludendum.

Excubandi cupiditas quo inhibeatur.

Excluſio citra excubationē.

pullos exiſtimat Democritus, ſi gallinarum ſtercus cribratum tenuiter in ventriculos mittatur, eíque gallinarum pennæ circumponantur, ſuperque has oua interponantur recta, parte acuta ſurſum verſa. Deinde ſuper hæc rurſum idem ſtercus iniiciatur, donec vndiquaque ſint contecta: Quo facto, primos duos aut tres dies ſinantur, ac deinceps in ſingulos dies conuertantur, ea cautione habita, ne oua inter ſe collidantur, & æqualiter foueantur. Poſt viginti dies reperientur oua in ventriculis rupta. Vigeſima igitur die teſtam adimito, pulliſque exẽptis, gallinis committito. Eſt proditum literis, in ſinu mulierem ouum fouiſſe non intermiſſo tepore. Nec falſo Auguſta augurata traditur Imperatoris inde fœta. Adhæc inuentum, vt oua in furno aut calido loco poſita, paleíſve, igne modico fouerentur, homine aliquo ea verſante die ac nocte, ſtatutoque die erumpere fœtum. Ariſtoteles ſcriptum reliquit, vaſis tepidis iniecta ſponte oua pullũ procreare, aut etiam fimo obruta: Syracuſis potatorem ram-

tamdiu,vt oua ſub ſtoria poſita excluderentur,potaſſe. Numerum ouorum, quæ ſubiiciuntur,imparem eſſe volunt aliqui, nec ſemper eundem. Nam Ianuario aut Februario quindecim, nec vnquam plura ſubiiciãtur, Martio nouendecim,nec his pauciora. Deinde tota æſtate vſque in Septembrem aut Octobrem totidem. Pòſt ſuperuacua pullationis cura,quòd pulli frigore intereant & humoribus. Etiamſi à ſolſtitio æſtiuo pullos incrementum non ſuſcipere quidam tradant, atque optimam fœturam eſſe ab æquinoctio verno. Semper autem obſeruandum, vt luna creſcente à decima ad quintam decimam id fiat. Tùm enim commodiſſima ſuppoſitio. Et ſic diſpẽſandum tempus,vt rurſus excludantur pulli luna creſcente,diebus videlicet, quibus animantur oua, & in ſpeciem volucrũ conformentur. De tempore excluſionis variant. Ariſtoteles vndeuiginti diebus excludi ſcribit, Varro ter ſeptenis, vel bis denis diebus gallinaceum genus, pauoninum & anſerinum ter nouenis perfici,aliquando pluribus, a-

Tempus excludẽdi.

natum totidem, quot gallinaceorum: Idque si diem simul atque noctem incubet, præterquam mane ac vesperi, dum cibus ac potus præbetur, quod tempus etiam inuitis concedendum. Aestate citius quàm hyeme absoluitur exclusio. Si pauonina cum gallinaceis excludenda supponas, pauonina decẽ diebus ante gallinaceos subiicias, vt vnà excludantur: nec plura quàm quinque pauonina aut anserina gallinis supponenda. Vt mares excludãtur, quàm longissima & acutissima oua subiicies: sin fœminas, quàm rotundissima, vt Plinius & Columella scribunt, licet cõtrà Aristoteles sentiat. Oua subinde, diébus aliquot interpositis, vertenda, vt æqualiter concalescant. Vt autem deprehendere liceat, quæ plena sint & vtilia, & quę inutilia, in aquam mittenda sunt, vt Varro præcipit, quæ inania sunt, supernatant, plena subsidunt. Alij ad lucernam *explorant*; nam quod inane, perlucet. Non autem quatienda, ne vitales fibras iam inchoatas confundas. Cõpertum, quassata claudos produxisse pullos. Poterimus etiam anim-

Vt mas aut fœmina producatur.

Oua quo modo exploranda.

aduer-

aduertere an oua quæ excubantur, in ſe ſemen habeant, ſi quatriduo pòſt, quàm incubari cœperint, ad lumen aut ſolis ſplendorem teneas, & ſi purum animaduerteris, eiiciendum, & aliud ſubſtituendum. Aduerſus toni trua, quibus vitiantur oua, quidam folia vel ſurculos lauri ſubiiciunt, aut graminis aliquid infra cubilium ſtramenta: Aliqui allij capita cum clauis ferreis. In ipſis caloribus æſtiuis oportet aliquoties oua conſpergere leniter aqua, ac madefacere, ne nimia caliditate exiccentur aut inania reddantur, præſertim Indicarum auium & pauonum. Si nidum euerras, ſternaſque ac mundare velis, oua ſingula manu in alueolum ligneum conferas, ac deinde in præparatum nidum reponas. Incubantibus cibus & potus iuxtà ponendus, vt ſtudioſius nidis immorentur, neúe longius euagantes oua refrigerentur. Et quamuis matres oua pedibus conuertant, tamen vbi deſilierint matres, manu verſanda, vt æqualiter calore concepto facilè animentur: ſi qua vnguibus læſa ſunt, ea remoueat

Aduerſus tonitrua.

auiarius. Die vndeuigeſima inſpiciendum, an pulli roſtellis oua pertuderint, auſcultandumq; an pipiant. Nam aliquoties propter duritiem putaminum erumpere non queunt. Itaque hærentes eximere manu oportet pullos & matri fouendos ſubdere, idque non amplius triduo faciendum, nam poſt vnum & vigeſimum diem ſilentia oua carent animalibus, eáque remouenda ſunt, ne incumbans inani ſpe detineatur effœta. Vigeſimo enim die ſi moueatur ouum, iam viuentis intra putamen vox auditur. Ab eodem tempore plumeſcit, ita poſitus, vt caput ſupra dextrum pedem, dextram verò alam ſupra caput habeat, vitello paulatim deficiente. Pullos non oportet ſingulos, vt quiſque natus ſit, tollere, ſed vno die in cubili cum matre ſinere, & aqua cibóque abſtinere, dum omnes excludantur. Mirum & tamen compertum, quòd antè quàm cibum attigerint, non pereant, ſi è ſublimi decidant. Poſtero die cum grex fuerit effœtus, Columella docet, cribro ſupponendos, & pulegij ſurculis fumigandos,

dos, aut in cophinum missos suspendendos in fumo : quæ res prohibere pituitam putatur ; ea enim celerrimè teneros necare solet: Inde cauea cum matre claudendi, & farre hordeaceo cum aqua incocto, vinóque insperso modicè alendi. Maximè enim cruditas vitanda est, atque ob hoc tertia die cauea cum matre continendi. Postquàm emittúntur ad recentem cibum, singuli tentandi ne quid hesterni habeant in gutture : Nam si vacua non est ingluuies, cruditatem significat: abstineri debent, dum concoquant. Longius autem nõ est permittendum teneros euagari, sed circa caueam continendi sunt, & farina hordeacea pascendi, dum corroborentur. Cauendum autem, ne à serpentibus afflentur, quorum odor tam pestilens, vt vniuersos enecet: Id euitatur incẽso sæpius cornu ceruino, vel galbano, vel muliebri capillo, quorum omnium nidore prædicta pestis repellitur. Curandum, vt tepidè habeantur: siquidem nec frigus nec calorem immodicum tolerant. Plumæ circa podicem & sub cau-

De morbis pullorum & remediis.

da ſubinde detrahendę, ne ſtercore indurato naturalia præcludantur, quod ſi ſentiatur, pinna pertundatur, digeſtiſque cibis iter aperiatur. Cum matribus ad menſem ferè ſeruantur clauſi, pòſt datur vagādi libertas. Inimiciſſima etiam validioribus omníque generi pituita maximè inter meſſis vindemiæque tempus. Alba eſt pellicula linguam veſtiens extremam, hæc vnguibus vellitur & locus cinere tangitur, & allio trito plaga conſpergitur. Ea peſtis euitatur mundiſſimis vaſis, & vt mundiſſimam præbeamus aquam, gallinariaque munda pręſtentur fumigenturque: aut incubatus ſit in fumo, maximè ex lauro & herba ſauina. Mederi quoque vulgus ſolet huic malo, penna per tranſuerſas inſerta nares, perque omnes dies mota: cibus, vel ruta butyro oblita, vel allium cum farre aut aquâ perfuſum, aut denique ſpicæ allij tepido madefactæ oleo faucibuſque immiſſæ. Quidam, inquit Columella, hominis vrina tepida rigant ora, & tamdiu comprimunt, dum eas amaritudo cogat per nares emoliri pi-

Aduerſus pituitam.

tui-

tuitæ nauſeam. Sunt qui allio in fruſta conciſo, & oleo feruenti indito, eóque refrigerato os eluant. Si lupinum comedant, ſub oculis illis grana erumpunt, quæ niſi leniter apertis pelliculis auferuntur, extinguunt aues. Quod ſi pituita circumuenit oculos, & iam cibos reſpuat, ferro reſcindantur genæ, & coacta ſub oculis ſanies exprimatur, ac ſal tritum infriatur. Idque accidit, cùm æſtate conſiſtens in cohortibus aqua potatur, & cùm cibi penuria laborant, ac frigore cruciantur. Oculis laborantes portulacæ ſucco & muliebri lacte curare ſolent, oculis forinſecus illitis, aut cumino ac melle ſaléque ammoniaco. A pediculis liberãtur cumino toſto, & ſtaphide agria, paribus portionibus contuſis, illitiſque ex vino: Item aqua decoctorũ ſylueſtrium lupinorum proluere, vtile tradunt. Si gallina ouum comedat, oui candido euacuato, gipſum aut aliud liquidum infundatur, vt in teſtæ duritiam tranſeat. Vt vuas non attingant, efficit vua labruſca de vepribus immatura lecta, & cum farre triticeo minuto cocta

esurientibusque obiecta : eius sapore offensæ aspernantur vuas. Dandum vuæ florem in cibo, vt vuas non attingat, Plinius tradit. Vt autem in cæteris animalibus rusticis, ita in hoc genere optima seruanda, deteriora vendenda, aut mensæ destinanda sunt. Quapropter per autumni tempus omnibus annis, cùm fructus earum cessat, numerus minuendus : submouendæ veteres, puta quę trimatum excedunt, & quæ aut parum fœcundæ, aut non bonæ nutrices : inprimis autem, quæ oua vel sua vel aliena exorbent, nec minus, quæ vt gallus cantare atque calcare incipiunt. Adde serotinos pullos, qui à solstitio nati, iustum incrementum accipere non queant. Galli tamen, quamdiu fœminas implent, retinendi. Rarior enim in his auibus maritipræstantia : Ad saginam potissimùm aptæ, quæ sunt in ceruice cute pingui. Locus ad saginandum calidissimus deligendus, & modici luminis, quòd motus earum, & lux pinguedini inimica sit ; vt Varro tradit, & experientia suffragatur, idque ad dies 25. tum denique

Delectus inseruandis gallinis.

De saginā dis gallinis.

que pingues fiunt. Singulæ caueis vel ſportulis pendeant, habeantque ab vtraque parte foramina, vnum quo caput, alterum quo caudam exerant, vt & cibum capere, & ſtercus egerere poſſint. Subſternantur paleæ aut fœnum cordum, nam ſi durè cubent, citiſſimè pingueſcunt. Pluma omnis in capite ſub alis atque clunibus detergatur: illic, ne pediculum creet: hîc, ne ſtercore naturalia lædantur. Cibus præbetur hordeacea farina, quæ cùm eſt aqua aſperſa, ea ſubacta formantur offæ, quibus aues ſaginantur: ea tamen primis diebus parcius datur, donec cõcoquere aſſueſcant: deinde tantum dandum, quantum concoquant: neque recens admouenda, niſi apparuerit, tentato gutture, nihil remanſiſſe. Alij mulſa aqua conſpergunt farinam, melli tribus aquæ partibus additis, vini vnam addunt, eóque madefacto triticeo pane obeſant: alij lacte addito ſaginari delicatiſſimè tradunt. Caſtrantur gallinacei, vt Ariſtoteles tradit, parte nouiſſima alui, quæ, cùm coëunt, concidit. Hanc ſi duobus aut tribus fer- Caſtratio.

ferramentis adusseris, capos fieri. Quod si perfectus est, qui castratur, crista pallescit,& cucurrire desinit,neque coitum repetit. Nostrates fœminæ,circa fœmina vulnere facto, testes digitis eximunt,plagáque resuta butyro illinunt,inde cauea inclusos die vno aut altero à potu arcent. Porrò ab ineunte messe, atque per hyemem totam abundè cùm aliis, tum hisce auibus excussa frumenta ministrant alimenta,quibus sustineantur. Vbi vinearum vsus, hîc subtractis sumptuosioribus cibis vinacea præbentur: vbi & frumenti excussio, & vinacea desunt, hîc vel auena, vel sporia,alióve pabulo aluntur. Vt autem & hyeme oua pariant,præbetur semen cannabis, quod calefaciat. Si magna oua desideres, Leontius tradit, testam laconicam tusam furfuribus & vino admiscendam, atque subactam gallinis obiiciendam: aut testæ contusæ acetabulum vnum ad duas chœnices furfuris admiscendum, & in cibum præbendum. Oua gallinacea, sicut & columbarum & anserum ac pauonum, & testudinum, can-

Ouorum discrimina,& de ouis in genere.

candidi ſunt coloris: aquaticis ſubuiridia & pallida quædam : Indicarum auium, pauoninis cætera ſimilia, niſi quòd punctis minutis, ſicut & meleagridum, diſtincta: Phaſianarum & cenchridum, ſubrubri coloris. Intus omne ouum volucrum bicolor, vt ſcribit Plinius. Aquaticis, lutei plus, quàm albi, idque ipſum magis liuidum, quàm aliis. Piſcium, vnius coloris, in quo nihil candidi. Auium oua ex calore fragilia, ſerpentum ex frigore lenta, piſciũ ex liquore mollia ſunt. Exeunt oua à rotundiſſima ſui parte, dum pariuntur, molli putamine, ſed protinus dureſcente, quibuſcunque emergant portionibus. Oblonga probantur magis, atteſtante Poëta: *Longa quibus facies:* atque his, vti ſuperius dictum, maſculos produci, rotundioribus, fœminas aiunt, licet Ariſtoteles contrà ſentiat. Vmbilicus ouis à cacumine ineſt, quaſi gutta eminens in putamine. Gallinæ quædam grandiuſcula oua pariunt, & geminis plerunque vitellis, & putaminis medium quaſi circulo cinctum, quod & ab Ariſtotele proditum, & ex-

pe-

perientia didicimus. Nonnullæ gemina edunt, geminoſq; excludunt. Quarundam tanta fœcũditas, vt ſexagena, quarundam, vt quotidie, aliarum, vt bis die pariant: Aliquæ in tantùm fœcundæ, vt effœtæ intereant. Omnibus ouis medio ineſt quaſi guttula ſanguinea, quod eſſe cor auiũ exiſtimant, primum in omni corpore id gigni exiſtimantes: Ipſum animal ex albo corporatur: Cibus eius in luteo. Omnibus intus caput maius toto corpore. Oculi compreſſi capite maiores: In creſcente pullo, candor in medium vertitur, luteum circumfunditur. Viceſimo die ſi moueatur ouum, iam viuentis intra putamen vox auditur: ab eodem tempore plumeſcit, ita poſitus, vt caput ſupra dextrum pedem habeat, dextram verò alam ſupra caput, vt ex Ariſtotele Plinius prodidit. Plena quæ ſint, vt cognoſcatur, ſuperius dictum. Oua irrita, quæ & hypenemia dicuntur, mutua fœminarum imaginatione libidinis gigni tradunt: Alij vento ea putant generari, & ideò Zephyria dici, vt Ariſtoteles ante Plinium tradidit. Oua ſer-

ὑπηνέμιον ὠόν.

Zephyria.

ſeruantur per hyemem, ſi paleis vel lomento obruas : æſtate, ſi furfuribus vel tritico. Quidam trito ſale ſex horis prius operiunt, deinde eluunt, atque ita paleis aut furfuribus obruunt: Non nulli ſolida, plerique etiam freſa faba coaggerant, alij ſalibus integris operiunt: Verùm ſal, ſicut non patitur putreſcere, ita minuit oua, nec ſinit manere plena.

De gallinariis.

Gallinaria conſtitui debent parte villæ, quæ hybernũ ſpectat orientem, iunctáque ſint, ſi fieri poſſit, furno aut camino, aut denique culinæ, ita vt ad gallinarium fumus perueniat, qui his auibus eſt ſalutaris : vnde arbitror ortum, vt in penſionibus maiores reperiantur ſtipulati pullos fumarios, tanquam melioris notæ, id quod documentis publicis penſionum conſtat. Ornithonis autem cellæ perpetuò frõs orienti ſit obuerſa, inque ea fronte aditus detur: Sint autem cellæ ſcalis tabulatiſque inſtructæ, & paruis ab oriẽte illuminentur feneſtellis, quæ & ipſis auibus matutinum præbeant exitum, & veſpertinũ ingreſſum ad quie-

Pulli fumarij. Rauchhüner.

tem

tem nocturnam. Nocte autem claudantur, quò tutiores maneant, & feneſtellæ ſic clatris muniantur, ne poſſint noxia animantia irrepere. Per ordinem etiam diſponenda gallinarum cubilia & nidi, quibus aut oua edantur, aut excludantur pulli. Aſcenſus ad cubilia & nidos datur iunctis aſſerculis atque ſcandulis, quæ paululum formatis gradibus aſperantur, ne ſint aduolantibus lubrici, neque nidis aduolando & inſiliendo oua perfringant. Nec eſſet inutile, intrinſecus & extrinſecus auiaria poliri opere tectorio, ne vel muſtelæ vel alia noxia animalia acceſſum habeant. Tabulatis inſiſtere dormientem auem non expedit, & ferè recuſant volucres: Sic enim ſuo læduntur ſtercore, quod cùm pedibus adhæreſcit, podagram generat. Quare perticas habeant quibus inſiſtant, quas in quadrum dolari vult Columella: ſed magis conuenit eſſe rotundas, ita tamen, ne ſint ita teretes, vt leuitas inſilientem non patiatur ſe continere. Perticæ autem foratis duobus diuerſis parietibus induuntur, ita vt à tabulato

peda-

pedalis altitudinis, & inter se bipedalis latitudinis spatio distent. Hæc erit chortalis officinæ dispositio. Porrò chors, per quam vagantur, non tam stercore, quàm vligine careat. Nam plurimum refert, aquam non esse in ea, nisi in vno loco, quam bibant, eamque mundissimam: Nam stercorosa pituitam generat, vt antè dictum. Pura vt seruari possint & aqua, quam bibant, & cibus, vasa lapidea, vel fictilia, quæ præstant, aut etiam lignei canales, superius tecti à lateribus fabricentur, qui foramina habeant, vt auiũ capita possint admittere: Nisi enim tecti sint, auis insiliens proluuie ventris conspurcat. Esca danda manè, die incipiente, ne latius euagentur, & ante vesperam, vt temporius ad cubilia redeant. Clausæ ter, vt Columella vult, pascendæ: Bis aut ter certa voce conuocandæ, vt ea agnita propter cibi spem accurrant. Debétque numerus subinde recognosci, quòd volatilia facilè custodiam fallant. Est etiam siccus puluis iuxta parietes suppeditandus, quibus veluti lauentur & pinnas emundent. Nam si-

Pascendarum gallinarum cura.

Puluerem gallinis suppeditandum.

cut ſus volutabro, ſic puluere dele-
ctantur cohortales aues. Hæc ferè
ſunt, quæ de gallinaceis pullis dicenda
videntur. MEL. At de reliquis quo-
que auibus ruris differendum erit: id
fortè Chenoboſcus expediet. CHE. Si
ſic iubetis, non recuſabo de meo quo-
que pennato pecore differere. MEL.
De anſeribus. Maximè. CHE. Inter aues ruſticas pro-
fectò anſeres meritò ſecundo loco re-
ferẽtur & anates, quæ & inter ἀμφίβια
numerantur, quòd non ſolùm terre-
ſtribus, verumetiam aquitilibus pabu-
lis alantur. Et quia non vſque adeò ma-
gnam curam flagitant, chenoboſcia
ruſticæ paſtioni non inidonea ſunt,
quòd citra magnas impenſas, ſi locus
ſic ferat, ſuſtineantur, & quæſtum non
aſpernandum ex ouis, pullis, plumiſq
præbeant: Nam præter ouorum pro-
uentum, bis anno, vere atque autum
no vellere licet, & ſaginam miniſtran
lautiſſimam. Adde ſilentibus canibus
cuſtodiam præſtare anſeres. Quapro
pter à Romanis hæc auis honorata
quòd inſidiantem Capitolio noctur
num hoſtem prodiderit. Anſerem per
pe

petuò adhæsisse Lacydi Philosopho Plinius tradit. Deligendi, qui genere sint amplissimo: Varro albos mauult, eúmque colorem veteribus fuisse in precio; è priscis clientelarum pactionibus apparet: varium genus ferum vocat idem Varro. Aluntur commodius, vbi paludes, stagna, locáque vliginosa & communia: siquidem segetibus, pratis, consitisque locis noxia auis, & tenera, quæ contingere potest, decerpit, neque facilè renascuntur ab hac alite demorsa: Adhæc fimo inutili atque etiam noxio conspurcat loca, in quibus versatur. Quare, vt dixi, paludibus stagnisque magis conuenit, & terris non consitis. Ea conditio loci si permittat, vtiliter rusticis, & in villis educantur: Neque enim sine aqua, neque sine multa herba sustinentur faciliter. Cibariis natura humidis ac refrigerantibus gaudere anserem constat. Vitare autem naturâ ea, quæ noxia, qualia sunt lauri folia, & rhobododaphne, vt Ælianus testatur. Aptissimum tempus ad pariendum incubandúmque est à Calendis Martiis ad solstitium vsque.

Saliunt ferè in aqua, dum ſe mergunt in flumine vel piſcina. Columella ſingulis maribus ternas fœminas deſtinari vult: nam propter grauitatem plures inire non poſſe. Intra chortem vt protecti ſint, haras ſecretis angulis facere oportet, in quibus cubitent & fœtus edant. Anſerarium quidam ſic conſtitui volunt, vt ſingulæ ſuas haras habeant: Sed ſi cui operoſius videtur, vna ſatis ampla ſufficere poterit. Cellæ humorem non habeant, ſed molle ſubſtramen è palea aliáue re, neque eò detur noxiis beſtiis acceſſus. Minimè concedendum eſt fœminis extra ſeptum parere, ſed cùm videbuntur ſedem quærere, comprimendæ, atque tentandæ ſunt: Nam digito tanguntur oua in prima parte genitalium, quamobrem includi debent vt oua edant, idq; ſemel atque iterum feciſſe ſatis eſt, eodem enim recurrit, vbi primò peperit. Ter anno parere feruntur, ſi prohibeantur ſuos fœtus excludere, quod magis expedit, quàm ſi ipſæ ſuos foueant, quandoquidem à gallinis melius enutriuntur, & grex hac ratione auge-

Hara anſeraria.

Anſerarij cõſtitutio.

De partu anſerum.

augetur. Ouis anſerinis & olorinis Indorum Reges tragematum loco, & in deliciis vſos, memoria ab Aeliano proditum eſt. Ariſtoteles tradit, fœminas tantum, non etiam mares, vt in aliis quibuſdam, incubare, quas vt cœperunt, nunquàm intermittere, ſed perpetuo fouere incubitu. Nouiſſimo fœtui ipſas incubare ſinemus, notandáque vniuſcuiuſque oua characteribus, vt ſuis matribus ſubiiciantur: Negantur enim aliena excludere, niſi ſubiecta ſua quoque habuerint. Supponuntur autem gallinis huius generis oua, ſicut & pauonina, vt plurimum quinque, pauciſſima tria, vt ſuperius quoque de gallinis eſt admonitum: ipſis anſeribus, pauciſſima ſeptem, & plurima quindecim. Cuſtodiri debent, vt ouis ſubiiciantur vrticarum radices, quo quaſi remedio mederi exiſtimant quidã, ne noceri poſſit excluſis pullis, quos enecant vrticæ, ſi teneros pupugerint. Pullis excludendis triginta diebus opus eſt, cùm ſunt frigora; tepidioribus diebus paucioribus: ſæpius tamẽ anſer trigeſimo die naſcitur. Sunt qui

Excluſio ouorum anſerinorum.

hordeum maceratum incubantibus apponant, ne cogantur matres sæpius pabuli causa nidum deserere. Vbi exclusi pulli, decem primis diebus pascuntur in hara cũ matre, postea cùm serenitas cœli permittit, emittitur ad prata & piscinas: cauendúmque ne aculei vrticæ pungant, néue in pascua esurientes producantur, sed antè incisis intybis vel lactucæ foliis, aut tritico atque hordeo confirmatiores sat famem expleant: Nam si in pascua esurientes mittantur, solidioribus herbis ac fruticibus renitentibus collum abrumpunt. Pullos non conuenit plurium gregum coniungere, vel cum maioribus concludere, ne infirmiores à validioribus conculcentur aut lędantur. Cauendum ne setas glutiant. Vbi quatuor mensium fuerint, aut etiam ante, farturæ maximè idoneæ. Iuuenes enim facilius saginantur, & est facilis harum auium sagina. nam præter polentam & pollinem nihil aliud dari necesse est, dummodò bibendi potestas largius fiat: Neque vagandi facultas detur, sintq; calido loco & tenebroso:

De saginandis anseribus.

quæ

quæ res ad curandas adipes multum conferunt. Græci, polentæ duas partes & furfurum quatuor aqua calida temperant, & ingerunt pro appetentis voluptate, tribus per diem vicibus potũ miniſtrant, & media etiam nocte. Vt autem iecur tenereſcat, tunſas caricas & aqua maceratas in offas ac turundas volutabis exiguas, & per dies 17. vel 20. in os ingeras. Iudæi miri ſaginandi artifices, anſerem linteo cinctum loco obſcuro ſuſpendunt, aurésque piſis aliiſve rebus obſtruunt, ne vel viſu vel auditu ad agitationem clangorémque prouocetur, offis è farina hordeacea maceratis, ter quotidie datis, potu ac ſabulo apppoſitis, cáque arte farciendo ad tantam ſaginam producunt, vt iecur eius auis ad quinque libras excreſcat. In Comitiis Vormacienſibus à Iudæo nobis oblatum iecur anſerinum quatuor librarum pondere. Plinius teſtis eſt, altilibus anſeribus in magnam amplitudinem iecur creſcere, exemptum quoque lacte euulſo augeri. Noſtrum vulgus loco obſcuro & anguſto, appoſito hordeo aut tritico fagino, &

seorsum aqua, atque sabulo in suis loculis, intra quatuordecim sæpe dies, pingues reddit. In messe, spicis demessarum frugum saginantur. Velluntur, vt diximus initiò, bis singulis annis, vere scilicet & autumno. Præcisi non facilè crescunt pẽnarum caules, sed vulsi renascuntur. Melior pluma, quæ corpori proxima Plinius Germaniæ anseres commendat, eásque lingua eorum Ganzas appellari tradit. Sed de anseribus satis. Anatum & querquedularum eadem prope disciplina & cura, quæ anserum, nisi quòd hæ paulò magis delectentur aquis & paludibus atque in iis crebrius viuant. Quare his auibus destinandus locus palustris aut lacus, seu naturalis, seu manu facta piscina; quò gradatim descendere, & vbi versari, & inurinare tutò possint. Columella septum constitui vult iis auibus semotũ ab omni pecore, à villa tamẽ nõ procul: plures id haras habere, & singulas pedibus ternis quoquo versum, aditus singulis firmis ostiolis munitos; eásque per fœturam diligenter claudendas. In propinquo stagnum sit aut piscina manu

Vellúntur anserum plumæ.

Ganzæ. De anatibus.

nu facta, vel flumen, quibus, vt dixi, innatare liceat : Nam aquæ adminiculo non magis quàm terreno rectè viuere possunt. Palustris quoque & herbidus ager conducit, & si fieri potest, circumfluus herbis familiaribus consitus, veluti trifolio, fœnogræco, intybo, lactuca, & id genus aliis, quæ auidissimè ab his appetuntur, eáque etiam pullis vtilis esca. Datur etiam auena & hordeum, atque aliæ fruges, ex aqua sorbentibus. Glandes maximè appetunt, iisque cumprimis saginantur. Delectantur mirum in modum vluarum stirpiumque syluulis immorari, & quibus à rapacibus animalibus tutæ delitescere possint. Interim tamen adsit aqua à frutetis libera, vbi sine impedimento cum apricitate diei gestiunt aues nandi velocitate concertare. Nã vt loca ea amant, vbi aquaticis animalibus insidiari possint, quibus victitent, ita offenduntur, si desint euagandi spatia, quare ripas etiam requirũt herbidas. Hyeme, cum aqua glacie concrescit, cibus præbendus. Nidos ipsæ sibi exædificare furtim gaudent, ve-

rùm id non permittendum, ſed cubilia illis præparanda vel in hara, vel foris fruticibus integenda: Atq; hîc canaliculus humi depreſſus ſit, per quẽ quotidie cibi cum aqua miſti decurrant, quibus paſcantur. Eſca, vt dictum, præbenda, auena, hordeum atque legumina, etiam panicum, milium ac ſporia, ſi eorum copia eſt. Oua ponit plurima, quibus ſicut & anſerinis, familia non inutiliter alitur. Seruantur anatum anſerúmque oua, vt de gallinaceis dictũ, item furfuribus, frumento, aut cineribus immerſa. Pariunt iiſdem temporibus, quibus anſeres & ceteræ aues, circa Martium & Aprilem. Proinde iis locis, vbi verſantur, feſtucæ ſurculiſque ſpargendi, quos colligere poſſunt nidis conſtruendis. In hoc νεοσσοτροφίῳ oua vel ipſis matribus excludenda permittuntur, vel gallinis ſubiiciuntur: Nam ab his excluſa miteſcere magis, & ſylueſtrem naturam exuere putãtur pulli, clauſiſque viuariis haud dubitanter progenerant. Cauere oportet, ne oua, dum matres pabuli cauſa nidum deſerunt, à cornicibus, picis, aliorúmve animalium

malium insidiis diripiantur. Si paludes doneæ sint, non incommodè educantur à matribus. Nam mox, vt exclusæ, aquis victitant cum matribus, citra vllas impensas: modò à miluis, cornicibus, ceterísque rapacibus animalibus defendãtur. Atque sic erudiri possunt, vt vesperi sponte anataria & cubilia sua repetant: Neque enim conuenit, noctẽ foris agere propter insidias prædantiũ, & vt cicures magis reddantur: tametsi foris interdum reperiantur peperisse, & postea numerosum fœtum in villam reduxisse. Cùm in Anglia legatione fungeremur, à fide dignis hominibus accepimus, esse in Hybernia maritimas arbores, quæ fructum ferant, qui vbi maturus in mare deciderit, mox in anates vertatur: Quod etsi nouum videretur, Aristotelem tamen reperi suffragatorem, qui tradit, Hypanem fluuium apud Cimmerium Bosphorum sub solstitio folliculos deferre acinis maiores, quibus quadrupedes volucres erumpant. Iam ad pauones transeo, quæ aues cùm ad delicias magis quàm ad quæstum educentur, vrbano ma-

Anatesẽ fructibus arborum.

De pauonibus.

magis patrifamiliâs quàm ruſtico harũ alitum educatio conuenit: etſi Varro ſcriptum reliquit, M. Aufidium Lurconem, qui has aues primùm ſaginare inſtituit, HS ſexaginta millia in anno capere cõſueuiſſe è pauonibus. Quod ſecuti multi precia extulerunt pauonum, ita vt oua denariis quinis, ipſi pauones quinquagenis væniret: grex cẽtenarius quadraginta ſeſtertia redderet. Cibo præſtat, heroum menſis conueniens, diuque incorrupta ſeruatur eius auis caro. Oua quoque grati ſaporis in deliciis habentur. Primus Hortenſius traditur cibi gratia Romæ pauonem occidiſſe adiiciali cœna ſacerdotij. Hinc aliti & intellectus & gloria tribuitur. Gemmantes laudatus expãdit colores, vt eleganter à Plinio ſcribitur, aduerſo maximè ſole, quia ſic fulgentius radiant. Idem cauda annuis vicibus amiſſa cum foliis arborum, donec renaſcatur iterum, mœſtus quærit latebras. Vagantur, ſicut & pulli gallinacei, ſine cuſtode, ac ſponte paſcitur: Inſulis commodius alitur, quia neque ſublimius neque longa ſpatia volitat.

Tra-

Tradunt malcuolum esse animal, sicut anserinum, verecundum, suum fimum resorbere, iuuidens scilicet hominum vtilitatibus. Viuit annis viginti quinq;, vt Aristoteles tradidit. Parit à trimatu, & colores pennarũ varios recipit mas. Excludit diebus tricenis aut circiter, sicut & anser: ter anno edit oua, si gallinis subiiciantur, neque patiamur priora excludere. Gallinis supponenda, vt superius quoque traditum, quàm recentissima, quæ à primo incremento lunæ nouenis ouis incubet; nempe quinq; pauonina, & quatuor gallinacea habeat supposita, decima die gallinacea subtrahantur, & alia gallinacea totidem substituantur recentia: versanda sunt autem, atque ideò vna parte notanda. Magnæ quoque gallinæ deligẽdæ, minoribus pauciora supponenda, nempe pauónina tria, & sui generis sena. Cùm fuerint editi pulli, similiter vt gallinacei, primo die non moueantur, postero die cum educatrice transferãtur in caueam, primisq; diebus alantur hordeaceo farre respersо liquore, vel è quolibet frumento cocta pulticula &

refri

refrigerata: Post paucos dein dies præ
ter hæc concisum porrum, & recocta
aut recẽs caseus expressus, nam serun
lactis nocere pullis existimatur: præbe
ri etiam poterunt locustę & bruchi pe
dibus ademptis. Post mẽsem in agrum
educuntur, sequunturq; singulti
tem matrem. quare ligato pede long
chorda (ne longius abducat) dum pul
fatiati sint, reducantur in villam. Po
sextum mensem hordeum de man
præbetur & panis. Septimum mensem
cùm excesserint, in cubili cum cæteri
ad nocturnam quietem includuntur
neque permittendum, vt humi desid
ant, sed attollendi in perticas, ne frigo
re lædantur. Et quanquã maiores fac
in culminibus ædiũ sedẽ quærere gau
dent, & masculi excubitores sunt, per
inde atque anseres, vigilantissimi, tam
in perticis & auiariis assuescere prę sta
Columella tradit non debere alias gal
linas, quæ pullos sui generis educant
in eodem loco pasci. Nam conspect
pauonina prole maiore, suam diliger
desinunt, & immaturos relinquere so
lent. Mares desiderio incubantium

ou

oua frangunt: quare & in latebris parere præstat matres : ita pullos quoque persequuntur , tanquam alienigenas, antè quàm cristæ nascantur. Mares singuli quinis sufficiunt fœminis. Si vnam aut alteram fœtam sæpius compresserit , vixdum concepta in aluo vitiat oua, nec ad partum sinit perduci. Locis apricis ad ineundi cupiditatem exerceri incipiunt à Februario, cùm semetipsum veluti mirantem cauda gemmantibus pennis protegit procandi signo. Quare hoc tempore concitantibus libidinem cibis, vtriusque sexus Venus est alenda, veluti faba leui fauilla tosta, ieiuníque data tepida quinto quoque die. Pugnaces mares cohibendi aut separandi, ne imbecilliores à cibo & coitu arceant. Post admissuræ tempus matrices custodiendæ, ne alibi quàm in suis haris oua edant, sæpiusque digitis loca fœminarum tentanda: nam in promptu gerunt oua , quibus iam partus appropinquat. Perticis quibus insistunt , stramenta subiicienda, quò tutius integri fœtus excipiantur: nam sæpe perticis insistentes enitun-

tur

Morbi. tur oua. Morbi harum auium & remedia propemodum eadem cum iis, quæ ſuprà de gallinaceis tradita, nempe pituita & cruditas, & ſi quæ aliæ peſtes, iiſdem remediis curantur. Maximum illis periculum, cùm incipit criſta prominere: nam tum dolores ſentiunt, dentientium infantium more. MEL. Peregrinarum harum auium, quas Indicas vocant, diſciplinam audire geſtio: miror ſi harum nuſquam veteres

De Indicis auibus. meminerint. CHE. Indicarum, vt vocant, auium recens apud nos vſus & educatio: Nam ante annum redemptionis triceſimum ſupra ſeſquimilleſimum apud nos non ſunt viſæ, neque veteribus arbitror notas, tametſi non deſint, qui exiſtiment inter Meleagrides connumerandas eſſe, quòd palearis & criſtis ſint cæruleis: at Indicas criſtas non habere videmus, ſed palearia tantùm. Sunt etiam qui pauonum generi attribuant: nam & caudam erectam explicant, libidine concitati, atque admirabundi ſeſe inſtar pauonum venditant, quanquam neq; his in vniuerſum congruant: Harum auium hoc

tempore

tempore greges paſſim aluntur, cùm propter raritatem, tum corporis molem: quandoquidem propter cibi gratiam & ganeis expetitam, cupediis lautitiiſque anſeres pauonéſque fœminæ æquant, mares ſuperant. Plumis vt plurimum vel albis vel nigris, vel vtriuſq; coloris ſunt, veluti diſtinctis maculis: nonnulli cæruleo nigróque intermixto colore, pedibus pauoninis, cauda breui, ſed quam mares pauonum more erectam expandunt, maximè fœminam appetentes. Caput & collum implume pellicula rugoſa, velut capitio, tectum, quam ſupra roſtrum propendentem pro arbitrio vel contrahit vel demittit. Mari palearia ſunt profuſiora, & à pectore crinitæ iubæ. Colorem rugoſæ illius circa caput pellis (quæ, veluti palearia, vt diximus, ſupra roſtrum demittitur, & circa collum, veluti bullis, turgeſcit) ſubinde Chamæleontis inſtar mutat, iridis imitata colores, modò pallidam, modò ſanguineam, nonnunquam cæſiam, aliâs luteam oſtentans: atque his omnibus coloribus ſubinde mutatis naturæ mira-

culo viſenda auis. Diſciplina propè eadem, quæ pauonum animaduertitur, niſi quòd frigoris & humoris intolerantiores. Animal eſt mirè ſalax. Singuli mares pauonum more quaternis quiníſve matribus ſufficiunt. Partu pauones anteuertunt; nam & anniculæ, vel ſi tardè, bimæ pariunt, ordientes à Martio, aut citius, locis calidioribus. Plurima ponunt oua, ſi illis auferuntur, atque gallinis ſubdantur. Quòd ſi non tollantur, mox incubare incipiunt: ſiquidem ad incubandum mirè propenſæ, adeò vt ſublatis ouis, lapidi aut alij cuiuis rei, ac denique vacuo nido incubare non ceſſent. Inhibendum igitur incubandi deſiderium pinna per nares traiecta, vt ſuperius de vulgaribus gallinis dictum, aut ventre aqua madefacto. Supponenda oua gallinis eo modo, quem de pauonibus tradidimus: Totidem enim diebus excluduntur, quot pauonina, nempe ter nouenis aut circiter diebus. Auiarius oua parte vna notata verſet aliquoties, atq; aqua conſpergat leniter. Cauere oportet ne mas accedat, nam is oua frangit con-

culcan-

cùlcando, ſicut & pauo: Eſt enim mas animal malitioſum & mordax. Excluſi pulli à gallina vnà cum gallinaceis, aut etiam ſoli à gallina pulchrè educãtur, citius augeſcentes quàm pauones. Paſcendi eadem ratio, quæ pauonum & reliquarum gallinarum: quibuſlibet enim veſcentur, & gramine delectantur paſcendo, ac ſabulo. Cùm autem frigoris ſit impatiens & vliginis, hyeme tepidis & ſiccis locis contineri oportet. Perticis non in ſublime ſed paululum à ſolo, puta ad octonos, aut denos pedes ſublatis inſident quieſcentes: Neque enim ſunt altiuolæ aues, quare ſcalis adiuuandæ. Morbo inprimis pituitæ infeſtantur: quare huius quoq; remedia ſuperius de pullis gallinaceis tradita repetenda ſunt, quemadmodum & de ouis ſeruandis & aliis quibuſdam. Si non pigeat audire, adiiciam de Columbarum educatione veluti pericopen. PVL. Inprimis id arbitror Meliſſeum & Piſcinarium cupere, quorum ſententiæ ipſe quoque ſubſcribo. CHE. Etſi te Pullarium de hac diſciplina eruditius diſſerere

posse non ignoro , tamen quia mihi quoque hoc studium commune, non detrectabo hãc susscipere prouinciam.

De Colũbis. Quibus agricultura pastióque rustica cordi est, iis columbarum possessio inprimis vtilis , cùm propter fructum, quem culinæ affert, tum etiam, quòd vectigal non vulgare ex foro earum venditio præbet , præsertim vbi agri frumentarij ampli, & latè patet his auibus euolatus, liberque egressus. Varro prodidit seuerioribus suis temporibus

Columbarum precia. paria columbarum singula millibus singulis Sestertiorum solita vænire: L. Axium Equitem Romanum ante bellum ciuile Pompeianum denariis quadringentis singula paria venditasse: eò deliciarum oblectamenta illic creuerunt. Quin & hodie nostris temporibus in Belgica par vnum decem libris Flandricis emptum constat: adeò harum auium amore accenduntur quidam, vt nobilitatem & origines earum precio iactitent. Quamobrem & co-

Peristereon. Peristerotrophium lumbaria, hoc est, peristereones ac peristerotrophia, vt Varro appellat, magnificè magnáque arte extruuntur edi-

ēditioribus turribus ſummíſque culminibus villarum aut ædium, vnde patentibus feneſtellis ad requirendos cibos euolent. Aluntur columbæ exiguo ſumptu, ſi ea ſit, vt diximus, locorum conditio. Toto ferè anno ſeipſas paſcunt ſeminibus in agro quæſitis, niſi quòd brumæ tempore, maximè cùm ſolum niue conſperſum eſt, ſuppeditare aliquid oportet, vnde victitent. Duo earum ſunt genera, vnũ agreſte, quod in periſtereone alitur, liberóque volatu euagatur, colore vel cæſio, vel albo, vel vario: tametſi albus color, quòd conſpicuus magis, propter accipitrem aliaſque rapaces aues, non ita probetur. In Italia viſuntur huius generis aliunde apportatæ columbæ, noſtris ſeſquialtera parte maiores, iam etiam in Belgicis non raræ. Alterum domeſticum ac cicurũ magis, corpore paulò maiore, pedibus plumantibus, colore plurimum niueo, ac etiam vario & rutilo: id genus in vrbibus atque iis locis, vbi alterum genus educari nequit, alitur cibo domeſtico: quoniam rapacibus animalibus & aucupum inſidiis

Genera columbarum.

obnoxium, intra tecta & veſtibula continetur, paſciturq; intra ianuæ limina. Poſtremum hoc genus vulgus appellat columbas menſtruas atque Græcas, quòd ſingulis propè menſibus, excepta bruma, fœtificent. Vtriuſque generis magna fœcunditas: nam octies anno pullos pleræque educant, ſi eſt bona matrix, alibi decies & vndecies: Nam in Aegypto etiam brumali tempore parere, ex Ariſtotele tradit Plinius. Et quanquam ouorum poſitione gallinæ fœcundiores, maiorem tamen quæſtum columbæ præſtant, ſæpius pullos educando. Quare parentes ad fœturam comparandi, qui ſint corpore magno, formoſo, neque vetulæ, neque nimium nouellæ, integri, coloris boni, boníque ſeminis: qui vt antè diximus, in precio magno habeantur. Oportet eum, qui columbarium inſtituit, non, à iuuenibus & pullis, ſed à matricibus auſpicari: compararéq; totidem mares, quot fœminas, & pullos excluſos non ſeparare, ſi fieri poſſit. Nam ſi ſic maritatæ ſint, plures educant fœtus: proferunt enim vt plurimum

mum marem & fœminam, vt Aristoteles scriptum reliquit, & experientia docet. In Martio statim pariunt alicubi, & si cœlum tepidius, ante Martium oua edunt. Nihil hac aue fœcundius. Quadragenis diebus concipit, & parit, incubat & educat, idque per totum propemodum annum, excepto brumæ interuallo vsque ad æquinoctium vernum. Parit bina oua, & cùm pepererit primum ouum, nempe marem, vno die interposito edit secundum, quod est fœmina, tertiũ ouum semper ferè irritum. Incubant in hoc genere ambo, interdiu mas, noctu fœmina, excludunt vicenis diebus. Pariũt à quinto coitu, æstate interdum binis mensibus terna edunt paria. Namque vndeuigesimo die excludunt, statimque iterum concipiunt. Quare inter pullos sæpe oua inueniuntur, & alij prouolant, alij erumpunt. Ipsæ autem inter se columbæ, si mas non sit, fœminæ, æquè saliunt, sed oua pariunt irrita, quę hypenemia, id est, subuentanea dicuntur; Aristoteles ὑπήνεμα ὠά, Plinius vrina quorundã opinione) appellat; Theo-

Hypenemia, & vrina oua.

dorus Gaza vrina oua interpretatur, è quibus nihil gignitur: Alij vrina vocant oua, quæ ob interruptam incubationem inepta fiunt. Et quoniam pulli quinquemeſtres fœtificant, priores anni fœtus euolare ſinimus ad pariendum, vt qui Martio excluſi, Iulio vel Auguſto fœtificant. Eas autem, quas culinæ aut foro deſtinamus, commodius è poſtremis fœturis ſumimus, quòd ad hyemem imbecilliores, & rapacium auium inſidiis exponantur. Ad fœturam præſtant in omnibus auibus domeſticis, quæ Martio eduntur.

De ſaginā dis pullis columbinis.

Qui ſaginare volunt pullos columbinos, vt pluris vendant, ſecludunt eos, cùm iam plumis tecti, deinde mandu-cato candido farciunt pane, hyeme bis, æſtate ter, manè, meridie, veſperi: hyeme demunt cibum medium. Qui iam firmi pennas recipiunt, in nido relinquuntur, & priuſquàm ſubuolent, eis paucæ ſubtrahuntur pennæ, cruraq; illiduntur, vt vno loco quieſcant: matribus copioſiùs cibū obiicias, quo & ſe & pullos abundantius alant. Quidam, vti Columella tradit, leniter obligant

gant crura: quoniam si franganțur, existimant è dolore saginam impediri: sed nihil illa obligatio pinguedinis affert: nam dum vincula expedire conantur, non quiescunt, atq; hoc exercitio corporis non pinguescunt. Fracta crura non plus quàm bidui aut ad summum tridui dolorem afferunt, & spem tollunt euagandi. Aliqui solùm pinnas alarum rescindunt, quò minus euolare possint: at ne hoc quidem tutum: nam sic exire & è fenestellis decidere possunt, futuræ prædæ quibuslibet vel bestiis vel hominibus. Quare ad culinam auferuntur ante, quàm pennis firmis ad volatum instructæ. Steriles autem & sordidi coloris, aut ob aliam causam aliæ saginandæ sunt: eas omni modo, quo gallinas farcire licebit. Columbarium etsi Varro pro loculamento vsurpare videatur, quo singula paria columbarum nidificant ac pariunt, tamen quia alij plerique pro peristerotrophio vtuntur, nos vulgarem loquẽdi morem sequemur. Columbaria autem seu peristerotrophia, seu peristereones, diuersi generis diuersa extruũ- Columbaria.

tur. Nam domeſticis illis & cicuribus, quæ intra tecta aluntur, non in plano villæ loco, ſed in edito fieri ſolet tabulatum, quod aſpiciat hybernum meridiem, eiuſque parietes, vt in ornithone ac gallinario Pullarius deſcripſit, cubilibus continuis excauentur: vel ſi ita non competit, paxillis adactis tabulæ ſuperponantur, quæ vel loculamenta, quibus nidificent, vel fictilia columbaria recipiunt, præpoſitis veſtibulis, per quæ ad cubilia perueniant. Aſſulæ autem, vel perticæ ad veſtibula columbariorum figi debent, quibus inambulent & apricari poſſint columbæ. Figuntur & in tectis ſcalæ vtrique generi, ad eundem vſum, maximè apricandi. Porrò columbaria alterius & vagi generis, quia immenſum numerum complecti ſolent, accuratiore conſtruũtur arte, tametſi in prætoriis ædibus atque templorum turribus paſſim temerè nidulentur nonnunquam aliquot millia. Varro periſtereonem ſic conſtituit, vt ſit turricula in prætorio, magna camera tecta, vno oſtio angu-
ſto, feneſtris à quatuor partibus ven-
to-

torum reticulatis vtrinque, vt locus omnis sit illustris, néve animal maleficum introire possit. Interius totus locus albo tectorio poliatur, quoniam hoc colore delectantur columbæ, nec minus extrinsecus leuigentur parietes, maximè circa fenestras, ne mures aut alia noxia animantia adrepere queant. Fenestræ sic sint positæ, vt maiore parte hyberni diei solem admittant, habeantque appositam satis amplam caueam retibus munitam, quæ excludat accipitres, & recipiat egredientes ad apricationem columbas, nec minus in agros emittat matrices, quæ ouis vel pullis incubant, ne graui perpetuæque custodiæ seruitio contristatæ consenescant. Nam cum paululum circa ædificia volitauerint, exhilaratæ recreantur, & ad suos fœtus vegetiores redeũt, propter quos ne longius quidem euagari aut fugere conantur. Singulis paribus, fiunt cellulæ rotundæ in ordine crebræ: Ordines quàm plurimi à terra vsque ad cameram aut tectum: singulæ os habeant, quo introire & exire possint, intus ternorum palmorum, vt

Varro

Varro iubet, ab omnibus partibus ſub ordines ſingulos tabulæ fixæ vt ſint bi palmes, quo vtantur velut veſtibulo ad prodeundum, ingrediendúmve. Sunt qui columbaria columnis rotundis leuigatiſque in piſcinas mediaſque aquas collocent, quò ſimul & à noxiis animalibus tutiores ſint, & quia aquas limpidas contemplari gaudent, quoties lubet, lauare poſſint, id quod incubãtes facere expedit. Fiunt etiam in vulgaribus columbariis fiſcellę ad nidorum vſum, quibus incubẽt, ſed has alligare aut figere ſic oportet, ne laxatæ inſiliendo moueantur, & oua elidantur, & confrigantur. Verbenam minutatim diſcerptam in columbario ſpargendam eſſe, vnde columbæ nidum faciant, experiẽtia compertum eſt. Hac enim eas delectari Dioſcorides tradit. Cibus conueniens, vicia, eruũ, triticum, milium, vel quibus hæc non ſuppetunt, ſporia præbenda, maximè hyberno tempore, & rapaceum ſemen ac lolium: Siquidem minutis illis colligendis agitantur & incaleſcunt hyeme. Cibum, quando dandus fuerit, iuxta

Columbarũ cibus.

iuxta parietẽ ſpargere conuenit, quoniam ea parte ferè columbaria ſtercore carent. Et quanquam Varro euerrẽda columbaria præcipit, & fimus is vtilis ſit agro ſtercorando, tamen cum id genus auium ſuo ſtercore conſperſa loca diligat, non eſt in euerrendo magna ſolicitudo conſtituenda. Cauendum, ne turbẽtur ſæpius, vel bombardarum ſonitu, vel hominum aliorúmve animantiũ interuentu frequentiore, præſertim incubandi tempore. Quòd ſi accedendum, veluti ſi quid offendat colũbas, vel ſi qua perierit, vt efferatur, vel deniq; ſi eximendi vel depromendi pulli, id fiat circa meridiem, cum euolauerint paſtus gratia. Aiunt eas retineri, atque etiam alias allici, ſi cumini ſemen ſparſeris exituris ad paſcua, vel ſaluiam cum thure in columbario ſuffumigaueris. Sunt qui aliud philtrum præparent aduerſus fugam, nempe teſtas cribratas, & coſtum fruticem, ac vinum vetus odoratum, ſimul mixta exhibitaque exituris. Alij farinam hordeaceam coctam ficubus aridis admiſcent, addita mellis parte. Cõſtantinus

inGeoponicis ex Didymo alia quędam refert, quæ qui volet, inde petat. Cauẽdum, ne ab accipitre intercipiantur; is enim maximè huic auium generi insidiatur, cuius capiendi rationem ostendit Varro, nempe duabus virgis viscatis deflexis in terram inter se curuatis, in eas columbam obligatam mittendam, ad quam diripiendam cùm raptor properat, visco illitus capitur. Est genus accipitris, quod mira potentia alios accipitres terret, & colũbas defendit, Tinnunculum vulgus, Græci κεγχρίδα vocant. Columella tradit, eius pullos singulos fictilibus ollis condi, stipatisq; opercula supponi, & gypso lita vasa in columbarij angulis suspendi; eam rem columbis amorem loci conciliare, vt nũquam deserant. Habent & alios plures hostes, nempe noctuas, coruos, cornices, quæ omnes columbas captant, maximè cùm pullos educant. Ipse in meo columbario deprehendi noctuam, inter medios columbarũ nidos ouis suis incubantem: deprehendi quoque in propinqua excauata arbore plurimorum pullorum reliquias, à noctuis congestorum,

De accipitre arcendo.

Tinnunculus.

Colum. lib. 8. cap. 8.

Hostes columbarũ.

gestorum, quibus suos pullos nutrierãt illæ. Etsi enim noctua maior apparet columba, plumarum videlicet densitate freta, tamen eodem penetrat, quo columba, quòd corpore exili sit, licet plumosiore. Et coruos quoque & cornices vidimus columbarum pullos primùm euolantes opprimere. Aduersus mustelas & similia noxia animalia Palladius docet frutices asperos sine foliis vel sparteam veterem proiiciendam in vestibulis columbariorum, quibus calcientur. Didymus & alij quidam tradunt, rutæ surculos pluribus locis præsertim ad ingressus suspendendos, aut sub alis rutam sylvestrem mittendam, aut succo rutæ perfundendas aues: Siquidem ea herba peculiarem aduersus noxias bestias efficaciam habere proditur. Sunt qui lupi caput suspensum in columbario arcere noxia animalia existiment. MELIS. De columbis iam satis, perge obsecro de reliquis auibus, quæ ruri pascuntur, referre. Phasianósne hîc habetis? CHENO. Hæ aues etsi rarius hîc educantur à rusticis, à delicatis tamen nonnullis deliciarum & raritatis

Auiariã quibus præsidiis aduersus hostes defendãtur.

De Phasianis.

ritatis causa nutriuntur: & quia dominis voluptatem, & villicis reditum aliquem afferre possunt, si & regio & conditio ferat, video veteres quoque harũ educationem Rei Rusticæ adiunxisse. Phasianos Palladius tradit nouellos parandos fœtibus curandis, nempe qui anno superiore sint editi; veteres enim fœcundos non esse. Duabus vnus masculus satis est. Semel in anno fœtus creat, & vicenis ferè ouis summam pariendi concludit, initio facto in Aprili, alibi Martio. Gallinis felicius excluduntur oua, ita vt quindecim vna matrix incubet, seruata & lunæ & dierum ratione, quæ in gallinis antè dicta. Trigesimo die excluduntur. Per quindecim dies cocto leniter & refrigerato hordei farre pascuntur, cui vini imber aspergitur. Pòst triticum præbetur, & locustæ ac formicarum oua. Ab aquæ arceantur accessu, ne pituita eos corripiat, qua si vexentur, allio cum pice liquida trito rostra perfricabis. Saginantur intra triginta dies triticea farina in offulas redacta, vel hordeacea. Aspergentur leniter offulæ oleo, & ita faucibus

bus inſerantur, ne ſub infima linguæ parte mergantur; nam ſic necantur. Non præbenda noua alimenta, niſi digeſtis prioribus. PVL. Quid de turturibus? nam & hi quibuſdam regionibus educantur & ſaginantur. CHEN. Turtures in ornithone negantur à Columella vel parere vel excludere, ſicut nec perdices. Ideò à volatura & circa meſſem, cùm iam cõfirmata pullities, farturæ deſtinantur, cubilibus veluti columbariis obſcuris. Veteres non ſunt tam idoneæ, ſicut nec columbæ. Per hyemem difficulter gliſcit, æſtate ſua ſponte pingueſcit, dummodo ſit cibi facultas, nempe tritici & frumenti ſicci. Aqua præbenda recens & munda. Turturem aiunt amiſſo coniuge non quærere alium. Et quia turdorum maior eſt copia, turturum educatio negligitur. Turdi alicubi educantur, in Germania maximè hyeme capiuntur, quod & Plinius teſtatur, & in præcipuis haberi deliciis Horatius prodit:

De turturibus, & perdicibus, ac turdis.

Turdi.

Nil melius turdo, nil vulua pulchrius ampla.

Et Martialis,

Inter aues turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Coquuntur integri, nam & inteſtina ſimul eduntur. Ingluuiem plenam habent baccis iuniperi. M. Varro tradit turdos ſingulos tribus denariis veniſſe. Vbi educari conſueuerunt, recenter capti clauduntur cum aliis antè nutritis, quorum ſocietate ad capiendos cibos pauidam nouæ captiuitatis mæſtitiam conſolentur. Nam veteranos habere oportet in eum vſum nutritos, quorum conſuetudine & cibum & potum tandem accipere aſſueſcant. Locum deſiderant apricum, ſicut & columbæ, ſed tranſuerſæ in eo perticæ, perforatis parietibus aduerſis, apten-tur, quibus inſideant. Poſt volatum vel ſatiati cibo, requieſcere volunt. Perticæ non altius ſubleuentur, quàm hominis ſtatura, vt à ſtante contingi poſſint. Pabulum apponitur iis locis ornithonis, vbi perticæ non ſunt, ne inquietetur. Columella & Palladius ſcribunt, ficus acerbas pinſitas & permiſtas polline præmanſas dandas ita largè, vt ſatiatis ſuperſit. Plura genera

Ari-

Ariſtoteles tradit, videturque & ficedulas his annumerare, quæ vuis paſcũtur: Turdi autem noſtrates baccis vt plurimum iuniperi, quòd exenteratorum ſtomachi, vt diximus, oſtendunt. Ficedulæ.

Solent & coturnices à quibuſdã educari non ſolùm cantus, ſed etiam cupediarum cauſa. Auis terreſtris potius quàm ſublimis, vt Plinius teſtatur: Verum quia proditum eſt, eam veretro ac veneno veſci, & præterea comitiali laborare morbo, mirantur quidam tantopere in cibis expeti, Athenæo teſte. Coturnices.

Aiunt pullos formicis ali & educari, ſicut & perdices. Auolare putatur hyeme, ſicut & grues, & ciconiæ, duce ortygometra, ſic dicta, quaſi matre coturnice. Ortygometra.

PVLLAR. Vnam præterniſiſti auem eamque nobilem, ruſticorum piſcinis, ſtagnis atq; fluuiis ali ſolitam, nempe cygnum. Cygnus.

CHENOB. Rectè mones, nam eam auem inferior Germania crebris educationibus alit, & Athenęus Ariſtotelem citans fœcundos tradit atque pugnaces, adeo vt cum aquilis pugnare dicantur, & mutuò ſe interficiant. Aluntur, vt tu rectè dixiſti,

in ſtagnis, riuis ſedatim fluentibus, atque piſcinis, citra vllam impenſam, & aquam, in qua viuunt, à ſtirpibus aliiſque impedimentis liberant. Propter plumæ mollitiem atque etiam cibi dignitatem in precio eſt Cygnus. Eſt nobiliſſimum genus, quod ab excubando nomen habet, & in foſſis paſſim vrbiũ atque arcium, prætoriorumque propter vigilantiam excubandi ſuſtinetur. Eadem propemodum educandi ratio, quæ & anſerum, niſi quòd diutius incubat, nempe menſem integrum, vel circiter. Pullos edunt rarò vltra octonos, nam totidem mihi excluſerunt mei, poſt ſeptenos, aliâs quinos produxere. Nidos conſtruunt in paludibus congeſta vlua aliiſque ſtirpibus. Pullos in aqua educant, Hyeme, ſi glacie conſtringantur paludes, in ſtabulis alendi ſunt. Ales hæc inter viuaciſſimas refertur, & morte eius flebilis ſuauiſque cantus narratur, Platone & Martiale teſtibus. Sed hæc de mea facultate relata, vos amici, boni conſulite.

Sed ne piſciũ nulla ratio videatur habita, Tibi iã, Piſcinari, lampada trado.

PI-

De piſcinis & piſcium viuariis.

PISCINAR. Opportunè, dum aquatilium mentio facta animalium, ad piſcinarum piſciumque educandorum curam peruenimus. Etſi enim de piſcibus alendis capiendiſque alio huic rei peculiariter deſtinato loco, nempe in halieuticis differendum erit: tamen cum villæ plerunque propter aquarum neceſſitatem, animalibuſque adaquandis, lacus, piſcinas aut ſtagna poſtulent, & ſitus aliquoties loci anguſtiáque ſeminarium agrum non concedat, licebit è piſcinis, ſtagnis, viuariiſque villaticum quæſtum homini ruſtico non aſpernandum facere. Romani proceres piſcinas in villis magnis impenſis, & nonnunquam voluptatem magno facultatum diſpendio inſtituerunt, vt de Hortenſij, Hircij ac Luculli piſcinis ſumptuoſis ſcribit. Varro M. Cato cum Luculli tutelam ſuſcepiſſet, grandi ære ſeſtertiũ millium quadringentorum piſcinas pupilli ſui vendidiſſe traditur. Commemorat idem Varro piſcinarum duo genera, dulcium & ſalſarum, alterũ apud plebem, & ſine fructu, vbi lymphæ piſcinis vil-

lib 3. rei ruſticæ.

Piſcinarũ genera.

laticis aquas miniſtrant: alterum maritimarum, vbi Neptunus ſimul & aquã & piſces ſuppeditat : Exempla declarant, Hortenſij piſcinas magno ſumptu inſtructas ad Baulos, oculos magis quàm marſupium aluiſſe. Optimum autem piſcinarum viuariorumque ſitum cenſent, qui vel è mari, vt Luculli, qui, vt maritimam aquam reciprocè fluentem immitteret in piſcinas, montem perfodit, eáque opera Neptuno in piſcatu non cedere ſe exiſtimauit. vel qui è fluuio riuulóve aliquo, ſubinde & aquam & piſces recipere poſſit, quíque vel inundatione, vel cataractis emiſſam, veterem vndam non ſinat intra conſeptum ſemper computreſcere aut incaleſcere, ſed identidem & aquas renouet & piſcium noua ſeminaria adducat. Proximæ bonitatis ſunt, quæ venis latentibus implentur atq; effluunt, vel deductis elicibus ac ſyphonibus, lapideis aut ligneis alueis aquam exonerant. In hoc enim & tubi aquarij aggeribus incluſi parantur, vt aquam quoties licet retinere atque tranſmittere, ac per incilia prata quoque irri-

Bauli, villa ad Baias.

Optimus piſcinarum ſitus.

gare

gare liceat, quales apud Vsipetes, Tencteros, Bructeros, & aliis pluribus locis, magno fructu fieri videmus. Idcirco viuaria, vt vocant, ad aquam retinendam dispensandamque aggeribus, molibus, ac chomatis includuntur, vt obiectu crepedinum aquarum exundantium atrocitas inualescens reprimatur. Postremus piscinarum vsus, est paludum vel stagnorum, & earum, quę ex pluuia collectitiáque stagnãt aqua. Hæ piscinæ etsi deteriores, propter perpetuò turbidam, atque putridam plerunque aquam: tamen vbi non dantur aliarum vsus, hic minimè negligendus. Nam etsi alendis piscibus non sunt ita idoneæ, possunt tamen ad hanc rem alicubi vtilitatem aliquam præbere: Inprimis autem necessariæ sunt ad villæ commoditates, nimirum iumentis pecoribúsque aquandis, anseribus, anatibúsque & aquatilibus alendis, ad lauandum, aliósque necessarios vsus. Quod si occasio detur, iuxta mare aut flumen semper influente sinu, sic fiant, vt claudi vel cataractis vel aliis obicibus aquæ, & si opus sit, emitti, & pisces

Viuaria piscium

incluſi retineri poſſint, vt de aliis piſcinis diximus: & ſi quando cataractæ aut tubi emittendis aquis aperiuntur, vt ad os tubi cancelli ſint ſupra aquam eminentes, qui fugam piſcium impediant. Aditum ſi loci natura patitur, omni lateri piſcinæ dari conuenit: facilius enim vetus ſubmouetur vnda, cùm quacunque parte vrget fluctus, per aduerſam pateat exitus. Hos autem meatus fieri oportet per imam conſepti partem, ſi loci ſitus patiatur, vt in ſolo piſcinæ poſita libella ſeptem pedibus ſublimius eſſe maris æquor aut flumen oſtendat. Nam piſcibus ſtagni hæc in altitudinem gurgitis menſura abundè ſatis eſſe exiſtimatur Columellæ; attamen dubium non eſt, quin quantò magis imo mari venit vnda, tanto ſit frigidior; quod eſt aptiſſimum piſcibus. Sin locus, vbi viuarium conſtituere volumus, pari libra cum maris æquore aut fluuio ſit, in pedes nouem defodienda piſcina, & infra duos, à ſumma parte cuniculis riui deducantur, curetúrque vt quàm largiſſimè veniant: quoniã modus ille aquæ iacen-

iacentis infra libram maris non aliter exprimitur, quàm si maior recentis facti vis incesserit. Piscina autem in ea parte littoris, quæ profluo recessu nunquam destituitur, satis est, si in duos pedes deprimatur. Piscinarum viuariorumq; crepedines, si sic ferat locus, consitas dumetis, stirpibusq; esse conuenit, aut specus latebræq; fabricandę, aut ripæ excauandæ fuerint, vt sint receptacula refugientium solis ardorẽ. Præbent etiam excauatarum arborũ trunci, & radices terræ exesæ, gratissima piscibus latibula. Si laxitas permittat è litore scopulos, qui herbis & alga vestiantur, non esset alienum per stagni spatia disponere, & quasi faciem quandam maris repręsentare, vt pisces clausi quàm minimè custodiã sentiãt. In Morinis, sicut & aliis pluribus locis, è stagnantibus aquis & pluuia collectis, in solitudinibus & myricarũ campis viuaria piscium reperiuntur amplissima. Plurimis locis in Germania inferiore viuaria piscium, quæ influentes riuos habent, quorum aquas excludere possunt, sic constituunt, vt vel cin-

& a vel interſecta ſint foſſis profundioribus, quibus piſces æſtiuo tempore contineãtur, & ſolum reliquum, quod eſt inter foſſas, obturato riui aditu & aqua influente cataractis aut tubis excluſa, frumentis æſtiuis conſeratur, quod ſolum à meſſe rurſum cataractis apertis aqua repleatur. Hac ratione ſolum inundationis limo lætificatum fertile redditur hordeo æſtiuisq; frumentis ferendis. Porrò vti in terreno præcipit Poëta, ſic & in aquatili negotio,

Non omnes vbiq; piſces ali Piſces qui viuariis alantur.

Non omnis fert omnia tellus,

ſed conſiderandum accuratè, quid quæque ferat regio, quidque recuſet. Romani in viuariis murenas, oſtrea, lupos, mugiles, auratas, flutas, & ſaxatiles, atque id genus piſcium, qui dulcibus aquis gaudent, alere conſueuerũt: nam qui ſalſis marinisq; aſſueuerunt, non ita piſcinarum clauſtris conſtringiſe patiuntur; poſſunt tamen ea genera viuariis ſtagnisq; arenoſi littoris contineri. Oſtrearum viuaria Sergium Oratam inueniſſe in Baiano, ætate L. Craſſi Oratoris ante Marſicum bellũ,

Oſtrearũ viuaria. Sergius Orata.

nec

nec tam gulæ cauſa, quàm quæſtus, vt magna vectigalia ex ingenio ſuo perciperet, ac cochleas viuariis aluiſſe Fuluius Hirpinus proditur. Porrò alij aliis locis piſces gaudent. Lupos piſces in Tiberi amne, inter duos pontes meliores, rombos Rauennæ, murenas in Sicilia, Elopen Rhodi ferunt: ita fluuij, paludes, ſtagna & maria diuerſis locis alios melius aliunt piſces. Quare, vt ad viuaria reuertamur, nec his omnibus locis omnes piſces conuenire, rerum experientia docemur. Siquidem ſunt ſaxatiles, qui ſaxoſis arenoſiſque locis delectantur, quales ſunt apud nos funduli, capitones, varij, quos in Italia Carpiones appellant, gobij, percæ, muſtelæ, cancri, barbati, mugiles: Alij melius proueniunt cœnoſis paludinoſiſq;, limo luteſcere gaudentes, quales ſunt anguillæ, tincæ, merulæ, βόρβοροι, quos noſtri carpos vocant, praſini, primada, & daſquillus, cœno ſe abdunt ſicut anguillæ: Alij vtriſq;, vt ſunt lucius, lupus, perca, carpi, preſſus vel praſius, & blechus, item mona vel mullus, thymalus. Putantur ſaxatiles, maximè funduli, pro-

Saxatiles piſces.

Cœnoſis locis gaudentes piſces.

procreari fimo ouillo cratibus tecto, inq; riuum profluentem missо, maximè loco petricoso aut salebroso. Lupũ, quem broschetum vocant, Græci labracem, citò adolescere constat, sicut & carpus intra triẽnium in iustam magnitudinem excrescit. Quare in viuariis, quæ neque mari neque fluuio replentur, triennio aut quadriennio, veteribus captis piscibus, seminaria sufficere consuetum. Seminaria maximè hisce regionibus carporum vsurpamus. Habere conuenit loculatas piscinas, hoc est paruas vel etiam arculatas, quibus pisces quotidiano vsui accommodatos seruamus, vnde quoties libet, ex tempore & in promptu desumere liceat.

Seminaria viuariorum.

Loculatæ piscinæ.

Hæc habui quæ de mea professione vobis proferrem: Tu, Melissee, de tuo quoque aliquid depromas apiario ac melissone. MELISS. Ne nostra de pastionibus rusticis commentatio mutila sit membro longè vtilissimo, & cuius vsus omnibus locis etiam incultis, & in solitudinibus haberi potest, apum curam velut coronidem huic nostræ dis-

De apibus

putationi

putationi adiicere, operæ preciũ fuerit: Siquidem homini ruſtico ex huius paſtionis ſtudio non contemnendum vectigal prouenit, citráque ſumptum etiam pauperculi, qui amplis agris deſtituuntur, ex hoc ſtudio quæſtum facere poſſunt. Merula Varronem narrat quotannis quinis millibus pondo mellis aluearia locaſſe: & in Hiſpania è parua villa vnâ cum agello non maiore vno iugero, alueario facto, non minus quàm dena millia ſeſtertia ex melle recipi ſolent. Huius inſecti paſtio non opere ſolùm, quo nobis dulciſſimum & ſaluberrimum ſuccum colligit exhibétque, verùm etiam exemplo induſtriæ humano generi vtilis, ita vt præter cætera animalia omnia in vſum hominum hoc tam munificum & ſapientiſſimum animalculũ à creatore Opt. Max. conceſſum, è quo ſimul & fructũ operis percipiamus, & ad laborem induſtriámque excitemur, denique liberaliſſimi creatoris benignitatem in hac creatura contemplemur. Laborẽ illæ tolerant, opera conficiunt mira dexttritate, politiam Reip. obſeruant humanæ

Apum induſtria.

humanæ optimè inſtitutæ aſſimilem,
ApũResp. Regi parent, πλυνθιεραγίαν tanquam inutilem fugiunt, monarchiam amant, functioni ac labori quæque ſuo incũbunt. Vnde ſapientiſſimi quique Rerump. inſtitutores apum exempla, & in Regibus creandis, & officiis diſtribuẽdis, ſontibúſq; puniendis imitati ſunt.
Muſarum volucres. Virgilij pictura. Varro Muſarum volucres appellauit apes. Virgil. admiranda leuium ſpectacula rerum veriſſimè elegantiſſiméque canit, Apum Rempub. regias, ſatellitia, prætoria, vrbes, leges, mores, pugnas, expeditiones ſic depingens, vt vel vna hac pictura admirandas ingenij dotes declarauerit, prorſus eſſe apibus
Apum diuina mẽs. partem diuinę mentis, & hauſtus ęthereos exiſtimans, quòd tam prope ad humanam mẽtem accedant, imò eam etiam ſuperent. Tanta earum erga regem obedientia.

Prætereà regem non ſic Aegyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus
Hydaſpes
Obſeruãt: rege incolumi, mens omnibus vna,
Amiſſo, rupere fidem, conſtructaq́ mella
Diripuere ipſæ, & crates ſoluere fauorum.

Ille

Ille operũ cuſtos, illũ admirantur, & omnes
Circũſtant fremitu dẽſo, ſtipantq; frequentes,
Et ſæpe attollunt humeris, & corpora bello
Obijciunt.

Rege prehenſo totum agmen tenetur, amiſſo dilabitur, migrantque ad alias: Eſſe vtique ſine rege non poſſunt, ἀναρχίαν fugientes, ſicut & πολυκοιρανίαν. Defuncto rege mœret plebs ignauo dolore, non amplius cibos conuehunt, non procedunt, tantum triſti murmure circa corpus eius glomerantur. Magna profectò in hoc inſecto admiratio naturæ, quòd

Solæ communes natos, conſortia tecta
Vrbis habent, magnisq; agitant ſub legibus æuum;
Et patriam ſolæ, & certos nouere penates,
Venturæq; hyemis memores, æſtate laborem
Experiuntur, & in medium quæſita reponũt.

Regias monarchiæ in vna parte aluei extruũt amplas & magnificas, ſeparatas ab aliis, tuberculo eminentes, quod ſi exprimatur, nõ giguntur ſoboles. Omnes vt in exercitu viuunt, atque alternis dormiunt, & opus faciunt pariter, & colonias mittunt. Hiq́ue duces, in- Regia. Excubiæ.

quit Varro, conficiunt quædam ad vocem vt imitatione tubæ, tum id faciunt, cũ inter se signa pacis & belli habeant: statio interdiu ad portas more castrorum, noctu quies in matutinum, donec vna excitet omnes bombo, ad quem mox prouolant, quòd Poëta eleganter expressit:

Quies.

Omnibus vna quies operum, labor omnibus idem,
Mane ruunt portis, nusquam mora, rursus easdem
Vesper vbi è pastu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant.
Fit sonitus, mussantq; oras & limina circum:
Pòst, vbi iam thalamis se composuere, siletur
In noctem, fessosq; sopor suus occupat artus.

Nam cùm iam adue sperascit, in alueo strepunt minus ac minus, donec vna circũuolet eodem, quo exitauit bombo, ceu quietem capere imperans, & hoc castrensi more, tunc repente omnes conticescunt. Manè verò, vt diximus, bombo excitatæ mox ruunt portis, sed non prouolant, nisi dies sit serenus futurus, id scilicet natura præsagiente:

Nec verò à ſtabulis pluuia impẽdente recedũt
Longius, aut credũt cœlo aduẽtantibus Euris,
Sed circum tutæ ſub mœnibus vrbis aquãtur,
Excurſuſq; breues tentant, & ſæpè lapillos,
Vt cymbæ inſtabiles fluctu iactãte ſaburram,
Tollunt, his ſeſe per inania nubila librant.

Tempeſtatis prænunciæ apes.

Gerulæ ſecundos flatus captant. Si oriatur procella, apprehenſis lapillis ſe librant, iuxta terram volitantes in aduerſo flatu. Sunt foris & intus officia diuiſa; operantur intra ſexaginta paſſus, & ſubinde floribus in propinquo conſumtis, ſpeculatores ad pabula vlteriora mittunt: Nam ad opera prouolantes gregatim aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, guttaſq; totius corporis lanugine. Adoleſcentiores ad opera prouolantes conuehunt, ſeniores intus operantur. Quæ flores comportant, prioribus pedibus fœmina onerant, propter id naturâ ſcabra, pedes priores, roſtro, totæque onuſtæ remeant ſarcina incuruæ. Excipiunt eas ternæ vel quaternæ atque exonerant. Intus aliæ ſtruunt, aliæ poliunt, aliæ ſuggerunt, aliæ cibum præparant ex eo, quod allatum eſt. Ne-

Operum diſtributio.

que enim ſeparatim veſcuntur, ne inæqualitas operis fiat, vel temporis, vel cibi. Struunt rurſus ea orſa concameratione aluei, textúmque vel ad ſumma tecta deducunt limitibus binis circa ſingulos arcus, vt aliis intrent, aliis exeant. Fauus eſt, quem finguntmulticauatum, vt inquit Varro, è cera veluti cellam, cùm ſingula caua ſena latera habeant, quot ſingulis pedes dedit natura, ita ſexangulæ omnes cellæ, & ſingulorum pedum opere melle vno alteróve ad ſummum die cellas replent. Faui ſuperiore parte affixi, & paululum etiam lateribus hęrent & pendent vnà. Alueum non contingunt, nunc obliqui, nunc rotundi, qualiter poſcit alueus, vt Plinius teſtatur, & infrà de fauorum figuratione dicetur. Ruentes ceras fulciunt pilarum inſtar interius à ſolo fornicatis, vt ſit aditus ad ſarciendum. Primi ferè tres verſus inanes ſtruũtur, ne promptũ ſit, quod inuitet furantem. Nouiſſimi, maximè implentur melle, ideoque auerſo alueo faui eximuntur. Ceſſantium inertiam notant, caſtigant mox, & puniunt morte.

Fauus.

Structura

Caſtigatio ceſſantiũ.

Nam-

Namq; aliæ victui inuigilãt & fœdere pacto
Exercentur agris, pars inter septa domorum
Narcisco lachrymã, & lentũ de cortice glutẽ,
Prima fauis ponũt fũdamina, deinde tenaces
Suspendunt ceras, aliæ spem gentis adultos
Educunt fœtus, aliæ purissima mella
Stipant, & liquido distendunt nectare cellas.
Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sorti,
Inq; vicem speculantur aquas & nubila cœli:
Aut onera accipiũt veniẽtũ, aut agmine facto
Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent:
Feruet opus, redolẽtq; thymo fragrãtia mella.

Operis pictura à Virgilio descripta.

Et mox:

Grandæuis oppida curæ,
Et munire fauos, & Dædala fingere tecta.

Prima fundamenta operis, inquit Plinius, Comosim appellant, secundam pissoceron, tertiam propolim, inter coria cerásque magni ad medicamina vsus, σμήνιον à Dioscoride vocatur, cera in alueorum foribus. Nigra crusta est prima, saporis amari: Perissoceros super eam venit picantium modo ceu dilutior: Ceræ initium plerunque è mitiore gummi, Propolis è crassioris iam materiæ additis floribus, nondum tamen cera ad fauorum stabilimentum.

De vocabulis operis. Comosis. Pissoceros. Propolis. σμήνιον.

Erithace. Sãdaraca. Cerinthꝰ. Præter hæc conuehitur erythace, quã alij Sandaracam vocant, alij Cerinthũ: Hic apum, dum operantur, cibus, qui ſæpe inuenitur in fauorum inanitatibus ſepoſitus, & ipſe amari ſaporis, ſed plenus humoris. CHE. De huius inſecti nobilitate, induſtria, operis artificio, atque regimine ſatis prefatus es: de generibus & quæ potiſſimum comparandæ, déque ſtatione & cura earum diſſerere pergas. MEL. Apum genera Ariſtoteles plura commemorat, optimũ, quæ breues, variæ, & in rotunditatem compactiles ſint: ſecundum, quæ longæ & veſpis ſimiles: tertium, qui fur nuncupatur, grandis hæc & ampło amplior: quartum, fucus, κηφὼ, præcipua magnitudine, ſed nullo aculeo, & ignauus; quare alueis quædam intexunt, quò apes ſubire poſſint, fuci autem grandiores non poſſint, διὸ πλέκουσί τινες πρὸς τὰ σμήνη, ὥστε τὰς μὲν μελίττας εἰσδύεσθαι, τοὺς δὲ κηφῆνας μὴ, διὰ τὸ εἶναι αὐτοὺς μείζους idem Ariſtoteles præcedente capite: Ducum duo, inquit, genera, alterum fuluum, quod præſtantius, alterum nigrum, magiſque variũ: ma-

Apum genera. Fur. Fucus.

magnitudo iis duplo, quæ cæteris frugi apibus, auctior eſt, pars à procincto inferior proportione ſeſquialtera, adeò longitudinis habetur. Vocantur à nonnullis matres, vtpote originis auctores, argumento, quòd fucorum fœtus editur etiam ſine duce, apum nunquam. Virgilius Ariſtotelem ſecutus maximè probat paruulas, oblongas, leues, nitidas. Atque ducum duo genera commemorans,

Matres.

Apes optimæ.

Deteriorem ne prodigus obſit,
Dede (inquit) necci, melior, vacua ſine regnet in aula.

Regum forma.

Alter erit maculis auro ſqualentibus ardens,
Et rutilis clarus ſquamis, inſignis & ore,
Hic melior.
Ille horridus alter
Deſidia, latumque trahens inglorius aluum.

Et ſicut regum duo genera, ita & reliquarum apum:

Namque alij turpes horrent;
Elucent aliæ, & fulgore coruſcant,
Ardentes auro, & paribus lita corpora guttis.

Moribus etiam placidis: nam quantò grandior apis, tantò peior, & ſi ſæuior & rotundior, ea peſſima. Quoniam au-

Quæ & qua consideratione apes comparandæ.

tem non nisi optimæ cõparandæ, cùm & impensam & operam eandem postulent bonæ atque improbæ, quod maximè refert, non sunt degeneres intermiscendæ. Minor enim fructus mellis respondet, cùm segniora interueniunt examina. Comparantur autem apes vel precio, vel sylvestres capiuntur, vel denique arte reparantur. Quæ comparandæ precio, eas his prædictis notis comprobabimus, & earum frequentiam, antequam eas mercemur, apertis aluearijs considerabimus, vel, si non fuerit inspiciendi facultas, notabimus saltem: quantum licet, aliis indicijs frequentiam, veluti si in vestibulo plures consistant, & vehemens intus murmurantium sonitus exaudiatur: Aut si omnes in alueario silẽtes cõquiescant, labris foramini aditus admotis & inflato spiritu è respondente earum subito fremitu poterimus æstimare vel multitudinem vel paucitatem. In emendo spectare quoq; oportet, an valeant, an sint ægræ. Sanitatis signa, vt infrà de morbis dicetur, si sint frequentes in examine, & nitidæ, &

Trifariam comparantur apes.

In emendis apibus quid considerandum.

opus

opus quod faciunt ſit æquabile ac leue. Minus valentium ſigna, ſi ſint piloſæ & horridæ ac puluerulentæ, niſi opificij tempus vrgeat; tum enim marceſcunt, & ex labore aſperantur. Ab ætate quoque æſtimandæ; quę annum non exceſſerunt, niteſcunt, oleíque ſimilitudinem & ſpeciem gerunt: vetulæ verò & aſpectu & tactu horridulæ, atque ex ætate affecta rugis plenæ, quæ tamen fingendorum tauorum experientia, induſtria, & tempeſtatum præſciẽtia præcellunt. Præcipuè autem obſeruandum, vt è vicinis potius quàm è lõginquis locis comparentur: Nam cœli mutatione & commotione laceſſiri ſolent. Quòd ſi è longinquo deferendæ, curandum, ne ſalebris ſollicitentur, optiméque noctu collo deportantur: interdiu enim quies concedenda: neque mouendæ, infundendíque apibus grati liquores, quibus clauſæ alantur. Transferuntur verno potius tempore, quàm hyberno, quòd hyeme difficulter conſueſcant: Si enim è loco transferantur bono in eum, vbi pabulatio non eſt, fugitiuæ fiunt. Mox vbi ad ſta-

E vicinia comparãdæ apes.

Quomodo transferẽdæ è longinquo.

tutum locum deportatæ, ſi dies ſuperuenerit, nec aperiri nec collocari oportebit alueum, niſi veſpere, vt apes placidè, manè poſt totius noctis requiem, egrediantur. Conſiderandúmque triduo aut circiter, an vniuerſæ ſe profundant: quod ſi fecerint, fugæ indicium præbent, cùm quædam ſoleant, cùm ſubitò euaſerint, ſine cunctatione ſe proripere, vt infrà de fuga dicetur. Veruntamen interdum propter conditionem locorum etiam ſylueſtres captandæ. Quanquam enim apes neque feri generis, neque manſueti aut cicuris rectè dici Plinius ſcribit, tamen Varro feras vocat, quæ ſylueſtribus locis, & cicures, quæ cultis paſcuntur, aliámque rationem habendam cicurum, & aliam ſylueſtrium. Nam vbicunque ſaltus ſunt idonei, mellifici nihil antiquius, quàm quibus apes vtantur. In Sarmatia magnus ſylueſtrium prouentus. PVL. Aiunt in Liuonia & Sarmatiæ regionibus (vnde maxima cerę & mellis ad nos tranſmittitur copia (ruſticos in ſyluis ac ſolitudinibus ex arborum cauernis immenſam

Syluestres quomodo capiantur.

Apes feræ. Cicures.

Sarmatiæ apiaria in arboribus

fam vim colligere. MEL. Sola mellificia indicant apes, si circa fontes frequentiores pascantur: Nam si rariores appareant, in his locis mellificari vtiliter non potest. Quod si frequentes aquantur, vbi sunt examina earum, hac ratione inuenire licebit, Columella & aliis quibusdam tradentibus: Rubricã liquidam breui vasculo infusam geramus, & obseruemus fontes & aquas vicinas, tum dorsa apum bibentium tangamus illo liquore tincta festucis, atq; ibidem moremur, si citò reuersæ fuerint, quas tinxerimus, hospitia in propinquo esse, certum est, si tardè, spatio longiore summota, quod pro mora tẽporis æstimandum. Ad propinqua facilè peruenitur hospitia, ad longinqua hoc modo perduceris. Cannæ vnum internodium cum suis recidas articulis, & in latere aperies, ibi mel vel defrutum exiguum mittes, & iuxta fontem ponas. Cùm ad eum conuenerint apes, atque ingressæ fuerint post odorem, foramen pollice claudes apposito, & vnam tãtùm patieris abire, cuius fugam persequêre, ea tibi partem de-

Modus apes inuestigandi.

monſtrabit hoſpitij: cùm ipſam deſieris videre, alteram continuò dimittes & ſequêris, atque ita ſingulæ ſubinde dimiſſæ te facient vſque ad locum examinis peruenire. Alij mellis breuiſſimum vaſculum circa aquam ponunt, de quo cùm apis deguſtauerit, ad commune pabulum pergens, alias exhibebit, quarum frequentiam ſubinde creſcentem, notata reuolantium parte, vſque ad examina perſequeris. Quod ſi eſt examẽ abditum ſpecu, fumo expellitur, & cùm erumpit, æris ſtrepitu coërcetur, & in fronde vel ſyluæ parte conſidet: hîc à veſtigatore præparato in hoc vaſe recipitur. Sin autem arboris cauæ ſedem habuerit, & extet ramus, is ſerra ſuprà infraq; reſecetur, & munda veſte coopertus, inter aluearia collocetur. Quod ſi in arboris trunco ſit, tunc ſi mediocritas patitur, primùm ſuperior pars reſecabitur, quæ apibus vacat, ac deinde inferior, quatenus videtur inhabitari, à veſte tecta transferatur, & ſi rimis hiet, hæ diligenter obturentur. Oportet autem veſtigatorẽ matutina tempora eligere, vt ſpatium

Eſpecu fumo expelluntur.

Matutino tempore veſtigandæ apes.

diei

diei habeat, quò exploret commeatus apum. Sed de generibus, & quæ apes comparandæ hactenus; iam de sede & statione ac reliquis curis huic insectæ adhibendis dicetur. Stationes ac pastiones apum constituendæ, vt in tuto secretóque aluearia sint, maximè conuersæ ad hybernum atque vernum solis exortum, loco neque calido neque frigido nimis; vtroque enim offendũtur; sed temperato, vt & hyeme atque æstate temperatè incalescant, & auræ salubritas apes recreet. Procul à cœtu ac tumultu tam pecudum quàm hominum,

De statione apibus constituenda.

Quæ prosint, quæque offendant.

Quò neque sit ventis aditus: nã pabula vẽti
Ferre domum prohibent, nec oues hœdique petulci
Floribus insultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, & surgentes atterat herbas.

Gaudet enim quiete. Absint noxia animantia, quales sunt rubetæ, quæ simul & flatu lædunt, & apes attrahunt; pici Martii, meropesque & hirundines, ciconiæ, aranei, caprimulgi, crabrones, papiliones, serpentes, blattæ.

Animantia noxia apibus.

Absint & picti squalentia terga lacerti
Pinguibus

Pinguibus à ſtabulis, meropesque, aliæque volucres,
Et manibus Progne pectus ſignata cruentis:
Omnia nam latè vaſtant, ipſasq; volantes
Ore ferunt dulcem nidis immitibus eſcam.

Vallis quã editior locus commodior.

De iis, quæ apibus nocẽt, inferius plura, vbi de morbis incommodiſque dicetur: iã ſtationẽ perſequemur. Sedes etiã in valle potius quã editiore loco ſit, ſed vbi non reſultet echo, ſono reciprocante apibus inimica. Nam hinc expeditius euolant vacuæ ad altiora, & onuſtæ non ægrè deuolant. Si villæ ſitus ita patiatur, commodè ædificio iungi apiarium, & maceria cingi, ſed ea parte, qua à tetris latrinæ ſterquiliniis & balneis libera ſit odoribus. Maximè expedit, vt ſub oculis domini conſtituatur, cuius interuentu tutius cuſtodiatur. Vbicunque fuerint alueariq, quoniam quiete gaudent, & acceſſum oderunt, non editiſſimo claudantur ſepimento. Quòd ſi prædonum metu ſublimius placuerit, tribus elatis ab humo pedibus, exiguis in ordinem feneſtellis, apibus ſit peruium, aut raris lapidibus, quo ipſæ per cauernas inuolent,

Echo.

Apiarium ſub oculis domini ſit

lent, & aues ac rorem effugiant. Iungatur tugurium, quo & cuſtodes habitent, & condatur inſtrumentum, ſitque repletum maximè alueis ad vſum nouorum examinum, nec minus herbis ſalutaribus, & ſi qua ſint alia, quibus apes delectentur, & quæ languentes requirant, iuxta Poëtæ conſilium:

Palmaq́, veſtibulũ, & ingẽs oleaſter obũbret,
Vt cùm prima noui ducent examina reges
Vere ſuo, ludétque fauis emiſſa iuuentus,
Vicina inuitet decedere ripa calori,
Obuiáque hoſpitiis inuitet frondibus arbos.

Aqua perẽnis apibus neceſſaria

Adſit, ſi fieri poteſt, aqua perennis, vel extructa canali, deducatur è puteo aqua: Nam ſine aqua neque mel, neque faui, nec denique pulli figurari poſſunt: vnde ſic Poëta ſubdit:

Et liquidi fontes & ſtagna virentia muſco
Adſint, & tenuis fugiens per gramina riuus.

Et mox:

In mediũ, ſeu ſtabit iners, ſeu profluit amnis,
Tranſuerſis ſalices, & grandia comice ſaxa,
Pontibus vt crebris poſſint conſiſtere, & alas
Pandere ad æſtiuum ſolem.

Plãtis quibus apes gaudeant.

In ambitu hoſpitij arbuſculæ parui incrementi, & frutices herbæque conſe-

rantur, cùm propter ſalubritatem, tum propter vtilitatem, maximè dulcis & ſuauis odoris, quales ſunt cithyſi, thymi, caſiæ, roſmarini, cunilæ, apij, violæ medicæ, ſaluiæ, thymbræ, nardi, myrrhæ, origani, ſerpilli, meliſſophylli, aſphodeli, amaraci, hyacinthi, crocij, fabæ, ſinapi, eruilij, papaueris, meliloti, roſæ, cerinthæ, & ſi ager idoneus in propinquo, quo conſeratur rapaceum, vel triticum faginum: Nam horum fruticum floribus impensè delectantur. Geniſtas circumſeri, apibus gratiſſimum eſſe, tradit Plinius. Ex arboribus gratę ſunt, pinus, ſalix, abies, amygdalus, perſicus, pyrus, & pomiferæ, quibus nulla in floribus amaritudo. Syluęſtres, terebinthus, lentiſcus, tilia, cedrus, ilex minor. Optima mella colliguntur, vt Palladius teſtatur, è thymo, ſecundo loco thymbra, ſerpillo, tertio roſmarino. Remouenda ex arboribus, taxus, cornus. Oleam procul eſſe Plinius vult. Abſit tithymalus: nam eo, ſicut & corni floribus deguſtatis alui profluuio intereunt. Adhæc veratrum, thapſiam & abſynthium, ſylueſtrem

Quibus plantis offendantur

ſtrem cucumerem vitare oportet: ſi in vicino ſint, euellantur; nam & apes perdunt, & mel vitioſum reddunt. Et quia ſamera vlmi ſemen apibus peculiariter nocet, idcirco in regionibus Italiæ, quæ his arboribus conſitæ ſunt, rarò apes frequentes durant. Aluei vel alueraria, ſeu alui (nam promiſcuè domicilia apum ſic vocantur à ſcriptoribus rei Ruſticæ) apibus conſtruenda ſunt, licet Ariſtoteles περὶ ζώων ἱστορίας ſcribat, apud Themiſcyram circa Termodontem amnẽ apes tam in terra quàm in alueis facere fauos. Conficiuntur autem aluei diuerſis modis, pro regionum locorúmque conſuetudine & opportunitate: Alij rotunda, alij quadrata, alij oblonga pedes circiter ternos, vnum lata, ſed ita, vt cùm parum compleant, ea coanguſtent, ne in loco vaſto & inani animum deſpondeãt. Aliquos ſpeculari lapide facere aluearia, vt operantes intrò ſpeculẽtur, Plinius tradit. Fictiles quoque commemorat Varro alueos, eosq; oblinendos fimo bubulo intus & exterius, ne aſperitate deterreantur. Sed deterrima è fictilibus

De alueis.

aluearia:

aluearia: quandoquidem æstate caloribus candescunt nimium, hyeme frigore rigẽt. Optima è subere aut ferula aut corticibus, quòd vim frigoris caloriſué non transmittant. Proxima, è stipula viminibus contexta opere textorio fiunt, sesquipede aut pedibus duobus in rotundum lata, ac totidem aut amplius pro frequentia examinis alta. Alicubi excauata è ligno arboris dissectæ, aut ex tabulis compactis fabricantur, quinûm senumúe pedum altitudine. Hæc quoque neque æstate feruent nimium, neque hyeme rigent. E ligneis maximè probantur ficulnea, pinea, fraxinea, atque iuglãdis, longitudine, qua diximus, & cubitali latitudine. Forinsecus autem calce aut bubuli stercoris tectorio obducenda censent; minus enim sic computrescere Florẽtinus tradit. Perforantur obliquè, quò venti leniter inspirantes, tum aranearum telas, tum alia marcescentia resiccent & refrigerent. Oportet habere semper ad manum aluearia plurima, quæ mobilia sint & commodè transferri queant. Nã immobiles aluei incommodi sunt, vel

ad

ad vendendum, vel ad transferendum, etsi Celsus probarit immobiles alueos, quòd neque igni, neque prædonibus essent obnoxij, è fimo aut lateribus cõstructi. Sunt autem aluei, vt è Celso Columella docet, collocandi in suggestu lapideo, trium pedum altitudine, totidemque crassitudine, opere tectorio leuigato, ne lacertæ aut rubetæ, serpentesque ascendant. Sicque constituenda aluearia, vt singula binis parietibus angustis contineantur, liberæque frontes vtrobique: nam & quâ prouolant, interdum patefaciendæ sunt, & multò magis à tergo: quia subinde curanda examina: si autem nulli parietes sint, sic tamẽ collocentur, vt paululũ altera ab alteris distent, ne cùm inspiciuntur ea, quæ in tractatione curantur, hærentia altera concutiant, vicinásq; apes conterant, quæ omnem motum imbecillis cereis operibus, tanquam ruinam, metuunt. Ordines tres abundè fuerit in altitudine superstructos habere, quoniam summum eorum curator parum commodè inspiciet. Ora cauearum, quæ præbent apibus vestibula, pronio-

Alueos quomodo constituere oporteat.

ra ſint quàm terga, ne influant imbres, & ſi fortè quid influxerit, ne conſiſtat, ſed effluat. Quoniam verò frigus magis quàm æſtus nocet huic generi, à tergo muniantur aduerſus Aquilonis iniuriã, & vt apes matutinũ habeant apricum egreſſum; propter quod etiã foramina, quibus exitus & introitus datur, ſint anguſtiſſima, vt ſolũ vnius apis capiant tranſitũ, partim vt quàm minimũ frigoris admittãt, partim ne ſtelliones, ſcarabei, papiliones, lucifugæ, blattæ, vt Poëta ait, & reliquæ noxiæ beſtiæ per laxiora foramina fauos populẽtur. Vtile igitur pro frequẽtia examinum, duos aut tres aditus in eodem operculo inter ſe diſtantes fieri aduerſus noxiorum animalium inſidias. PVLLAR. Agedum, quando apes primùm incipiunt operari? & quo tempore latitant? MELISS. Quoniam ſuperius de induſtria, déque diſtributione atque vocabulis operum diximus: Iam quo tempore ad opus prodire ſoleant, ſubiiciemus. Hyberno tempore, nempe à Vergiliarum occaſu, & vltra exortum, veríſque initium latent, frigore cohibitæ:

Foramina aluei ſint anguſta.

Quo tempore lateant. Operandi initium operisque ordo.

bitæ: Neque ante fabas florentes exeũt ad opera & labores, atque inde nullus, cùm per cœlum licet, perit dies. Primùm itaque fauos constituunt, ceram, hoc est, domos cellásque fingunt, & tantum cerarum confingunt, quantum se explere putant, deinde sobolem, postea mella. Ceram è floribus arborum satorúmque, Melliginem è lachrymis arborum, quę gluten pariunt, salicis, vlmi, arundinis, succo, gummi, resina. Aristoteles tradit, fauos è floribus, ceram è lachryma fingi, mella ex rore aëris, siderum ortu potissimum: omnino antè Vergiliarum exortum mel non fieri, fauos autem floribus facere, mel non ipsas facere apes, sed rorem cadentem deferre: Argumento esse, quòd non vno aut altero die cellas melle repletas reperiunt apiarij. Item autumno mel, posteaquam detractum est, non reparatur, cùm tamen illo etiam tempore flores proueniant. Hæc & plura Aristoteles: Quem secutus Plinius, mel, inquit, ex aëre, maximéque siderum exortu, & præcipuè Sirio exsplendescente sublucanis tem-

Faui. Cellæ. Mel. Soboles. Mel vndé.

poribus fieri. Itaque prima aurora folia arborum melle roſcida inueniri, ac ſi qui matutino ſub dio fuere, vnctas liquore veſtes, capillumque concretum ſentiunt: noſtrum vulgus Manna vocat, niuis inſtar in arborum foliis hærens ante ſolis exortum, ſiue ille eſt cœli ſudor, ſiue quædam ſiderum ſaliua, ſiue purgantis ſe aëris ſuccus: vtinámque talis eſſet, qualis defluit primò, ac non potius terræ halitu infectus: Et præterea è frondibus potus, & in ventriculis cõgeſtus apum (ore enim euomunt) adhæc florum ſucco corruptus, alueíſque maceratus, totiéſque mutatus, multũ de cœleſti natura amittẽs, magnam tamen cœleſtis naturæ voluptatem afferens. Mel è thymo optimum, vt antè diximus, etiam è cithyſo bonum, è fico inſuaue. Varro non ex eodem cibum & mel capere tradit. Cibi pars quoque potio, & ea his aqua liquida, vnde bibant, &, vt diximus, propinqua eſſe debet: eam puram eſſe, conuenit, quod ad mellificium bonũ vehementer prodeſt. Cumque non omnis tempeſtas patitur exire longius.

Manna.

Mel è thymo optimum.

Cibus apum.

gius, præparandus cibus, ne tum solo melle cogantur viuere, aut relinquere exinanitos alueos. Alij aquam mulsam in vasculis proponunt, lanam purpuream addentes, per quam sugant, ne potu nimio impleantur, aut ne incidant in aquam: Alij ficum aridam, vel contusam, vel aqua madefactam, vel defrutum, vel vuam passam, cùm pinsuerint, affundunt sapa, atque eo factas offas apponunt, idque tempestate & hyeme, cùm procedere non possunt ad pabulum. Porrò cùm assiduam curam desiderant apes, & semper aluearia circumeunda sint, tum verò diligentissimam, cùm exundant nouis fœtibus, qui nisi protinus curatoris diligentia excipiantur, effugiunt. Talis enim apum natura, vt quæque plebs generetur cum regibus, qui vbi euolandi vires adepti, consortia & imperia dedignantur vetustiorum. Id quod fieri solet, cùm adnatæ prospere multæ ac veteres emittere progeniem volunt in coloniam: itaque nouos duces cum iuuentute processuros duo signa præcedere solent, primum quòd vno aut

Apum hyberna pabula.

Apum fugæ ratio & signa.

altero die, maximè veſperi, in veſtibulo conſiſtunt glomeratæ & egreſſu ſuo ſedis propriæ deſiderium oſtendunt, eáque velut patria contentæ ſunt, ſi à curatore protinus aſſignetur. Sin autem deſit cuſtos, velut iniuria repulſa, peregrinam regionem petũt. Quod ne fiat, Columella præcipit, vernis temporibus obſeruandos alueos in octauam aut meridianam diei horam, poſt quam non temerè ſe noua proripiunt agmina, eorumque egreſſus regreſſuſque diligenter notandos. Alterum ſignum, quòd euolaturæ aut iam etiam euolantes conſonant vehementer murmure facto, perinde ac milites caſtra mouentes, quæ cum primo exierunt, in conſpectu volitant, reliquas expectantes, dum conueniant. Nonnunquam etiam vernacula examina patriæ pertęſa eruptionem moliuntur, quod ſignificatur, cùm ſic euadunt, vt nulla intrò reuolet, ſed ſe confeſtim leuet ſublimius, tũ crepitaculis æreis, aut teſtarum vulgò iacentium ſonitu, aut plauſu terreatur fugiens iuuentus. Ea autem cùm vel pauida repetierit al-

Fugæ futuræ indicia.

Fuga quibus continétur.

ueum

ueum maternum, & in eius aditu glomerata pependerit, aut ad proximos arborum frondes se contulerit, protinus custos nouum loculamentum in hoc paratum perlitúmque herbis huic insecto gratis, aut mellis respersum guttis, admoueat atque recondat, eoq; loco relinquat, dum adue sperascat, deinde diluculo reponat in ordinem reliquorum alueorum. Oportet, vt antè diximus, alueos nouos in hunc vsum præparatos habere abundè in promptu. Et si arbusculæ in propinquo desint, arborum ramus defigendus, in quem se conferant considentes, eumq; oblinere oportet apiastro aut erithace ac similibus illecebris, vt, vbi huc aduolarint & consederint, alueo apposito, fumo leui, circumeundo eas in nouam coloniam deducas. Citius in nouum alueum se recipiunt, quàm in veterem; etiamsi proximum posueris veterem, vnde exierint, tamen nouo magis delectantur. Quædam solent, cùm subitò euaserint, sine cunctatione se proripere, poteritq; apiarius fugam prænoscere, vespertinis temporibus aurem sin-

Rami ad-egendi.

Alueis nouis delectantur apes.

Subitaneæ fugæ indicia & remedia.

gulis alueis admouendo: Siquidem ante triduum quàm eruptionem facient, velut militaria signa, vt diximus, mouentium tumultus & murmur exauditur, quod Poëta notauit:

Corda licet vulgi præsciscere. namq; morãtes
Martius ille æris rauci canor increpat, & vox
Auditur fractos sonitus imitata tubarum.

Itaque maximè obseruari debent, quæ istuc faciunt, siue ad pugnam eruperint, siue fugæ causa se proripuerint, præstò sit custos. Pugna quidem vel vnius inter se dissidentis, vel duorũ examinum ad prælium accinctorum facilè compescitur:

Pulueris exigui iactu compressa quiescit.

Aut mulso, passóve, aut alio quouis liquore respersо, videlicet familiari dulcedine sæuientium iras mitigante.

Reges plures in vno examine.

Eadem & reges dissidentes conciliant. Nam cùm sint sępe vnius populi plures duces, & quasi procerũ seditione plebs in partes deducitur, quod frequentius ne fiat, prohibendum, quoniam intestino bello gentes consumuntur. Quare si sæpius dimicantes notaueris, duces seditionum necare oportet, & dimican-

micantium prælia prædictis remediis sedare. Ac deinde cum agmen glomeratum in proximo frondentis arboris ramo consederit, animaduertendum, an totum examen in speciem vnius vuę dependeat; id signum erit aut regem vnum inesse, aut certè plures reconciliatos, quos sic patieris, dum in suum reuolent domicilium. Sin duobus aut pluribus, velut vberibus, diductum examen fuerit, indicium est, plures duces & dissidentes esse, atque in iis partibus, vbi maximè glomerari videris apes, requirendi duces erunt. Itaq; succo melissophylli vel apiastri manu illita, ne ad tactum diffugiant, leniter inferes digitos, & diductas apes scrutaberis, donec auctorem pugnæ, quem elidere oportet, reperias. Quæ sit regis forma, paulò antè dictum, nempe oblonga magis quàm ceterarum, minus amplis pinnis, pulchri coloris & nitidi, leuisque ac sine pilo atq; spiculo. Quidam etiam hirsuti & infusci, qui damnantur, & necandi sunt; *Melior sine regnet in aula:* qui tamen & ipse spoliandus est alis, vbi sæpius cum suo exami-

Conglomeratæ pendentes signũ concordię

Reges vbi requirẽdi.

Regis forma.

Remediũ fugæ.

ne conetur fugere: Sic enim quasi compede retinebitur, detractis alis, qui fugæ destitutus præsidio, fines regni non audet excedere; propter quod nec ceteris ditionis suæ apibus permittit longius euagari. Didymus tradit, apes non fugere, si vituli recens nati stercus loculorum osculis obleueris: Idem præstare sylvestris & satiuæ oleę folia simul trita, aluearibus ad vesperam illita, aut si aqua mulsa parietes & aluearia obleueris. Cùm autem vetus alueare numero apum destituitur, atque frequentia, alio examine supplenda est: primo vere, cùm in eo vase nata est pullities, nouus rex eliditur, vt multitudo citra discordiam cum parẽtibus conuersetur, vt mox dicetur, vbi de paucitate resarcienda disputabitur. Vere transacto, sequitur mellis vindemia, propter quam totius anni labor exercetur. Eius maturitatem intelligi Columella tradit, cùm animaduertimus fucos ab apibus expelli ac fugari. Nam *Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent*. Id genus serotini fœtus & imperfecta apis, sed simillimum api, nisi quòd amplioris

Regi senescenti nouus substituitur.

Castratio vel vindemia apũ.

Fucus.

plioris incrementi ſine induſtria fauis aſſidet, neque alimenta congerens, & ab apibus congeſta conſumens. Verùm ad procreationem ſobolis conferre fucos, quòd ſeminibus inſideant, quibus apes figurantur: in eum vſum admiſſi, excluſis pullis, expelluntur. Varro eximendorum fauorum tempus primum Vergiliarum exortu, ſecundum æſtate, tertium Vergiliarum occaſu definit. Signum ſumi vult, cùm plenos aluos habeant, cumque illos geminauerint, Ex apibus autem coniecturam faciunt, ſi intus bombum faciant, & cùm introëunt ac foras trepidant, & ſi opercula alui, cùm remota ſint fauorum foramina, obducta vidētur membranis mellis Didymus optimum tempus prioris vindemiæ Pleiadum exortum, idem Maij initium indicat, ſecundum ineunte autumno, tertium Pleiadibus occidentibus, nēpe circa Octobrem menſem, non tamen definitis ſemper diebus, ſed iuxta fauorum perfectionem. Quod ſi ante perfectos fauos mel eximatur, ægrè ferunt & ceſſant præ ſiti. Dies caſtrandi ma-

Fauorum eximēdorum tempus.

Castrandi tempus diei.

matutinus occupandus: neque enim conuenit medio æstu exasperatas apes lacessiri. Duobus ferramentis ad hunc vsum opus est, sesquipedali, vel paulo ampliore mensura factis, quorum alterum sit culter oblongus, ex vtraque parte acie lata, vno capite aduncum habens scalprum: alterum prima fronte planum & acutissimum, quo melius hoc faui succidantur, illo eradantur, & quicquid sordidum deciderit, retrahatur. Et vbi à posteriore parte vestibulum nullum patefactum habuerit alueare, fumum admouebimus factum galbano vel arido fimo, quę conduntur fictili vase ansato, altera parte acutiore, per quam fumus prunis accẽsis exhalet, altera parte latiore & patula, per quam afflari possit, vti hanc ollam Columella describit: Eáque olla admota sinas fumum alueare irrumpere, postea foris teneto, vt fumus foris redundet, atque sic castrato. Nostri minus operoso instrumento, nempe vetusti lintei frusto ambusto, fumum excitant, eóque nidore apes in priorem partem domicilij, & interdum extra vesti-

Ferramenta castrandarũ apũ.

Fumus vnde excitãdus.

Quibus rebus coërceatur sævitia.

veſtibulum adigunt, atque ſic fit poteſtas liberius inſpiciendi. Sunt qui maluæ ſylueſtris maſculæ ſuffitu ferocientes coërceant, atque idem ſuccus aduerſus morſus illinitur vindemiatori: item flos meliſſophylli ac lentiſci: Alij ad farinam fœnigræci toſti, ſylueſtris maluæ ſuccum affundunt cum oleo, factáque mellis ſpiſſitudine faciem & nudas corporis partes perungunt, ſorbent etiam, & in aluearia infundunt. Maximè curandum ei, qui apes ſit tractaturus, vt à Venere ſit liber & temulẽtia, nec niſi lotus accedat. Purè enim & fideliter tractari volunt, munditiem amant, fœdos odores auerſantur: adeò vt ipſæ omnem immunditiem amoliantur è medio: nullæ reperiuntur inter opera ſpurcitiæ: quin & excrementa operantium intus, ne longius recedant, vnum congeſta in locum, turbidis diebus operis otio egerunt. Oderunt furem quoque, & mulierum mẽſes, & vnguenta redolentes, aut ſalſamenta, eorumque liquamina. Adde fœtorem allij, ac ceparum acrimoniã, ceterarumque rerum ſimilium: excitantur

Apes munditiem amant, furem oderunt & immũditiem

Allio excitantur.

Allio excitantur. tantur enim ad iracundiam allio. Quare si apes nostras aliæ efferant, & furentur, allium in præsepi proponatur, & tam in alias apes quàm in homines sæuient. Iracundia maximè cohibetur interuentu eorum, qui alucaria curãt, & celerius mansuescunt, agnoscentque eos, à quibus crebrius tractantur. Si duo sunt examina, etiam duo sunt fauorum genera. Nam etiam in concordia suum quæque plebs seruat cerarum figurandarum morem: sed omnes faui semper cauearũ tectis & paululum lateribus adhærentes dependent, ita ne solum cõtingant, quoniam id præbet examinibus iter, vt supra etiam de structura operis attigimus. Cerarum autem figura talis, qualis & domicilij habitus; nam & quadrata & rotunda spatia, nec minus longa, suã speciem, veluti formæ quædam, fauis præbent, ideóque non semper eiusdem figuræ reperiuntur faui. Proditum est à Plinio, fauos in Germania visos octo pedum longitudine. Sed qualescunque sint, non omnes eximantur: est enim in fauis eximendis necessaria dispensatio.

Iracundia quibus cohibeatur.

Fauorum figuratio.

Cerarum figura.

Messes duæ apũ.

Apud

Apud nos priore messe non nisi cellas inanes rescindunt scalpro vsque ad fauos, in quibus mella, cauentq; ne ea lædant, idque vere: posteriore messe, nempe autumnali vindemia, mellitos fauos eo modo, quo diximus, tractant, veteres apes cadis condunt, nouę apes semper seruantur ferè. Priore messe, dum adhuc rura pastionibus abūdant, quinta pars fauorum, posteriore mellatione, cùm iam metuitur hyems, tertia relinquenda est. Neq; hic tamen modus omnibus regionibus communis; quoniam pro multitudine florum & vbertate pabuli apibus consulendum est: Dionysius Thaseus decimam partem relinquendam æstiua mellatione existimauit, si pleni fuerint aluei; si minus, pro rata portione; si inanes, omnino nō attingi. Plinius tradit mel Anthinum, quasi vernū aut ex floribus collectū dixeris, non attingi propterea à quibusdam, vt largo alimento valida exeat soboles; alij ex nullo minus apibus relinquunt, quod magna sequatur vbertas, & herbæ tum florere incipiāt, quæ cellis præcipuam materiam suppeditent:

Mellationis modus.

Mel ἀὶ θερ.

qui

qui sunt diligentiores, duodecimam partem relinquere apibus ex hac vindemia, idque die tricesima ab educto examine, atque hanc vindemiam ferè Maio includi iubent. Eximentur autem veteres & vitiosi, relinquendi maximè integri & melle pleni faui: Posteriore messe, examina numerosiora, propter impensas sunt minuenda, & pars cum ipsis fauis condenda, quò minus per hyemem pabuli opus sit. Omnes deinde faui in vnum locum conferantur, quo mel conficere velis: linendáque diligenter sunt foramina parietum & fenestrarum, ne quid apibus peruium, quæ velut amissas opes pertinaciter vestigant, & persecutæ consumunt. Castrati deinde aluei, si qui transuersos fauos in aditu habebant, conuertendi erunt, vt alterna vice posteriores partes vestibula fiant. Sic enim proximè cum castrabuntur veteres potius faui quàm noui eximẽtur, ceræque nouabuntur, quæ tantò deteriores, quantò vetustiores. Quocunque faui sunt demessi, eodem die, dum tepent, mella conficere conuenit.

Mellationis cura.

Cera noua optima.

nit. Mel plenilunio capitur vberius, se- Mellis ratio.
rena die pinguius, vt scribit Plinius. Fa-
ui exemti tepefiant tãtùm, ne nimium
feruentes, cera cum melle transmitta-
tur; mox in saccum crassioris fili inuer- Saccus & machina ad mel exprimendum.
sáque metæ similem mittuntur, prælo-
que vel instrumento machináve in
hoc præparata, aut qualo mel expri-
mitur: sed cura habenda, vt separentur
partes cerarum, quę vel pullos habent,
vel rubras sordes: nam succo suo malo
mella corrumpunt. Vbi mel liquatum
in subrectum alueum defluxit, trans-
fertur in vasa fictilia, quæ paucis diebus
aperta sint, dum musteus fructus de-
ferueſcat, isque sæpius ligula purgan-
dus est. Nonnunquam mel vnà
cum fauis & pullitie in cupas cogitur
rudi modo, atque sic cum excremen-
tis venditur: In imo vasis mel opti-
mum. CHENOBOSC. Quibus locis &
quę mella censes prętantiora? MELISS.
Mella optima Atticæ regionis me- Mel optimum quod.
morãtur à veteribus, Hymettia & Hy-
blæa. Probari audio Sarmatica hodie.
Est initiò mel dilutum, vt aqua, primís-
que diebus feruet, vt mustum, séque

purgat : viceſimo die craſſeſcit, mox obducitur tenui membrana, qua feruoris ipſius ſpuma concreſcit. Sorbetur optimum, & minimè fronde infectum è quercus, tiliæ, harundinum foliis. Mellis tria genera memorantur, Anthinum vel vernũ, de quo dictum, prioris generis : Alterum æſtiuum & horæum, à tempeſtiuitate præcipua poſt ſolſtitium, dies pene triginta Sirio ſplendeſcente : Tertium ericæum vocant, ſylueſtre miniméque probatum, conuectum poſt primos autumni imbres, erica florente: ob id arenoſo ſimile. Mel optimum, vt Diophanes tradidit, ſpecie pellucidum & ſufflauum, tactu leue, & ſi quis trahat ipſum, diu ſibiipſi cohæreat, & ſublatum ſenſim defluat, non in tenuitatem abiens, ac lentè remoueri potens. Quod peioris notæ, id coquendum eſt. Panis intinctu corrumpitur: quare cauendum ne panis vaſibus immittatur. Fragmina fauorum, quæ in ſacco permãſerunt, retractata exprimuntur, atque id ſecundæ notæ mel defluit, ſed ſeorſim recondi-

Tria mellis genera. Anthinũ mel.

Horæum mel.

Ericæum mel.

Panis intinctu corrumpitur mel.

tur, ne optimo miſtum, id corrumpat.

Mel

Mel adulteratum cognoſcitur, ſi accendatur: nam quod adulteratum non eſt, purè ardebit, vt idem Diophanes teſtatur. Expreſſæ fauorum reliquiæ poſteaquam diligenter dulci aqua perlutæ ſunt, in vas æneum coniiciuntur, adiectáque aqua igne liquãtur. Quod vbi factum, cera per ſtramenta vel iuncos defuſa colatur, aciterum de integro coquitur, & in orbes vel alias quaſlibet formas, aqua prius adiecta, diffunditur, ceráque concreta ex aqua facilè eximitur. Plinius fauos ſcribit, antè purificari aqua, triduóque in tenebris ſiccari, & quarto die liquatos igni in nouo fictili, aqua fauos regente, ac poſtea ſporta colari: rurſúmque in eadem olla coqui ceram cum eadem aqua, excipique aqua frigida, vaſis melle circumlitis. Candidiſſimam fieri, poſt inſolationem etiamnum recoctã, nigreſcere, addito chartarum cinere, anchuſa admixta rubere, varióſque in colores pigmentis trahi conſtat. Punicam & poſt Ponticam Creticam maximè probabant Veteres. Noſtra ætate immenſæ moles ceratum in orbes coa-

De cera facienda.

Ceræ colorandæ rationes.

ctæ è Sarmatia & Liuonia ad nos deferuntur. CHENOBOSC. Si in mellatione apes ad paucitatem redactæ sint, quo pacto reparantur? MEL. Cùm vetus alueus ad paucitatem redactus, & examina resarcienda sunt, tum verno tempore, quando noua pullities in vase nata, nouus rex eliditur, vt multitudo sine discordia cum suis parentibus conuersetur. Quod si nullam progeniem tulerint faui, duas aut tres alueorum plebes in vnum contribuere licebit, sed prius respersas dulci liquore, actum demum includere, appositóque cibo, dum conuersari consueuerint, exiguis tantùm spiramentis relictis triduo ferè clausas continere. Sunt qui seniorem potius regem tollant, sed id Columellæ non probatur. Atqui rex si senectute deficit (de ætate apum paulò inferius dicetur) & plebs ad seditionem spectet, tum ex iis alueis, qui plures duces habent, rex deligitur. Superius diximus, quo pacto concordia sarciatur, quoties veteres nouis addũtur, ne seditione consumantur, nempe eorum examinum, quæ ex alio transfe-

Paucitas apum quomodo supplea-tur.

Rex senecta defi-ciens.

feruntur domicilio, reges ſubmouendos. Poteſt autem ſine magna moleſtia iniis domiciliis, quæ aliqua peſte laborant, paucitas emendari. Nam cognita clade infrequentis aluei, conſideratiſque fauis, partem eius ceræ quæ ſemina pullorum continet, recidere oportet, in qua regia proles animatur, facilis eſt cognitio: quoniam in fine cerarum, veluti papilla vberis, apparet eminentior, & laxioris fiſtulæ, quàm ſint reliqua foramina, quibus popularis notæ pulli detinentur. Sunt qui affirment, in extremis fauis tranſuerſas fiſtulas eſſe, quæ regios pullos contineant. CHE. Quid ſi prorſus vel meſſe abſumptæ ſint, vel morbis interierint, generantúrne? an arte reparantur examina? ME. Vtroque reparantur modo, etſi generatio apum magnam apud Ariſtotelem habeat ambiguitatem, neque ipſe poſt longam diſputationem certi aliquid affirmare audet. Alibi aliorum recitat opiniones, & aliorum quidem exiſtimantium, per coitum agi, maréſque eſſe fucos, fœminas verò apes eſſe: Aliorum autem, eas pa-

Regiorum pullorum ſedes.

Generatio apum.

rere, attamen non coire, sed deportare fœturam existimantium, nec vnde portent constare: Alios è floribus cerinthi, alios è floribus arundinis, alios ex oleæ floribus: argumento esse, quòd cùm oluarum prouentus sit largior, tum plura examina gignantur, esse etiam, qui fucorum fœturam comportari putent, sed apum ortum è ducibus. Et mox paulò pòst idem, Schadones, inquit, hoc est, sobolem optimè fieri, cùm mellificatur, aggerunt suis cruribus ceram atque erythacam, melore euomunt in cellas, fœtu posito incubant, auium more. Excluſus inde vermiculus, dum paruus est, iacet in fauo obliquus, pòst sua ipsa facultate se erigit, cibumque capit, & fauo ita adhæret, vt retineri videatur. Fœtus apũ & fucorum candidus est, ex quo vermiculi fiunt, qui in apes fucósq; transeunt. Hæc & plura Aristoteles. Alibi videtur colligere è regibus generari apes, subdens, nisi hoc esset, ratione carerent, quæ finguntur in eorum imperio. Rectè enim reges intus manent immunes ab omni negotio, quasi nati ad

Schadones.

Apes incubare.

ad ſobolis procurationem: Magnitudine etiam præſtant, quaſi ad prolem procreandam corpus eorum ſit inſtitutum, fucos autem caſtigent. Non eſt veriſimile, filios parentes caſtigare, quare è fucis apes non generantur. Poſtremò apes ſine coitu generari, argumento eſt, quòd fœtus exiguus admodum in cellulis faui cernatur, cùm inſecta, quæ per coitum oriuntur, coëãt ediu, pariant breui, magnitudine ad ſpeciem vermis. Plinius Ariſtotelem ſecutus certum eſſe affirmat, apes gallinarum modo incubare. Id quòd excluſum eſt primum, vermiculum videri candidum, iacentem tranſuerſum, adhærentémque ita vt paſcere videatur. Regem ſtatim mellei coloris, vt electo flore ex omni copia factum, neque vermiculum, ſed ſtatim pennigerum. Cętera turba cùm formam capere cœpit, nymphæ vocantur, vt fuci, ſirenes, ac cephenes: Si qui alterutris capita demat, pro gratiſſimo ſunt matribus cibo. Tempore procedente, inſtillant cibos, atque incubant, tum maximè murmurantes, caloris, vt putatur, fa-

Apum incubatio & excluſio.

Nymphæ. Sirenes. Cephenes.

ciendi gratia neceſſarij excludendis pullis, donec ruptis membranis, quæ ſingulos cingunt ouorum modo, vniuerſum agmen emergat. Addit Plinius, hoc ſpectatum Romæ, alueis cornu laternæ tranſlucido factis. Fœtus intra 45. dies peragitur: fit in fauis quibuſdam, qui vocatur clerus, amaræ duritia ceræ: cùm fœtum inde non eduxere morbo aut ignauia aut infœcunditate naturali, hic eſt abortus apum. Protinus educti operãtur quadã diſciplina cum matribus, regemq; iuuenẽ æqualis turba comitatur. Reges plures inchoantur, ne deſint: poſteà ex eis ſoboles, cùm adulta eſſe cœpit, cõcordi ſuffragio teterrimos necant, & diſtrahunt agmina: nã duo eſſe genera, & diuerſa forma ſuperius declaraui. CHE. Age verò quæ ætas? MEL. Aetatem quidam ſic tradunt internoſci, quòd, quæ annum non exceſſerint, niteſcant, oleiq́ue ſimilitudinem & ſpeciem gerant; vetulæ, aſpectu & tactu horridulæ & rugis plenæ, eas tamen fingendis fauis præſtantiores. Ariſtoteles libro ſupràcitato tradit, apum vitam annorum ſex

Fœtus quo tempore peragatur.

Clerus.

Abortus apum.

Aetas apum.

sex esse, nonnullas septẽ posse cõplere: Quod si examen nouem aut decem annos durauerit, prosperè actum existimari. Alueos nunquam vltra decem annos durasse, Plinius scribit, nec vllum examen hanc ætatem posse excedere; quamuis in demortuarum locum aliæ substituantur quotannis. Nam ferè decimo ab internecione anno, gens vniuersa totius aluei consumitur. Itaque ne hoc fiat, semper propaganda, obseruandaque vere, cùm se noua profundunt examina, vt excipiantur, & domiciliorũ numerus augeatur. Quòd si apes subita tempestate aut frigore aut imbre repentino iaceant prostratæ, colligendas in vas aliquod, & reponendum in tecto, ac prono ad meridiem, quàm maximè cœlo clementi, & vas ipsum cinere facto è siculneis lignis infricandum paulò plus calido quàm tepido, ac deinde concutiendum vas leniter, vt manu non tangas, atque sic in solem prolatas incalentesque reuiuiscere, Varro docuit, cui subscribens Columella, subdit de apibus coacer-

De sobole propaganda.

Quo pacto profligatæ reuiuiscant.

uatim sub fauis repertis mortuis, eas

ſcilicet ſicco loco per hyemem ſeruatas, circa vernum æquinoctium, cùm cœli benignitas inuitat, in ſolem proferendas, ficulnóque cinere obrutas, intra paucas horas caloris halitu animari. Volentibus libet experiri: ipſe non ſum expertus. Sunt qui in totum amiſſas reparari tradunt, ventribus bubalis recentibus cum fimo obrutis: M. Varro partim ex apibus generari, partim è bubali aut iuuenci corpore putrefacto, Archelai citans Epigramma:

Quomodo amiſſæ prorſus reparentur apes.

Βόος φθιμένου πεποιήμενα τίκνα
Ἵππων μὲν σφῆκες γλύφα, μόχων ἢ μελίσσαι·
Ἵπποι μὲν σφηκῶν γλύφες, μόχοι δὲ μελισσῶν.

Nam vitulo, vel iumento exanimato ac putrefacto, coniectóque in aliquem locum, vnde putris exhalatio non poſſit euaporare, additis herbis apium naturæ congruentibus, veluti thymo, caſia, atque aliis, quibus temperetur vapor, ex his apes generari, ſicut ex equorum corpore veſpæ & crabrones. Virgilius vtrúnque modum recuperandarum apum depinxit, & priorem quidem generationis modum his verbis:

Illum

Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
Quòd nec cõcubitu indulgent, nec corpora se-
gnes
In Venerem soluunt, aut fœtus nixibus edũt:
Verùm ipsæ è foliis natos & suauibus herbis
Ore legunt, ipsæ regem, paruosq; Quirites
Sufficiunt, aulasq; & cerea regna refigunt.

Alterum verò modum: quo apes arte reparantur, idem Poëta eleganter subnectit:

Sed si quem proles subitò defecerit omnis,
Nec genus vnde nouæ stirpis reuocetur, habe-
bit,
Tẽpus, & Arcadij memorãda inuẽta magistri
Pandere, quoq; modo, cæsis iam sæpe iuuencis
Insincerus apes tulerit cruor, &c

Modum autem quo apes è iuuenco creentur, Virgilius longius repetit è veteribus nempe è Magone & Democrito. Nam domus fabricatur quadrata, circiter cubitis decem & alta & lata, feneſtris quatuor, in quoq; latere vna. Huc introductus iuuencus saginatus, obturatis omnibus meatibus, linteolis pice tinctis, à pluribus fustibus contunditur in necem, ita vt carnes simul cum ossibus comminuantur: cauendum ta-

E iuuenco quomodo apes creẽtur.

men

men ne cruentet: nam è sanguine apes generari: deinde thymo substrato, boueque supino desuper reclinato ab egredientibus domus concluditur, fenestris diligenter sic oblitis luto, ne cunde aëris sit ingressus. Tertia hebdomade domus aperienda, lumine aëréque admisso, præterquàm ea parte, qua ventus procedit vehemens. Vbi materia refrigerata, rursus, sicut prius, occludenda atque oblinenda domus, & vndecima pòst die aperta reperietur plena apibus, ex boue nihil, præter cornua & pilos & ossa. Aiunt è cerebro gigni reges, è carnibus alias apes. PVL. Equidem non existimarem, tanto dispendio apum reparationem redimendam. MEL. Idem Celsus existimauit. Nos commemoramus veterum artes, eas qui volet, poterit imitari. CHENO. Quin potius dicas nobis, an morbis infestentur, & quibus indiciis declaretur, eas rectè aut malè valere, & qua cura noxia amoliantur, quibusúe remediis morbi earum curentur. MEL. Obsequar & dicam. Sanitatis signa sunt, si viuidæ frequentésque in examine, si

Indicia bene ac malè valentium.

opus,

opus, quod faciunt, æquabile & leue: hilaritate enim & nitore sanitas æstimatur. Minus valentium signa, si horridæ, si pilosæ & puluerulentæ, nisi opificij tempus vrgeat, cùm propter laborem asperantur & marcescunt, item tristitia torpent, & si conspiciantur alię mortuarum cadauera efferre, funerantiumq; more exequias comitari, aut intra tecta silẽtio torpere. Id cùm accidit, Columel. iubet arũdineis canalibus infusos cibos offerri, maximè decocti mellis, & cũ galla vel arida rosa detriti. Galbanum etiam (vt eius odore medicentur) incendi conuenit, passoque & defruto vetere torpentes sustinere. Rege interẽpto luget plebs ignauo dolore, non cõuehit cibos, & ni subuenitur, fame moritur. PISC. Quibus morbis potissimum affliguntur? MEL. Pestilentiæ in apibus rara pernicies, neque aliud remedium, quàm vt longius aluei transferantur. Maximus earum annuus labor est initio veris, quo tithymalli flores, & quo sameram vlmi promunt. Namque sicut nouis pomis, ita his primitiuis floribus illectæ auidè vescun-

Apũ morbi & præseruatio. Tithymall Samera vlmi semen.

ſcuntur poſt hybernam inediam, nihil alioqui citra ſatietatẽ tali nocente cibo, quo cũ ſe repleuerint, profluuio alui, niſi celeriter ſuccurratur, intereunt. Soluit autem tithymalus etiam aliorum animalium ventrẽ. Vlmus autem peculiariter apum aluum citam reddit. Quare in iis regionibus, vbi eius generis arbores crebræ ſunt, apes rarò durant. Aegris autem Columella tradit rorem matinum aqua mulſa decoctum, cùm gelauerit, imbricibus infuſum dari ſolitum. Quidam vrinam vel hominis vel bubulam apponũt alueis: item grana mali punici tuſa, & vino conſperſa, vel vuæ paſſæ cum rore Siriaco, pari menſura pinſitæ, & auſtero vino inſuccatæ, dantur in fictili vaſe inferuefacta, ac deinde ligneis canalibus appoſita. Optimè facere amelli radicem, quam Virgilius deſcribit frutice luteo, flore purpureo, eius cum vetere vino decoctæ expreſſæque ſuccus datur vtiliter. Columella ex Higinio tradit, hoc modo laborantibus ſuccurrẽdum, primùm, vt omnes faui vitioſi tollantur & cibus ex integro recens, deinde

Remedia ęgritudinis apum.

de vt fumigentur: Prodeſſe etiam apibus vetuſtate corruptis examen nouum adiicere, vt ſuprà diximus. Sæpe vitio intereunt, quod φαγεδαίναν, hoc eſt, voracitatem vocant, vt cùm tantum ceræ confingant, quantum ſe explere putent, & poſteà tempeſtate oppreſſæ intereant, & reliqua paucitas non ſufficiat implendis fauis, vt vacuæ cerarum partes computreſcant, atque vitiis ſerpentibus, ipſæ quoque apes reliquæ cum melle corrumpãtur. Id ne fiat, duo examina coniungentur, qui poſſint integras adhuc ceras explere, vel ſi nõ eſt facultas examinis, ipſos fauos præſcindere oportet antè, quàm putreſcant, idq; acuto ferro, ne hebetudine ferri reliqui faui moueantur loco. Eſt & cauſa ſæpe interitus apibus nimia felicitas ſua, veluti cùm cõtinuis annis plurimi flores proueniunt, & apes magis mellificiis quàm fœtibus ſtudent, nimioque opere fatigatæ interdum pereunt, nullis relictis iuuentutis reliquiis, βλαψιγονία vocatur, cùm vel morbo, vel ignauia, aut infœcunditate fœtum non peragunt. His proderit

Phagedænæ vitiũ.

Si fœtibus non ſtudent.

Blapſigonia.

tertio

tertio quoq; die alueorum exitus præcludi, exiguis tãtùm foraminibus relictis, quibus tamen exire nequeant, atque ita domi retentæ cogantur fœtibus vacare. Plinius etiam operis commemorat morbos, cùm fauos non explent. Cleron vocant, item blapſigoniam, de qua diximus. Aliquando & ipſæ contrahunt mortis ſibi cauſas, cùm ſenſere eximi mella, auidius deuorantes: Nocent & ſua ipſis mella, illitæque ab aduerſa parte moriuntur. Oleo quoque non apes tantùm, ſed omnia inſecta exanimantur. Odere fœdos odores, propterea vnguenta redolentes infeſtant: Impugnant eas veſpæ & crabrones, & è culicum genere, qui vocantur muliones, populantur hirundines, picus Martius lingua prælonga in alueum inſerta mel elambit, & quædam aliæ aues noxiæ ſunt, vt ſuperius diximus. Rubetæ quoque adrepentes foribus, opertas ſufflant, ab hoc ſpatio prouolantes confeſtim abripiũtur. Nec ſentire ictus apum ranæ traduntur. Obſunt & oues apibus, difficilè ſe à lanis earum explicantibus. In

Operis morbi.

Cleros.

Quæ nocent apibus.

Muliones.

vaſtis

vastis Sarmatiæ syluis in cauernis abietum sedes habent: huc vrsi mellis cupiditate in subrectum felium more ascendunt domicilia inuadentes. Aduersus hoc apiarij malleos ingentes grauíque pondere suspendunt ante apum vestibula, vrsus malleum amoturus, quo maiore impetu malleum repellit, hoc vehementius in reiicientem recidit, eóque remedio tuèntur apes. Cancrorum odore, si quis iuxta coquat, exanimantur. Inimica est echo resultanti sono, qui pauidas pulsat alterno ictu: inimica & nebula. Aranei quoque hostiles, cum prævaluere, enecant alueos, & filis quacunque incesserint alarum lanugines obtexunt. Papilio etiam ignauus luminibus accensis aduolans pestifer, non vno modo, vt antè quoque dictum: Nam & ceras erodit, & relinquit excrementa, quibus teredines gignuntur. Nascuntur & in ligno teredines, quæ ceras præcipuè appetunt. Innascitur & tinea, vulgus Lupum appellat, maximè si vel regem amittant, vel parum mundè curentur. His igitur

Vrsi quomodo arceantur à melle.

Cancrorum odor.

Echo.

vel præuertendis vel amoliendis inuigilabit diligens apium cuſtos, vt herbæ ac frutices propinquæ quibus offenduntur, euellantur & extirpentur, animalia inimica procul arceantur. Eæ verò res, quibus delectantur & conſeruantur, adhibendæ: Siquidem per totum annum apiario ſuis quibuſque temporibus labor. Nam ab æquinoctio verno apertis alueis curandæ, vt omnia purgamenta, quæ ſunt hyberno tempore congeſta, eximantur: & vt araneis, qui fauos corrumpunt, detractis, fumus immittatur factus è fimo bubulo, aut linteo aliáve re ad id idonea, vt ſuprà de caſtratione dictum. Fumus enim, quaſi cognatione quadam generis, cum primis apibus eſt vtilis. Et licet moleſtum ſit examinibus, ſaluberrimum tamen eſſe conſtat. Vermiculi quoque qui tineæ vocantur, & papiliones, necandi, quæ peſtes fauis plerunque adhærentes decidunt, ſi fimo medullam bubulam miſceas, & his incenſis nidorem admoueas, atque hac cura examina firmabũtur, & fortius operibus inſeruient: eáque purgatio à Cal. Apri-

Cura apibus neceſſaria per totum annum.

Verno tẽpore purgandæ alueariæ. Fumi vtilitas.

Apiaria curanda.

Aprilibus ad autumni tempus frequẽtetur. Curator autem cauebit à temulentia rebuſque Venereis, atque ab immundis ac redolentibus rebus: purè enim & fideliter tractari volunt, vt ſæpius dictum. Duodequinquageſimo die ab æquinoctio verno incipiunt examina augeri, & iiſdem diebus aliquando pereunt pleræque, quæ paucas & ægras habent apes, Circa idem tempus & progenerantur in extremis partibus fauorum amplioris magnitudinis fœtus, quàm ſint cæterarum, eoſque nonnulli putant eſſe reges, alij œſtros appellant, ex eo quòd examina exagitent, atque ideo necandos cenſent. Ab exortu Vergiliarum, hoc eſt, à v. Id. Maias ad ſolſtitium, aluei examinantur, quo tempore accuratius cuſtodiẽdæ, ne nouæ ſoboles diffugiant. Deinde à ſolſtitio ad Caniculæ exortum, qui ferè dies 30. ſunt, vt Columella teſtatur, faui pariter & frumenta demetuntur. Quo modo faui caſtrentur, ſuperius commemoratum. Verùm hoc tẽpore, & vſq; in autumni æquinoctiũ decimo quoque die aluearia aperien-

Maio examina augeri.

Oeſtri.

Examinũ di tẽpus.

Solſtitii tempore meſſis fauorum & frumenti.

da ſunt & fumiganda. Suffitas deinde atq; æſtuantes apes refrigerare oportet, cõſperſis vacuis partibus alueorũ, & q̃ recentiſſimi rigoris, aqua infuſa. Deinde ſi quid ablui non poterit, pinnis alicuius robuſtioris alitis, quæ rigorem habet, emundetur. Prætereà vt tineæ, ſi apparuerint, euerrãtur, papilionesque enecentur, qui plerunque inter alueos morãtes, apibus exitio ſunt: nam & ceras erodunt & ſtercore ſuo vermes progenerant, quas alueorum tineas appellant: Has, vt Columella prodidit, florentibus maluis, cùm earũ eſt maxima multitudo, hac ratione intercipiemus: vas æneum pręparandum miliario ſimile, quod Palladius interpretatur altum & anguſtum, idque veſperi inter alueos collocandum, & in fundum eius lumen accenſum mittendum; huc omnes papiliones aduolabunt, & dum circa flammulam volitant, aduruntur, quòd nec ob anguſtiã ſurſum euolare, nec ab æneis lateribus clauſi flammam ignis effugere poſſint, ac ſic à propinquo ardore conſumuntur. Inter Caniculæ & Arcturi exortum, qui

Aluearum tineæ.

Papilionum perimendorũ modus.

Caniculæ exortus.

qui sunt dies ferè quinquaginta, cauendum, ne apes intercipiantur violentia crabronum, qui ante aluearia plerunque apibus insidiantur prodeuntibus. crabrones alueis insidiantur.

Post Arcturi exortum, circa æquinoctium Libræ fauorum secunda exemptio. Ab æquinoctio ad Vergiliarum occasum diebus quadraginta, ex floribus tamaracis, myricæ, syluestribusq; frutetis apes collecta mella cibariis hyemis reponunt: quibus nihil omnino est detrahendum, ne sæpius iniuria cõtristatę ac spoliatæ profugiãt. Ab occasu Vergiliarum (qui est circa initiũ Nouembris, hyemis initium, si Plinio credimus) per brumam recondito melle vtuntur examina, & eo per hyemem sustinentur. Hoc igitur tempore aluearia aperire & repurgare, quidquid intus est, diligentiusque curare oportet. Nam hybernis temporibus non conuenit mouere aut aperire aluearia: proinde dum adhuc autumni reliquiis cœlum temperatius, apricissimo die purgatis domiciliis opercula intus vsque ad fauos admouenda sunt, omni vacua parte sedis excluſa, quo fa-

Arcturi ortus.

Fauorum secunda exéptio.

Vergiliarum occasus.

Apiaria hyeme nõ sunt mouenda.

cilius anguſtiæ caucarum per hyemem concaleſcant, idque ſemper faciendum eſt etiam in iis alueis, qui paucitate plebis infrequentes ſunt. Quidquid etiam rimarum eſt aut foraminum, luto fimóque bubulo miſtis illinendum extrinſecus, ſolo aditu, quo comeent, relicto. Muniendæ quoque aduerſus frigora & tempeſtates congeſtu culmorum & frondium. Sunt qui occiſas auiculas exenteratas alueis includant, quæ per brumam plumis ſuis deliteſcentibus apibus præbeant teporem: quibus, etiamſi alimenta deficiant, paſcantur commodè eſurientes: deprehenſumque, aliquando eas ſic abſumpſiſſe, vt præter oſſa nihil reliqui eſſet: Attamen quandiu faui ſufficiunt, illibatas auium carnes relinquunt. Præſtat autem, quod ſuperius de cibis apum diximus, ipſis in canaliculis apponere, quibus fame laborantes ſuſtineantur. Poſt confectam brumam diebus ferè quadraginta, quidquid eſt repoſiti mellis, conſumunt, niſi liberalius à curatore relictum ſit. Sæpe etiam vacuatis ceris ieiunæ vſque ad

Apum per hyemẽ cura & pabulum.

Auiculæ exenteratæ alueis incluſis.

Idus

Idus Februarias fauis accubãtes torpore & quiete ſua ſpiritum conſeruaſſe compertum: Quem tamen ne amittant, ſi longior fames inceſſerit, conuenit per aditum veſtibuli ſiphonibus aut fiſtulis dulcia liquamina immittere, & ita penuriam temporum ſuſtinere tantiſper, dum hirundinis aduentus commodiores polliceatur tẽpeſtates. Poſt quod tempus, cùm diei permittit hilaritas, procedere incipiunt in paſcua. Nam ab æquinoctio citra cunctationem vagantur, & ad fœtum idoneos decerpunt atque comportant flores. Porrò quia paucis locis ea felicitas, vt & æſtiua & hyberna præbeant pabula, proinde, quibus locis poſt veris tempus (quo fabæ, rapacei, ſalicis, aliarúmve & fruticum & herbarum flores ſuppeditantur paſſim) flores deficiunt, tum à quibuſdam deferuntur (idque noctu, vt ſupra de transferendo dictũ) in ea loca, vbi ſerotinis floribus, veluti thymi, origani, thymbræq;, benignius & vberius alantur. Et ſicut olim ex Achaiæ regionibus in Atticas paſtiones tranſferri conſueuiſſe apes ſcribit

De transferendis apibus pabuligratia.

Columella, aliunde aliò: ita noſtris locis, vbi verni flores abſumpti, ad æſtiuos trifolij & ſimilium, atque poſt hos circa autumnum, deferimus apes in ea loca, vbi tamaricis & ericæ floribus paſcantur ſerotinis. Nimis fortè diu vos detineo in re tam minuta:

In tenui labor, at tenuis non gloria, ſi quem
Numina læua ſinũt, auditq; vocatus Apollo,

ait Poëta. Sed iam vela nimium fortaſſe laxata contrahamus.

Finis Lib. IV.

THEREVTICES,

hoc est,

DE VENATIONE, AVCVPIO, ATQVE PISCATIONE COMPENDIVM, IN VSVM heroum & patrum familias ruri agentium concinnatum.

ESTsi venandi ſtudium Agricolæ non conuenire ſcio, neque ex vſu villici eſſe, vt neglectis agris paſtionibuſque villaticis, ad feras indagandas animum adiiciat, aut neglecto quæſtu, cui ille totus vacare debet, voluptatem ſectetur, Actæonis more, qui neglecta re familiari vſq; adeò deditus venationi fuit, vt ab vniuerſis fa- Actæonis apologus.

cultatibus exciderit, atque ideò à canibus dilaceratus fingatur, vt Palæphatus scribit: Attamen heroicis viris, qui rur prætoria & prædia in hoc idonea, atque his syluas nemoraque & viuaria coniuncta habẽt, huic exercitio locum dare, non tam quæstus, quàm animi & lautitiarum causa, non admodum improbandum est, minimeque absurdum habetur: Vti nihil quoque vetat, villicũ noxias bestias persequi, quales sunt lupi, vrsi, vulpes, feles sylvestres, viuerras, accipitres, & alias pecori & auiario domestico insidiantes. Quare his animalibus laqueos tendere, vel ea quibuscũq; artibus intercipere, non modò ex re rustica existimãdum, verùm etiam necessarium comperitur.

Dialogi-xx.

Forte in venatu cum Principe conuenerant Elaphorrhous, Philotherus, Ornitheuta, Lagus, Halieus: cumque ob æstum in scenam vmbrosam se recepissent, ELAPHORRHOVS: Heus tu, inquit, Philothere, ecquid te per dumeta frutetáque immoderato cursu fatigas? quin potius ades, atque in hoc topiario frondoso acquiescis: Hîc

ad

ad retia ſedebimus: ſunt hic Philotherus, Lagus, Ornitheuta, & Halieus, ſuauiſſimi congerrones. PHILO. Exercitium hoc reperio vehementer valetudini conſeruandæ conuenire. ELAPHORRHOVS. Rectè quidem: at ſicut moderatum conducit, ita immoderatum vires exhaurit eneruatque. Notum eſt illud veterum: σιτία, ποτὰ, ὕπνοι, πόνοι, παίπαλα μέτρια. Animus quidem agitatione motuque corporis moderato excitatur; atque huc ſyluæ, & ſolitudo, ipſumque ſilentium, quod venationi datur, magna cogitationum incitamenta præbent, vt non modo Dianam, verùm etiam Mineruã hîc inerrare credamus. Sic Plinius ſecundus ille Nouiocomenſis ad retia ſedens, ſtylum & pugillares habere conſueuit, intérque venandum meditari notaréque ſolebat aliquid. Idem nos faciemus: in hoc ſilentio de ipſa venatione differamus quieti, alióſque ſinamus feris perſequendis ſe fatigare. PHILOTHERVS. Placet quidem, ſi tu de hoc ſtudio è philoſophico tuo penu nobis aliquid depromere non grauaris.

Ipſe

Ipſe auſpicabor, vos alios velut in campum prouocaturus. ORNITHEVTA. Rectè. Tu igitur exordire, nos tibi ſuccenturiabimus. PHILO. Venatus ſtudium neque recens, neque ocioſarum voluptatum, ſed vetuſtiſſimum eſt, fortiſſimorúmque hominum exercitamentum. Et quanquam Euſebius primùm apud Phœnices venandi piſcandíque vſum repertum tradit, è ſacra tamen Bibliorum hiſtoria conſtat, Nimroth, & Eſau venationis exercitio deditos fuiſſe. Et cum Deus feras & beſtias omnes dominio hominis ſubiecerit, eæque à lapſu primi parentis, vt Chryſoſtomus teſtatur, homines fugiant, humana ſolertia, quę nihil intentatum reliquit, omne genus animantium, quod terra, aqua atque aëre viuit, arte & induſtria perſequi, & captare non deſtitit. Beſtiis autem feris domandis & noxiis interimendis tollendíſque, Theſea & Herculem magnam gloriam reportaſſe, in confeſſo eſt. Xenophon in eo libro, quem χειρηγετικῶν inſcripſit, tradit, veteres heroas apud Chironem ab ineunte ætate venationibus

Venationis ſtudiũ vetus & laudatum.

Theſeus. Hercules.

nibus operam dare consueuisse, multáque honesta didicisse : & apud eum venationis bonarúmque artium discipulos fuisse Aesculapium, Nestorem, Thesea, Palamedem, Vlyssem, Diomedem, Castorem & Pollucem, Achillem, Aeneam: horum exemplo censens venationis disciplinam nobilibus & heroici generis iuuenibus haudquaquam negligendam, quibus id per corporis robur & ætatem liceret: Siquidem hoc exercitio rebus gerendis strenues euadere docerique simul καλῶς νοεῖν καὶ λέγειν & πράπειν, vt Xenophontis sententia & verbis vtar. Atque hoc auocamẽto primùm à crapula, desidia, ignauóque otio, quod vitiis turpitudinibúsque sæpe occasionẽ præbet, adduci: Deinde corpus exercitia hęc salubrius & sartum tectum præstare: Postremò heroici adolescentes ad militiam & res bellicas, isto velut tyrocinio, exercentur: quandoquidem non desunt, qui bellicæ artis partẽ esse venationem contendant. Nam sicut militem oportet sæpe humi quiescere, frigus, æstum, sitim atque inediam perpeti,

peti:idem huic exercitio vacanti vſu venit, eúmque oportet per deuia, & montes aſperos, per ſyluas & dumeta feras fugientes perſequi, neque imbribus neque niuibus, aut ſomno vinci, ſub dio ſæpe noctem agere, teneræ cõiugis immemorem, vt Poëta canit. Neque minus ſtrenuum exiſtimandum, exacerbatum aprum, ceruum, vrſum, leonem ac Pardalim inuadere, quàm armatum hoſtem operiri & excipere. Adde quòd conſuetudo venandi, locorum reddit peritos, & ad tranſmittendum itinerum difficultates audentiores tolerantioréſque. Quare venandi laboribus exercitatos Imperatores ac duces rerum bellicarum optimos euadere colligimus. Vnde & Perſarum legibus, & inſtituto Lycurgi, pueri venandi exercitiis erudiebantur, eámque exercitationem gymnaſticis anteponebant. Cyrum ſeniorem conſtat venationis prætextu bellum maximum confeciſſe, eumq; hoc velut rei militaris rudimento maximè in adoleſcẽtia fuiſſe exercitatũ, iuniorẽ quoq; Cyrum iam inde à pubertate ad venatio-

tionem animum adiecisse, in qua pericula non pauca solus fortissimè obierit, adeò vt vrsum in se impetum facientẽ, non extimuerit, sed congressus cum eo, etiamsi ab aliis abstractus vulneratúsque, beluam tamen peremerit. ELAPHORRHOVS. Interim venationi sic vacandum, ne vocationes functioneſq; necessariæ intermittantur, quod præposterè faciunt principes aliqui, & nobiles, quos insanabile venandi tenet cacoëthes, vt Satyrici verbo vtar. Quare haud scio, an nostro tempore principes ad venandi studium incitandi, qui alioqui sua spõte huc satis sunt propensi, ne velut ἵππον εἰς πεδίον, principes atque eorum liberi ad venandi immoderata exercitia prouocari videantur. Noui aliquos principes non profanos solùm, verùm etiam ecclesiasticos, qui ante demandatam administrandi prouinciam prorsus à venatione fuerunt alieni, at mox vbi principatui admoti fuerunt, remis velísque, ac citra vllum modum aut intermissionẽ huc ferebantur, nihil aliud quã feras & canes in ore habentes. Ferunt Mithridatem Mithridates.

tem venandi ſtudio adeò intentum fuiſſe, vt ſeptẽ annis neq; ruris, neq; vrbis tecto vſus fuerit. Sed de his ſatis: ad ipſius venationis artẽ & fũctionẽ perge.

PHILOTHERVS. Recte ſanè iſta dicuntur: & reuera venationi ſic vacandum, ne munera publica intermittantur, neúe, quod principibus aut proceribus voluptati, id proximo fraudi ſit & damnoſum. Proinde venatoriæ leges ſunt, ne vel blaſphemiæ, vel obſcœna committantur, nec denique fructus lædantur. Nempe eo tempore, quo fruges arua tegunt, inducias feræ habere debent, præſertim lepores in his latitantes, immunitatem ſibi vendicant. Vt autem ad rem veniam: Venatio trifariam diſtinguitur ab Oppiano, quòd triplex ferarum genus in hominis vſum creauerit Deus: Terreſtre, Aquaticum, & Aërium. Ac primum quidem circa beſtiarum ferarumq; terreſtrium venatum verſatur,

Venatoriæ leges.

Venatio, huius genera.

Circa ſaltus nemoroſaq; teſqua,
Et ſyluas, vaſtáſque feras indagine claudit.

Ea autem, quæ canibus retibusque atque aliis inſidiis venatio fit, à Græcis κυνηγετικὴ

χωρηγετικὴ dicitur. Secundum genus Aquaticum, & ἁλιευτικὴ vocatur, capiendorum piſcium eorumq; animantium, quæ mari fluminibusq; ac ſtagnis viuũt, diſciplina. Poſtremum venandi genus aërium, quo aues & volatilia captantur, ἰξευτικὴ vel ὀρνιθικὴ. Quod autem à noſtris aucupium accipitrarium vocatur, veteribus ignotum fuit. Antequam ad ſingulas partes deſcendamus, commemoranda ſunt quædam omnibus generibus venationum communia. Sunt enim tria, quibus tam terreſtria quàm aquatica & volucria capiantur: Dolus, Vis, Veneficia. Ad dolum pertinent retia, laquei, naſſæ. Vis infertur arcubus, ſclopis, bombardis, venabulis, fuſcinis. Veneficiis rarò feræ, aues & piſces frequentius capi conſueuere. Sunt autem veneficia, aconitum, tithymalli, ranunculi. Ea omnia cibo admiſta necant & aues & feras atque piſces. Quædam etiam non tam necant, quàm ad tempus ſenſibus deſtituunt, vt capi poſſint, de quibus ſuo loco plura. Retia pro venandorum animantium ratione varia ſunt. Nam alia animalia robore ma-

Communia tribus venationum generibus.

De retibus.

gis valent, alia minus, alia velocitate. Quare alia leonum, alia luporum, ceruorum, & aprorum, eáque crassioribus robustioribúsque & laxioribus filis cõtexta esse oportet: Ceruorum, etiam sublimiora, ne ferę transiliant: Capreolorum & leporum ferè eadem, nisi quòd capreolorum requirantur paulò robustiora lina. Retia autem & cassęs, quibus feræ capiuntur, δίκτυα Græci appellant: Quanquam Iul. Pollux δίκλυα appellat omnia retia, quæ plicantur, quæ Pherecrates ἕρκη quasi septa vocat. Alij δίκλυα appellant, quæ in planis locis & patentibus: ἐνόδια quæ in viis vsurpantur. Plagæ siue ἄρκυες, minora retia. Tametsi sunt, qui contendant, plagas partes esse ἄρκυος, & dici funes, quibus retia tenduntur, & quadratum illud spatium, quatuor nodis in retibus distinctum, vitreis fenestris simile, per quod feræ transituræ caput inserant, atque implicentur. Alij plagam βρόχον esse arbitrantur. Est & retis pars circuitus περιδρόμος, retis funiculus, vtriusque inferioris & superioris extremitates cingens, & quo retia cõtrahuntur ac dissoluuntur, quos eno-

des esse Xenophon tradit, vt liberè transire per vertebras queant. Sardones fastigium retis & peridromum perticis erectis sustinẽt. Nam retia, cassies atq; plagæ, varis & palis in summitate furcatis terraq; fixis, eriguntur fulciunturq;, quæ σκέλικες & χαλιδώματα Græcis vocantur. Sistuntur autem hi pali, ad se mutuo inclinati & leniter, vt ad contactum feræ mox concidant, eamq; implicent, atque ea statio vocatur à Græcis ἀρκυστάσιον. Vtuntur hoc tempore in ceruorum venatione carbaseis velis, quæ & ipsa palis furcatis extenta fulciuntur. Porrò retia & plagæ, quibus aues capiuntur, exilibus linis sunt contexta: sicut & verricula, piscibus fluuiatilibus capiendis destinata. Nam ad marinas beluas robustioribus opus, vt pòst dicetur. Retia vt conseruentur durabilia, coquantur aut macerentur cortice querneo molito contusóue. Atque hęc quasi proœmia & communia quædam de venatione dicta sint. Iam ad primum genus, nempe terrestrium animalium, procedemus, Hîc præter retia iam dicta, & ho-

Ad terrestrem venationem necessaria.

Venatoris condicio

hominibus venatoribus & canibus opus, adhæc venabulis, ferro breui, & cornu, cultuq; expedito. Principiò venatorem Xenophon postulat ætate iuuenili, nempe annorum viginti, statura agilem, & membris robustum, laboris patientem, hilarem, minimeque tædiosum. Neque enim prouectioribus conuenit huic studio se mãcipare, licet senes, qui ab adolescentia venationi assueuerunt, vix abstinere poterunt, consuetudine naturam atq; ætatem vincente. Habitus sit expeditus, siue pedes siue eques feras insequaris. Strictæ magis quàm fluxæ vestes congruunt, quò sis expeditior. Maiores existimauerunt ad venationem cerui, veste viridi, ad apri, fusca & villosa vtendum. Est & cinericius color non reiiciendus, & niger. Rubrum tanquam conspicuum citius percipiunt feræ, atque ideò hoc in studio vitandum scribit Iulius Pollux. Pileus villosus caput tegat, eiusdem coloris, cuius est vestis, aut certè non conspicui. Calcei, velut cothurni, quibus humida loca vligi-

Cultus venatoris.

nosaque transire queas. Cornu vel buc-

Cornu venatorũ.

buccina à collo ſuſpendatur, quo pro ſignificationum indiciorumq; ac euentuum varietate ſignum dare liceat, vt ſiue fera caſtra mouerit, vel elapſa, vel denique inuenta captaque ſit, id ſigno dato procul diſſitis ſignificari poſſit. Aliud enim exhortatorium ſignum, aliud requiſitorium, quod celeumate venatorio fieri ſolet, aliud receptus ſignificatiuum. Cornicinia & buccinationum modos alij alios habent, pro regionum more, & ſignificationum diuerſitate. Cultro quoque venator inſtructus ſit huic ſtudio idoneo, cùm ad alios vſus obuios, tum ad ligna cædenda, ſcenis & caueis, vt vocant, conſtruendis. Adhæc venabulo vel haſta vel virga armetur, quam altera manu geſtet, altera canes ducat. Adſint vel armo circumuolutæ, vel ad zonam ſuſpenſæ chordæ, funiculi, copulas vocant, quibus vel colligentur retineanturque canes, vel ſoluantur ac religentur, quoties vſus poſtulat. Canum tria eſſe genera, aliâs dictum: Villatici οἰκου-ροι, pecuarij, & tertium venaticum. De hoc genere hîc dicendum. Sunt autem

Culter venatorius.

Haſta venatoria.

De canibus venaticis.

venatici & ipsi diuersi, & vsu & forma
Alij enim vestigatores, qui excursore
indagationi solum comparati, alij per
nicitati, alij robori seruantur, alij aqua
ticis venationibus accommodantur

Forma canum venaticorum.

Ac primum ad feras diligenter inda
gandas probantur statura mediocri
colore siue murino, seu nigro, seu ma
culoso sint, non admodum refert
albi in hoc genere non ita probantur

Color canum.

Fuliginosi & subnigri, tergo videlicet
nigro & ventre pedibusque spadicis

Canes vulpini.

gratiores plurimis, Xenophon vulpi
nos videtur appellare. Hos commen
dare solent pendulæ aures, cauda
longiusculæ, capita magna, pectus
latum, ceruix longa, oculi fulgidi,
rostrum nigrum, crura robusta,
priora posterioribus breuiora, spina
carnosa, clunibus latiusculis, ventre
inani, pedibus ac testibus rotundis, na
tura agiles alacresque, rostro valido ac
breui. Hoc enim sagacitati conuenire
putatur. Nam hi non tam ad pernici
tatem, quàm ad sagacitatem compa
rantur. Huc pertinent qui Hispanici

Canes Hispanici.

dicuntur, custodiæ hominum studiosi,
& sa-

& ſagacitate commendabiles, maximè perdicibus leporibúſque indagandis. Cæterùm in maiore ferarũ indagatione nõ ita probantur. Vagãtur enim latius plerique, neque ſic in propinquo manent, vt venatici genuini. Generoſiſſimi, qui ſanguinarij dicuntur, & numellarij: Vulneratam feram præcipua ſagacitate prodentes, ſcrutantur veſtigia, veſtigatoremq; loro cohibiti ad feræ latebras deducunt: Quod ſi fera amnem aut riuum trãſmiſerit, idipſum primùm caudæ, pòſt roſtri ſignificatione demonſtrant. Hi ſenecta iam exhauſti atque etiam debiles ac cæci, ſi deferantur, ventos ac odorem captantes, roſtro cubilia produnt ferarum. Aliud genus venaticorum, quos leporarios & emiſſarios vocant ac vertagos, hos quærimus, qui ſint corpore procero, agili & expedito, cruribus prioribus excelſioribus, capite longiuſculo, neque carnoſo ſed leui, cruribus breuibus atque erectis, oculis micantibus, pectore toroſo, cæteris expeditis membris, niſi quòd clunes latiuſculos habentes magis probantur, &

Numellarij.

Laporarij Emiſſarij Vertagi eorumq; forma.

Noruuegici. cauda longa & leui, non hirſuta. Vidimus tamẽ è Noruuegia & Inſula Thulæ adductos pernicitate non vulgari, qui & cauda & corpore toto villoſi erant. Verùm hi non ad ſagacitatem ſed ad velocitatem vſurpantur. Eius generis ſunt Britannici, ſimul & pernicitate & robore valentes, niſi quòd corpore vaſto, ceruis perſequendis magis idonei. Apris lupiſque & vrſis opprimendis, canes Anglici accommodatiores, nimirum corporis mole & mordacitate præſtantes. Apud maiores Laconici cùm primis laudati, & Albani magnitudine ac viribus præſtantiſſimi, vt qui paruas feras contemnentes, leonibus & Elephantis ſternendis appoſiti. Proditum eſt de Alexandro, quòd cùm ei Rex Albanus canem donaſſet inuſitatæ magnitudinis, eiuſque ſpecie delectatus vrſos & apros obiiceret, vbi canis eas feras contemneret, occidi iuſſit, tanquam inertem. Poſteà edoctus, ab Albano miſſo alio, qui cum leone & Elephanto commiſſus, vtrunque proſtrauit. Tradunt & Corſicam ferociſſimos gignere ca-

Britannici

Anglici.

Laconici Albani.

nes.

nes. Cæterùm de canum educatione deq; morbis & cura aliâs dictum. Nomina volunt dari monosyllaba aut breuia, leo, falco, lupus: Germani vocant Lap/ Falck/ Wolff/ Betz. Quanquam alia venaticis, alia pecorariis, & œcuris congruant. Est autem venaticorum cura accuratior habenda. Nam etsi satiari & cubilibus mollioribus requiescere postulant, attamen venatus tempore ad feras persequendas ducendos non conuenit satiari, sed impastos educi. E nobilibus procreantur generosi: neque catuli alienis matribus subiiciendi, sed matribus suis relinquendi sunt. Cùm adolescant, & lac & ea, quibus per omnem ætatem pascentur, præbenda sunt. Panis, cibus optimus, neque tamen nimium distendendi cibo, neque vicissim inedia macerandi, licet ad venationem educendos, omnino cibo non replere oporteat. Eos, qui crebrò canes ad venationem ducunt, amant, & sequuntur assiduè. Vtile fuerit canes, etiamsi nihil reportant ferarum, subinde excursibus exercere & per dumeta & aspera loca

De canum educatione.

agitare. Hoc enim exercitio alacres fiunt, pedes indurescunt, nec ocio torpent. Præstátque per iuga magis, quàm per plana ducere atque exagitare. Generosiores declarantur, si saltus æstu incũbente non deserunt. Sagaces cognoscuntur, si locis aridis, apricis, Austro spirante, feras præsentiunt: Duripedes, si non protinus, dum montes superant, pedibus fatiscunt. Canes numellam atque collare habeant affixo annulo, per quem quoties ducendi, lora & funiculi transmitti, & vbi soluendi, expeditius emitti queant. Sint autem collaria non dura neque aspera, sed molliuscula & lata, ne collum lædãt aut exulcerent; loris ansæ adduntur, quibus indagatores bini copulentur, tantisper dum ad locum venationi destinatum ventum fuerit. Excursores & emissarij funiculis per collaris annulum traiectis à venatore ducuntur aut bini, aut terni, aut etiam singuli. Hi certis locis disponuntur, quà putatur fera eiecta è cubili transitura. Vt autem in maiorum ferarum venationibus ij, qui canes emissarios tenent, late-

Collaria canum.

latebras habeant, ſcenæ conſtruuntur, quæ è ſurculis ramiſq; arborum frondoſis concinnantur topiario opere, in quibus & ij, qui canes emiſſarios loris retinent, ferarum aduentum obſeruantes latitant, eas in retia impulſuri. Fiunt hæ ſcenæ tam in ſyluis quàm in campis latis ante retia, iiſque locis, quibus feræ ſunt tranſituræ: nimirum vt ſint etiam iis, quorum gratia ſæpe venatus inſtituitur, vmbracula, veluti gynæceo heroinarum, & quibus moleſtum per dumeta vagari, vtque in viridantibus ſcenis liberum curſus proſpectum habere poſſint. In his conſtruendis cautio habenda, ne frondes ramorum inuerſæ collocentur. Ex his enim fera facilè latebras inſidiarum ſentit atque reſilit. Magno hic ſilentio opus: nam feræ arrectis auribus acerrimi ſunt auditus, & ſæpenumero fallentes, adſtant ſcenis. Canes emiſſarios emittere non oportet, neque clamorem ciere, antequàm fera ſcenam trã-ſierit ad retia tendens: Nonnunquam fera ad retia perueniens, retrocedit in occurſum perſequentium: quare armatos

matos esse oportet. HALI. Quænam tempora venationi, & indagandis feris accommodatiora existimantur? PHIL. Quando iubetis, non recusabo, quæ experientia docet, referre. Nam anni, diei, ac denique temporis inprimis ratio habenda. Primùm non conuenit venatio, si tempestas fuerit aut pluuia. Hæc enim impediunt, quò minus vestigia canes sentire possint, & pluuio tempore aures canum per dumeta & stirpes cursantium aqua implentur. Deinde anni tempus considerandum. Aestate quidem matutina maximè conuenit venatio, neque vltra meridiem producẽda, quòd sol vestigia discutit. Australis tempestas deterior, quę humiditate diffundit odores, sicut & imbres & rores. Contrà septentrionalis, si serena, contrahit & conseruat. Luna quoque halitum extenuat, præsertim plena. Et lepores ad lunam lusitantes, vestigia confundunt & incerta reddunt, maximè si vulpes transierint. Vespera alioqui verni temporis, & leporibus, retibus intercipiendis, & ceruis libidinantibus figendis, cum primis con-

Tempora venationis.

conuenit. Circa meridiem hyeme instituí potest, & quoniam sole surgente resoluitur frigus, quod & vestigia reddit minus odorata; Xenophon negat, hyemem absque niuibus vestigabilem, & Borea flante, si ningat, vestigia diutius remanere: contrà Notho spirante, citius resolui in niue. Nix quoque, si continua decidens terram operiat, ventusque vehementior niuem conuoluens, vestigia operit. Quare matutina vestigia certiora præbet, si à media nocte niuis pluuia intermittatur. Hybernæ noctes, quia prolixiores, vestigia præbent longiora. Aestate contrà fit. Ros quoque superincumbens & pruina odoratum impediunt. Ver propter anni temperiem certiorem præbet vestigatum, nisi quòd terra, vbi flores emittit, odores confundit. Aestatis feruor halitus terræ abolet, vt canes tum minus odorent, quòd tempora resolutiora sint. Autumno vestigia sunt pura: tũ enim fruges terræ sublatæ, & sylueſtria situ flaueſcunt. Hyeme igitur & ęstate vestigia plerunque recta sunt. Vere autem confusa,

Vestigiorum odoratio.

præ-

præsertim leporum, quod animal cùm alioqui sit sociale, tum hoc tempore maximè lasciuit, societate exultans huc illúcque fertur, & vestigia turbat.

Vestigiorum varietas.

Vestigia ferarum varia sunt. Nam alia sunt soleata, alia odorata, alia cubiliaria, alia curricularia. In locis glabris odor fugax & exilis est, & canum sagacitati sæpe imponit, sicut & in puluere squaloréque obsitis: cùm alioqui solis ardor in vniuersum omnem statim humorem, in quo vestigij odor hæret, absumere soleat. Contrà in locis herbidis, & vepretis odoratiora sunt vestigia, quòd non tantùm pedum, sed crurum & corporis affrictu vestigiaria semita odorata remaneat: In locis verò opacis odor minus fugere solet. Subolendis cubilibus diutius immoratur canis, quàm vestigiis. Et syluosa loca, vt diximus, magis redolent, quàm plana. Verùm quia varia est, & non eadem ferarum venandarum ratio, partiendæ érunt operæ, & singuli, veluti symbolum venatorium, adferant. Tu autem, Lage, quoniam lepus es, pulpamentum quærere opus non est, de tui nomi-

minis feris, gentilitióque nomine diſferas; alij de aliis. LAG. Recipio quidem ea conditione, vt vos de cæteris nobis ſymbolum adferatis. Lepus adeò gratioſum eſt animal, vt ſiue veſtigetur, ſiue inueniatur, ſeu currat, ſeu capiatur, ſemper delectet, idque ſui periculo. In aliis feris perſequendis capiendíſque ſæpe periculum eſt, ſolus lepus minimè nocere poteſt. Pernicitate ſuper omnes feras adeò præſtat, vt ad velocitatem naturâ factus ſit & compoſitus; ſiquidem nullo perſequente ſalit atque exultat; gradientem nullum videre contigit, ſed progrediendo quaſi volitare putatur, propter excellentem illius agilitatem. Quapropter natura etiam priores pedes poſterioribus breuiores, caudamque breuem atque impeditam conceſſit. Nam ſicuti leoni cauda ad excitandas vires adminiculo eſſe creditur, ita lepori aures, quaſi vexilla, virium & ad curſum incitamenta præbere. Fugiens eas deorſum retorquet, alterutram interdum flectens, eáque velut claua vtitur; Curſum non vnum nec re-

Leporis venatus.

rectum tenet, sed huc illucq; se versat & canes fallit; neque verò vires suas prorsus semel effundit, sed impetum sequentis obseruat, caneſq; anteuertens viribus moderatur. Quòd si canes velocitate pollere sentit, reuocatis viribus quàm maximè potest cursum intendit, dum è conspectu feratur. Cùm autem longius præcesserit, sæpe in aliquem tumulum ascendit, inq; posteriores pedes erigens se, insectantium certamen prospicit. Loca amat vbi natus & educatus. Palustres postremæ sunt velocitatis. Montani non tam veloces quàm campestres, & qui in planicie degunt lepores, & sicut facilè surſum feruntur, quòd posteriores lõgiores habeant pedes, ita deorsum difficilius decurrunt. Antè quàm subeant, vestigia turbare solent, vel si nix vestigia prodere possit, saltu confundunt.

Leporis superfœtatio & sexus mutatio. Ælian. lib. 13 cap. 22.

Animal hoc ita fœcundum, vt superfœtare putetur, & alium quidem fœtum parere, alium parturire, alium in vtero pilis vestitum, alium implumem, alium inchoato ferre partu. Fœtus suos pluribus locis dispergit, vt à rapinis

pinis tutiores sint tam venatorum quã vulpium. Traditur & sexum commutare. Procumbere solet, si frigus fuerit, in apricis, si æstus, in vmbrosis: si ver & autumnus, in temperatis locis. Circa Martium & Aprilem, iam tepescente terra, tum maximè generandi causa sociantur lepores: in terra prosciſſa & sulcorum latebris plerunque decumbere solent, & vno reperto certum est non procul alium abesse. Procumbit fœmen ilibus subiiciens, cruribus prioribus vt plurimum iunctis atque porrectis, mento anterioribus subnixo, auribus super vtroque humero demissis. Villos habet impenetrabiles, densos & molles. Palpebris clausis vigilat, apertis & inconniuentibus dormit, oculis immotis, nares dormitans crebrò motitat, vigilans minus. Pupillas habet exporrectas, palpebras præcisas, quæ pupillis tegumenta non præbent. Quapropter hebes visus est, præsertim si à fronte occurratur, altrinsecus acutior: Somno plurimum deditus, quæ res ad videndum prodesse putatur nihil. Et velocitas aciem obtundit: quoli-

bet enim oculatus intendit facilius, quàm quid ſibi prouiderit. Et cum his canum quoque terrores prouidentiam adimunt, cùm fugientem proſequuntur, quo fit, vt irruens improuidus ſæpe in retia præcipitetur. De directo rarò vincitur à canibus celeritate, ſed ex obliquo potius. Cùm terra pullulat, rura magis quàm iuga petit, vbique ſubſiſtit, vbi inueſtigatus, præterquàm ſi noctu exterritus, tum enim ſubtrepidat. Si canes præſenſerit, ſubſiſtit, & reſidens ſeipſum erigit, & canum atque hominum clamorem ſtrepitumúe captat, atque inde deflectit. Interdum etiam nullo ſtrepitu, ſolo vano metu perculſus, vltrò citróque pauidus fertur, & ſi apertis locis excuſſus, longiſſimè procurrit. In opacis non ita longè fugit. Si quid vſquam vel in aqua eminet, huc admirabundus properat, vel ſi ceſpes extet, ad hunc recumbere ſolet: longiuſculè vagatur hybernis noctibus, id quod impreſſa veſtigia declarant. In inſulis & iis locis, vbi vulpes non ſunt, frequentiores reperiuntur. Nam eorum inſidiis & agitatione tam ipſi,

ipſi, quàm catuli capiuntur. Venator leporis veſtigia captas ex agris ſupernè ſubducendo canes, & qui ad culta non fugiunt, prata, ſaltus, fluenta, lapidoſa, ſyluoſaque petunt. Vbi inuenti agitantur, nunc viam flectunt, nunc aquam tranant, nunc latebras petunt. Aliquoties cauernas ſubeunt, etiam accipitres auesq; rapaces metuentes; ab his enim quoties colles aut aperta loca tranſcurrunt, rapiuntur, præſertim minores. In curſum adacto lepore, clamorem non tollit venator, ne canes veſtigia amittant. Qui omnia loca pererrant, hi ſubterfugiorum diuerticulis plus negocij faceſſunt per compendioſa viarum, per aduerſa atque plana, minus per decliuia. Canes ſignificant leporem in propinquo eſſe, ſi caudam ſæpius motitent, & accuratius veſtigiis inhæreant, huc illucq; ſe vertentes ſubſiſtentesq;, eodem ſæpe reuerſi, iterum alio atque alio ſe flectentes, ſingula rimantur, donec tãdem quaſi ſyllogiſmo colligant, aut huc diuertiſſe aut illuc; ſi neq; hac neque illac, neceſſe igitur, quod iſtac diuerterit. Acclamationes vſurpant,

Canes ſyllogiſmo in venatu vtuntur.

Acclamationes. Io canes, εὖγε canes, bellè canes. Tandẽ vbi repertus lepus, canes vocem edere solent. Rarò antequàm aut detecta vestigia, aut à cubili expulsa fera, generosi canes vocẽ edere solent. Inde ex insidiis & per stationes, maximè autem, quà fera procurrere consueuit, canes emissarij obiiciuntur. Si capiatur, leporarius defensor alios canes repellit, captumque adseruans tuetur à dilaceratione aliorum canum tantisper, donec venatores excipiant. Nonnulli assuefacti, vt ipsi ad venatorem deferant. Defensorem mordacem esse oportet, & quem alij canes metuant. Quare cedere hunc aut obiurgare non oportet, si quando aliis cibum præripiat, eosq; mordicus repellat. Capiuntur lepores & retibus & laqueis, sed hoc illiberalius habetur. Retium vsus necessarius in syluis & frutetis, atque locis cursibus canum parum idoneis. Retia noctu magis conueniunt iis locis, vbi certa sunt cubilia, aut vbi fruges nouæ è terra primùm pullulant; eas enim maximè appetunt, solentque vesperi sole occidente prodire ad pastum; huc re-

Leporarius defensor.

Retibus capiendi leporis ratio.

tia

tia collocare ſolent, & vento ſecundo, ſi fieri poteſt. Retia palis furcatis leniter eriguntur, ita vt irrumpente fera protinus concidant. Quare neceſſe aliquem aſſidere, qui dum fera in retia illabitur, mox accurrens retineat, alioqui ſe explicans elabitur. Retibus poſitis, qui venaticos ac veſtigatores canes ducunt, dumeta locáque cubicularia leporum excutiunt; aut ſi lepus in ſegetum herbis paſcitur, inde expellitur, & ad retia adigitur. Laqueis capitur, ſi certas habet ſemitas, vel per ſepes vel per frumenta, huc laquei conſtituuntur, quos vbi tranſmiſerit, comprehenditur. Sed cauere oportet, ne ſuboleãt. Porrò cùm æſtate plurimum in ſegetibus latitent, conſueuerunt è ſegetibus ad retia compelli, parato funiculo ad latitudinem loci oblongo, cui plumæ ac tintinnabula alligata ſunt; funiculũ ab vtraque parte ſegetum venatores procedentes trahũt, quo tracto tintinnabula ſonum edunt & pennæ vibrantur; his perterritus lepus è ſegetibus in retia ad extremitatem ſegetum diſpoſita impellitur. Lepores & vulpes Indi non

Indorum venatio leporaria.

non canibus, ſed coruis & miluis, n
hoc à pullis aſſuefactis, venantur. Ea
aues ſic aſſuefaciunt : Vulpi & lepor
manſuefactis carnis fruſtum appen
dunt, atque ſic ad curſum inſtigant. In
de aues demittunt carnem ademptu
ras, ſicque inſtituuntur ad prædandum
vulpes & lepores. Vulpes ſæpe vidimu
lepores cepiſſe; nam etſi lepus vulpem
ſuperet curſu, tamen inſidiis & arte
curſu exagitat leporem fatigatque, ip
ſa interim paulatim citra fatigationem
ſequitur tantiſper, dum laſſum ac viri
bus deficientem leporem capiat. PH
Vulpium venatio. Perge de vulpium venatione adiicere
LAG. Vulpibus indagatores canes n
aſſueſcendi; nam his perſequendis ma
gis auidi leporum veſtigia deſerunt
Plerique etiam canes, vulpes non im
petũt, maximè fœmellas : ſicut nec fœ
mina canibus maſculis inimica. Quòd
ſi vulpes impeti ſe acrius ſentiat, vafr
eſt & diuerticula quærit; ſi arbor au
ſepes arbuſtúmue aſſit, hîc ſe reflectit
viarumúe amfractus quærit, quibu
curſum canum eludat : & ſi tãdem im
petu facto à canibus rapiatur, mox cau
da

da vrina imbuta, oculos impetentium aſpergit atque elabitur. Ad retia tamẽ compellitur interdum, niſi aſtutia ſua præſentiens caſſes euitet. Laqueis capitur interdum, aut arcu acie cultri affixi. Capitur plurimùm cauernis, quibus latitat & catulos fouet, ſed oportet prius omnes exitus, quos plures habet, præcludere, & deinde fumo expellere vel foſſionibus. Traditum eſt, vulpem ſi amygdalas edat, emori. Effodiendo capitur etiam Taxus, qui & ipſe cuniculis ſubterraneis cubile habet. PHIL. Quid de Cuniculis? LAG. Cuniculorũ non omnino fera natura; & in poſſeſſione ſunt, certíſque locis continentur. Horum facilis venatio: nam viuerris in cauernas, quas multifores habẽt, miſſis expelluntur, reticulisq; ante orificia poſitis excipiuntur: Aut ſi foris paſcuntur, agitati curſuque ſpecus petentes, obſtructis foraminibus, reticulo capiuntur. Gratiores ſunt catuli quã adulti. Plinius refert, fœtus ventre eiectos vel vberibus ablatos, non repurgatis interaneis, gratiſſimos eſſe in cibatu, laurices vocari. Animal mirè fœcundum,

Taxus.

De cuniculis.

Laurices.

dum, adeò vt citra marem gignere, & vtrunque ſexum ei ineſſe credatur, intra breue tempus in immenſam turbã augeri fœcunditate, adeò vt ſegetes vicinas vaſtent & arbuſcula. Balearibus inſulis famem meſſibus intuliſſe traditur, & incolas aduerſus prouẽtum eorum auxilium militare poſtulaſſe ab Auguſto. ELAPHORRHO. Ego potius viuerras & canes poſtulaſſem. LAGVS. Marcus Varro author eſt, in Hiſpania ob eorum frequentiam oppidum ſuffoſſum. Certum eſt, cuniculos effodiendo, vnde nomen habent, pleriſque locis detrimenta afferre: Lepori non multũ diſſimiles, niſi quòd colore magis cœruleo, & corpore quàm lepus, paulo minore. Procul tamen viſus cuniculus lepus eſſe iudicatur. Verùm propius ſi contuearis, diuerſa animantia facilè apparebunt. Nam & curſu & ſedibus differunt: Siquidem hi ſub terra habitantes, non progrediuntur longius à cauernis, ad quas mox ad conſpectum vel hominum vel canum ſe recipiunt, vt Polybius quoq; affirmat, eos in Lybia frequentes eſſe affirmans.

ELA-

ELAPHOR. Sed age de reliquis feris nobis aliquid edisſere. LAGVS. Capreolorum ferè eadem, quę leporum, venatio. Retibus enim plurimum capiuntur, ſed amplioribus, quàm leporariis, craſſioribuſq; filamentis, qualia è ſuperiore Germania, nempe meliore cannabe contexta, afferuntur; neque certum habent venandi tempus. Nam cũ ceruorum aprorumq; venationi certa tempora deſtinata, quibus cibo idoneæ ſint: illæ feræ toto ferè anno in deliciis habentur, atque ſemper opportuna perſequutio, niſi quòd fœtis plerunque parcere ſolent venatores. Damarum, nî fallor, venationem in Britẽniæ inſula vidiſti, cùm iſtic legatione fungereris. ELAPH. Perſæpè quidem, ſed non niſi leporariis emiſſariis intra ferarum viuaria, quæ illic crebra ſunt Principibus atque nobilibus, earum venatus cõſpexi. LAG. At tu Elaphorrhoë, de ceruorum venatu diſſeras. ELAPH. Ceruus inter cæteras feras animal generoſiſſimum, velocitate & elabendi artibus inſtructiſſimum. Eius autem venatio, vt eſt omnium iucun-

Capreoli.

Damarũ venatus.

De ceruorum venatione.

dissima & planè regia, magnorumque principum exercitio ac voluptatibus accommoda, ita operam impensasque requirit non vulgares. Et cum leporum capreolorumque captio nullis anni partibus intempestiua sit, ceruorum & aprorum venatio certa habet tempora, huic exercitio destinata. Estq; ceruorũ venatio à solstitio æstiuo, & messe tempestiua, &, quanquam antè vsurpetur aliquoties, hoc tamen tempore opportunior vtiliorque censetur, cùm iam pingues se sentientes, latebras quærunt, fatentes incommodam corporis saburram. Siquidem cerui tunc segetibus saginati, clunibusq; inprimis, ganeis appetendi. Ab æquinoctio autumnali salire incipiunt admissarij, & libidine flagrantissima ad mensem vnũ agitati, catulientes ceruarum greges sectantur, sicque libidine efferantur mares, vt & canes & homines impetere soleant. Eo tempore sagittis facilè intercipiũtur. Nam tum fœmellarum greges sectantes, rancentes boatu ad mutuam pugnam properant, seq; mutuo prouocant sub solis occasum è stabulis

Rancere ceruorum vox.

bulis prodeuntes. Vbi ex voce rancoris exaudieris, quà transeant, in dumetis aut opposita arbore latenti facilè datur accessus propior, vt iaculatori cominus pugnantes inter se ferire bõbarda vel arcu cõcedatur. Ceruæ quoque eo tempore sunt accommodæ culinis. Expleta libidine separant se, macie flaccescentes; quare ab eo tempore, totáque hyeme, cum ceruina parũ appetenda sit, venatio intermittitur. etsi interdum hyems glandibus saginam restituat & rapis. Fœminæ cum iam octonis mensibus ferunt partum, aliquando geminos circiter Martium & Aprilem pariunt, partumq; in aperto edunt, hominibus tritas semitas minus cauentes, quàm quæ secretæ & lupis ferisque opportunæ sint. Editum partum statim ad cursum exercent, ad præruptа ducunt, fugam, elabendique artem docent. Ad mensem Maium, cùm segetes incrementum accipiunt, saginari incipiunt. Sed hoc tempore ceruus cornua abiiciens, delitescere densis abstrusisque viarum latebris consueuit, tantisper dum arma resti-

Partus ceruarum.

tuan-

tuantur. Solet enim anniuersarias plerunque exuuias, quasi vernationem, veris tempore deponere, & recidiuam materiam paucis mensibus recuperare. Cornua abiicientes. Sinistrum cornu occultari ab illis putatur, veluti medicamento præditum, vt Aristoteles, Plinius dextrum, & castratis cornua non decidere tradit. Anniculis primùm tuberũ in morem erumpunt, augescuntque pluma talanugine. Iunioribus initio simpla, trimis bifida, quadrimis trifida, & sic deinceps singulis annis adiicientes ramos ad sextum vsque annum. Quare intra hoc tempus dinosci potest è cornuum fruticatione: Aetas pòst incerta. Nam aut similia aut plurium succrescunt ramorum. Sunt qui è dentibus ætatem iudicandam velint. Homerus cornu sedecim ramorum commemorat, de Pandaro eiúsque arcu loquens: κέρα ἐκ κεφαλῆς ἑκκαιδεκάδωρα πεφύκει. Porrò ceruorum venatio trifariam instituitur. Ceruorũ venatio trifariam instituitur. Aut enim retibus, aut carbasеis velis cingũtur saltus, atq; stabula. Vtraque & retia & carbasa, palis in summitate furcatis (quæ σάλι-

κες

κες aut χαλιδώματα, à Græcis vocantur) etiguntur. Tertium venandorum ceruorum genus, Regi Galliæ familiare, fit exagitatione cerui, pernicibus ad hoc diſpoſitis deſultoriis equis, vt ceruus his tamdiu exagitatus laſſitudine fatiſcat, áque canibus opprimatur. Quartum genus additur à Xenophõte, ſed noſtris temporibus ruſticũ magis quàm liberale, nempe podoſtrabis, quaſi dicas, pedum laqueis vel tendiculis, quæ in montibus circa prata & fluuios atque etiam iuxta ſaltus & quocunque loco ceruus accedere putatur, collocentur. Modum harum tendicularum ſcribit Xenophon, inde, ſi quis requirat, petere licebit: nos hunc morem, vt parum his regionibus vſurpatum, prætermimus. Noſtro tempore plurimum ſagittis bombardíſque per inſidias traiiciuntur ab iis, quibus hoc à principibus committitur, quoties feram ex tempore habere libet, maximè iis locis, quæ à principibus ferarum aſyla deſignata ſunt. De his tribus venationum generibus dicemus, quæ ſunt magis liberales, & exercitio commen-

Podoſtrabe.

mendabiliores. Quoties igitur de tribus istis aliqua instituitur, indagatoribus suæ quæque prouinciæ demandantur, quoad certo signo feras delitescere explorauerint. Fit autem id variis indiciis, aut è pedum vestigiis recentibus, aut repertis excrementis, aut denique ex affrictu ad ramos aut stipites arborum colligere solent, non procul abesse feras, atque adeò ex eisdem indiciis magnitudinem quoque cerui metiuntur. Vbi renunciatum, quo loco deliteſcant feræ, postera die mane venatio instituitur aliquo trium modorum. In omnibus oportet venti regionem obseruare, partim quòd cerui plerunque secundam captent auram (nam ventus aduersus naribus oríque irrumpens, fauces feræ aridas reddit animamque inhibet) partim quòd secundo vento cedentes canum voces facilius excipiant, partim denique, quòd olfactum sui sequaci turbæ canum adimant vestigiáque fallant. Ad hanc quoque rationem retia figere oportet, vt secundo vento in retia feratur ceruus, néve odore ea prodantur ad-

Indicia.

Venti ratio.

aduersa aura. Ceruos & apros proditum est à veteribus cantus oblectamẽtis capi, atq; ob id ad retia musicæ contentiones excitari, ad feras deliniẽdas alliciendasq;. Retia ceruorũ sublimia esse oportet, ne fera transiliat, & sustẽtata vallis furcatis leniter, vt mox cõtactu feræ concidant, eamq; inuoluant. Ab vtraque retis extrema parte statuuntur custodes impedientes, ac celeuma venaticum conclamantes, terrentesq; feram, ne altrinsecus à lateribus fugam capessat. Diuersa paululum à retibus secundo vento topiaria, ac scenæ, caueas vocant, è frondosis arborum ramis instaurantur, quibus lateant principes, heroinæ, & qui canes emissarios loris retinent, tantisper dum feram propinquam cassibus esse intellexerint, ac tum demum dimittant, adigantq; in retia. Hîc summo silentio opus. Quare cauendum, ne latibula sentiat, siquidem acerrimi est auditus, præsertim aures erigens. Proinde ramos, è quibus caueæ construuntur, sic collocare oportet, maximè si in syluis sint, (in patenti campo non multum refert)

Retia.

Celeuma venaticũ.

Caueæ. Topiaria.

refert) vt frõdes & folia ramorum non sint aduersa, alioqui latebras facilè sentiet resiliétque. Porrò ante retia, vbi erecta fuerint, obambulare nihil vetat: sic enim feræ minus fraudem suspicabuntur. Verum post retia, si vel ambulantem, vel clamorem cientem senserint, terrebuntur. Emissariis igitur suis quibusq; locis collocatis, venatores ad feras è diuersoriis expellẽdas se accingunt, rectáque secundo vento feram ad retia impellunt. Cautos hos quoq; esse oportet & silentes, qui in topiariis aut caueis latitant, vt canes tempestiuè emancipentur & appositè. Quod nî fiat, fera continuò insidias suspicans retrorsum cursu fertur, aut transuersa ex angustiis elabetur, aut claustra curriculi perrumpet. Quod si semel fecerit, pòst nulla vi in natiam adigi poterit. Vbi namq; in retia compulsa fuerit, mox accurrendum, & confodienda, ne se excutiat. Nam tanto impetu pede ferit, vt hastam atque adeò venabulum perfringere videatur. Quod si violenta exagitatione ceruum eximium aliquẽ delectum persequi placet, procursum & to-

Violenta exagitatio cerui.

a

& topiaria non in ſylua, ſed loco apertiſſimo ſtatuere oportet, vbi principibus & heroinis, aut quorum gratia venatus inſtituitur, quique per ſyluas & dumeta vagari grauantur, in viridantibus ſcenis requieſcẽtibus liber ſit proſpectus. Canes ceruarij atque emiſſarij ſtationatim collocentur, maximè pernices in locis abditis, latera ceruini curſus cingentibus, & quà maximè feram tranſituram veriſimile, ſiue ad amnem, ſiue ad æſtiua aliáve loca aſyla, quæ principalibus ſanctionibus feris libera relinquuntur, nullis venatorum perſecutionibus obnoxia, huc frequẽter contendere ſolent, ſeu denique ad aliud profugium ceruo familiare. In hoc genere perſequendi oportet canum habere ſuccenturiatas copias, equóſque perniciſſimos ac mutatorios, certíſque ſtationibus diſpoſitis, vt vno exanimato in alium reſilire liceat. Conuentu igitur ſoluto & ſua cuiuſque prouincia occupata, venatores ſtabula petunt, alius numellarium ac therelenchum canem ſequitur, qui ſilentiarius eſt, loróque oblongo cohi-

Aſyla ferarum.

Numellarius canis.

bitus veſtigatorem ad locum diuerſorij ducit, feráque è cubili, velut impetu expulſa, buccináque, velut claſſico, ad acuendos canes dato ſigno, primùm leues excurſus canum ſoluuntur, ſubſidiariæ copulæ ad certas ſtationes dimittuntur, quæ feſſis ſuccedant. Ceruus è cubili expulſus, canibus excurſoribus, equis celerrimis, canum vndíque allatrantium ac perſequentium clangore ſic agitatus, aut conſuetos colles petit, aut deflectendi eludendíque technas machinatur. Si conſueta loca petit, facilis perſecutio. At ſi impoſturas architectetur (nam ſolent veteratores illi varia perfugia vitæq; ſeruandæ præſidia quærere, vbi ſe latrantium turba peti ſentiunt) hic ſollicitos eſſe oportet perſecutores. Nam ſolent plerunque canes eludere, & ſecum ducere ceruum minorem, quæ grandiori comes eſſe conſueuit. Ne igitur illum pediſſequum canibus obiiciat, & ipſe veteratorius euadat, experti eſt venatoris, errorem corrigere canum, & præſtigium cerui ſolertia ſua facere irritum, atq; agmen canum excurſorium ca-

caſtigabundo vociferatu in veſtigium reponere. Interdum enim cerui, vrgente vi canum, vltro ad homines profugiunt : Nonnunquam ſi acrius vrgeantur, ceruorum greges petunt, ibíque intra turbam gregis, velut nebulam erroris ſe conijcere ſolent, atque aliquantulum ſpatij in mixto grege veſtigia facere ad negocium canibus exhibendum, ac paulò pòſt ab illorum comitatu ſeſe ſubducentes per deuia longius ſe proripere, deinde ſubſiſtere, vt canes aliena ceruulorũ veſtigia aut hinnulorum excipientes, diuerſi ab illo ferantur. Viſus eſt aliquando ceruus in armentum bubulum irrumpere, inſiliénſque in bouem prioribus cruribus, armiſq; complexum, ad ſpatiũ longiuſculum, velut equo vectus poſtremis tantum vngulis terram radere, vt odorem ſui canibus incertũ redderet. Fit aliquando, vt à canibus prorſus ſe ſubducat, relictaque ſyluarum opacitate in campos curſu feratur, atque vbi ſe profligatum ac prope exagitatione enectum ſentit, ad vicos villaſq; accedere ſolet, id quod non antè facere

Mira cerui impoſtura.

consueuit, quàm omni spe confugiorum deposita, sic vt sæpe canes vestigia amittant, quòd in campestribus prosciissíq; locis ac noualibus vestigia non sunt æquè odorata, atque in vepribus ac syluis, vbi & corporis crurumq; contactus vestigia reddit redolentiora. Hîc canum impetum, languoremq; cessantem, classico syluestri recreari oportet. Estq; sciti venatoris, oculis vestigia contemplari, atque hinc colligere fugæ tramitem. Oportet autem venatorem canum omnium & voces & mores intelligere. Quod si repentinum conticinium fiat, aut canes huc illúcque procurrant, transuersè alia atque alia vestigia legentes, hîc celeuma requisitorium canere oportet, canésque in gradum legitimæ excursionis reponere. Exagitatus etiam riuos amnésque petere solet, vltimum salutis asylum: Id quod Homerus testatur de ceruo Vlyssi oblato apud Circes insulam, ὃς μοὶ ὑψίκερον ἔλαφον μέγαν εἰς ὁδὸν ἄντλῳ ἦκεν, ὁ μὲν πταμὸν δὲ κατῆκει. Idq; facit, siue vt traiiciat, siue secundis vndis se committat, aut denique vt siticulosum

Vestigia in prosciisso loco nõ ita odorata vt in syluis.

Celeuma requisitorium.

Cernus flumen petit exagitatus.

loſum ſe æſtuantémque refrigeret: Quò cum venator feſtinus ſe proripiet, inprimis conſiderat, quo loco in riuum inſilierit, locúmque vel fronde vel alia re notare ſolet. Interim in flumine vrgetur lancinatúrque ſiue in vlteriorem ſiue citeriorem natauerit ripam, canibus perſequendus. Nam exæſtuanti in riuo crura rigeſcunt, vt in curſum fiat debilior. Dum verò ad extremum laſſitudine adducta fera operiri cogitur illum atrocem collatrantium canum gregem, certatim eam infeſtis morſibus impetentem, tum plerunque circumuenta fera in obuium quemque vel canem vel hominẽ cornibus impetu fertur, niſi venabulo aut ferro aut baliſta feriatur. Nam aiunt, citra ignominiam venatorij honoris, ceruo cedere forti viro licere, at aprũ inuadẽtem declinare, probroſum eſſe. Niſi enim vel retibus implicitus, vel canum vi oppreſſus ſit, ferro aut venabulo ceruum excipere non eſt tutum. Vbi autem ſtrata iam & confoſſa fera fuerit, cauendum, ne vel cornu vel pede feriat; vtrunque enim periculoſum.

Ceruo cedere licet.

Hinc ſequitur cataſtrophe venatorij actus, & canum decuriæ ſparſæ, buccinis communiter, ab omnibus velut Ἐπινίκιον accinentibus, conuocantur: Ipſaq; viſceratio ſeu exenteratio in corona & venatorum & canum, εὖγε εὖγε allatrantium, continuatur. Variæ hîc ſunt ceremoniæ in hoc venatorio ſacrificio. Exẽteratorem peritum eſſe oportet eorum rituum, vt ſimul & verbis huic ſacrificio vſurpatis vtatur, & lanienam ferinam venatoria cum paleſtra exequatur, ceruum conſuetis ritibus deglubens, ſcitè membratim incidat, atque vt ait Homerus, μίσυλλον τ' ἀρα τ' ἄλλα. Canibus debentur libamenta viſcerum, idq; velut ſuo iure voce communiter geſtientes, poſtulant. Tergore detracto, caput reciſum numellario ſeu therelencho, indicij præmium, debetur: nimirum vt capite rodendo fructum nauatæ operæ percipiat ante alios. In capite vermes aliquoties habere ceruos proditum, & nos ipſi vidimus, mẽſe Maio in Menapiis ceruum exenterari, cuius caput, ſucciſis cornibus apertoq; cranio, pollicaribus vermibus, præ-

Viſceratio nis ceremoniæ.

Mirum de vermibus in capite cerui.

præter capita rubra albicantibus, ſcatebat. Numellario igitur gratulabunda ſuiſq; verbis præbenda data ſi fuerint, macte virtute illum eſſe acclamantibus venatoribus, mox reliquo venaticorum choro ſuas exenterationis offas ſuis ritibus præparant. Ad epulas cunctis claſſibus decuriiſque canum vocatis, venatores intra tergum ceruinum fragmina panum, cruore & viſceribus feræ conciſa commixtáque proponunt. Siquis ſtrenuam operam nauarit, aut macie confectus ſit, huic ſeorſum portio è ceruice, vel ex omaſo attribuitur. Quæ cum ſic apparata fuerint, tum demum conuiuas ad epulum inſtructum, cum ouantium conſueta vociferatione, admittunt. Nam antè quàm epularum apparatus expediatur, coronæ geſtientum epulonum, ipſas epulas ante tempus captantes, à venatoribus arcentur fuſtibus, aut retinentur loris. Inter caninum hoc epulum, cornicines omnes, veluti ad arma, venaticum concinunt. Aliis in Gallia, & Italia, aliis in Germania vtuntur ceremoniis, & cornibus etiam bucci-

niſq; diuerſis. De Aprorum venatione tu, Philothere, diſſeras. PHIL. Aprorum venatio hyberno tempori conuenit. Tum enim glandibus & fructibus maturis ſaginantur ſues ſylueſtres, & ganeæ accommodatiores ſunt etiam domeſticæ. Capiuntur trifariam; aut enim obſeruatis volutabris, quibus ſe recreare ſolent, configuntur: volutabro arborem vicinam conſcendit venator, aut aliam latebram quærit, antequam ad volutandum acedat ſus (nam id præſciri poteſt, plurimum ſub veſperam) & volutantem ſagitta traiicit. Atque hic modus impetendæ ſuis plus habet voluptatis & minus periculi. Alia capiendæ ſuis ſylueſtris ratio periculoſior eſt, cùm vel repertus, ac prouocatus, vel canibus agitatus aper, venabulo petitur: Siquidem agitando efferatur, & in quemuis obuium impetu fertur, maximè ſi appelles, Horſou, Horſou, mox petit prouocãtem. Quare qui eum operiri, aut venabulo ferire velit, hunc veſtigiis fortiter niti & conſiſtere oportet, venabulo obiecto. Sponte enim & præceps proruit in venabu-

Aprorum venatio triplex.

nabulum obuersum. Certior erit ictus, si siniſtra parte pectus petas, fortitérque nitenti consistas, ne cedat, plaga facta. Et quia aper rectà lacessentem petit, nec percussus cessat, sed plagæ ac cuspidi violenter incumbēs renititur, nisi venabulum quasi auriculas habeat, quæ cuspidem remorentur, fera ad manum vsque ferientis contrà nitendo impellitur, ipsúmque configentem opprimet. Venabulorum igitur, quibus sues & alias cominus congredientes feras ferire volumus, manubria, atque hastilia, è robusto duróque ac firmo sint parata ligno, veluti fraxino aut simili: Cui ferrum præfixum sit valde acutum, & penetrabile, maximè ipsa cuspide, & vtraque acie, quas alas πτερύγας appellant, ad extremitatem ferri, vbi cum hastili committitur, vel ipsum ferrū, vt auriculas habeat, quas Græci κνώδοντας appellant, ne fera in cuspidem irruens ad ipsum ferientem peruenire possit. Quod si ferrum auriculas non habeat, ad commissuram ferri hastili cornei pessuli, vel obices firmiter annecti solent, ne vltra pro-

Venabulum quale requiratur in sue figenda.

gredi possit fera, eo vsque vulnerata, néve venabulum altius immergi possit. Sic igitur consistere oportet eum, qui venabulo aprum excipit, vt telum sinistra dirigat, dextra vrgeat. Pedum positio manus sequatur, læuus læuam, dexter dextram. Venabulum obiiciat lateri læua, prætergrediendo non multò plus, quàm læuorsum regrediendo, feræ frontem capitisque motum obseruans, sciteq; venabulum figat, ne capite vibrato venabulum excutiat. Quod si excusserit, mox venator pronus in terram procidat, virgultisq; humilioribus apprehensis procumbat. Sic enim aper præ dentium sursum tendentium curuitate, humi sparsum figere difficulter potest: at si rectus consistat, vulnerari necesse est. Quanquam fœminę sues procumbentem, etiamsi minus dentibus ferire queant, mordicus prehensum pedibus conculcant. Quapropter necesse est, vt socij venatores adsint, & in hisce angustiis comites liberent. Idq; fit, si solum venabulum protenderit alius: Nam sic continuò, priore deserto, in

Apri feriē diratio.

to, in hunc irruit aper. Inde prior exiliens, cum venabulo rursum inuadat feram, ferrumque inter scapulas dirigat, qua parte iugulum est sinistræ, fortiterque ad pessulum, vt dictum est, vsque imprimat: qui nisi obstet, ad percutientis manũ penetraret. Adeò furibunda inest vis belluæ, vt ea iam occisa, dentes præ feruore candentes pilos admotos exurant, viuentis etiam ignescant, canumq; ferè ictum declinantium, pilos incendant. Catuli facilius capiuntur, si modò à matribus segregari queãt, sed hi dum canes sentiunt, in syluosa loca & dumeta se abdunt, matres sequuntur canes, acriusque pro suculis pugnant. Tertia venatio aprorum fit retibus, & tẽporis ventiq; ratione obseruata, scenisq; factis ad eum, qui in ceruorum venatione præscriptus est, modum. Retia in trãsitu saltuum constituuntur ad nemora, ad valles & cliuos. Insultus fiunt in agros, in paludes, in loca vliginosa, & vbi pabulum reperiunt. Retia obseruantes venabulum ad manum habeãt. Indagatores canes agunt, idonea loca

scru-

ſcrutantes, inuentaſq; feras in caſſes adigunt. Hi qui ad retia ſedent, venabulis accurrunt, vtunturq; modo antè præſcripto: ſi non adigatur ſus impetu, & canibus prematur, venator canibus venabulo ſuccurrit. Et quanquam viribus præſtet, nimia tamen fatigatione fatiſcit. Pereunt in hac venatione plurimi canes, neque venatores à periculo ſunt liberi. Atq; hæc de aprorum venatu: ſi lubet de Luporum quoq; addam. LA. Immo & reliquarum noxiarum ferarum. PHI. Luporum venatio vtilis, cùm propter damna, quæ inferunt pecoribus, tum propter pellem, quæ hybernis temporibus idonea eſt pellicio. Capiuntur plurimùm caſſibus & retibus, præſertim hyeme, cùm propter niues eſcam à domeſticis petunt; æſtate in ſyluis denſioribus latitant, ferisq; victitant. Capiuntur & foueis factis, quæ ſarmentis virgultisq; ac ſtipula teguntur, oue vel anate vel anſere deſuper ſuſpenſis. Alij arcum intentum, proq; chorda acutiſſimum cultrum habentem iuxta eſcam ponunt, ita vt dum eſca attingitur, arcu

Luporum venatio.

ferian-

fériantur: Alij laqueis ad escam positis capiunt.

Vrsi & sagittis & retibus intercipiũtur, alibi etiam foueis, vt de lupis dictũ est. In Sarmatia ingentibus malleis suspensis affliguntur in arboribus, vbi apiaria petunt, vt de apibus dictum est: Nam malleos ascensum impedientes quo vehementius repellunt, hoc impetuosius in eos recidunt. Sunt qui acutissimos cultros affigant arboribus iuxta orificia apiariorum, quibus ascensuri seipsos conscindant: alicubi furcis collo excipiunt: alibi venabulo transfigunt: alicubi venator armatus aggreditur vrsum cultro præacuto accinctus. Vrsus vbi hominem cernit, mox complectitur prioribus pedibus, veluti brachiis comprimendo necaturus. Interim venator tutus armatura, cultro cor vrsi petit atque occidit. Sunt qui obseruant arbores, quas conscendere solent, pomis aut fructibus petendis. Siquidem humiliores arbores non descendit, sed conuolutus desilit. Eo loco palos præacutos figunt, in quos præcipitet se ipse.

Vrsorum venatio.

Leones.

Leonum venatio.

Leones, vt tradit Xenophon, fossa capiuntur, suspenso agno, vt suprà de lupis dictum. Nonnulli quoque retibus implicantur, alij igne inuadunt. Nam cùm ignis impetum sustinere nõ possit, vndique equites & pedites in belluam impetum faciunt, dextra ignẽ tenentes, atque læua scutum percutientes: ita turbatus leo in retia adigitur, vt auctor est Oppianus.

Pardalis quomodo capiatur.

Pardus mas ac Pardalis fœmina, vocatur & Panthera, capitur vino, eodem Oppiano teste. Pardales vt viuas capiant Mauri, putrescentis carnis frustum, iuxta ædificium è lapidibus in hoc constructum, ex longo funiculo suspendunt, deinde è virgultis atque arundinibus ostium rara structura imponunt, per eas vt fœtidæ carnis nidor emanet. Hunc odorem sentientes etiam è longinquo, eius desiderio, properè, accurrunt, & cùm attigerint, laqueo capiuntur, qui ad prædictum funiculum alligatus est callidè, vt dum esca moueatur, feram comprehendat.

Tigrides

Tigris maximè feræ naturæ, velocitatis-

catísque mirandæ eſt. Triplicem in vtraque maxilla dentium ſeriem habere, & aculeos in caudæ extremitate, quibus ſe cominus tueri, & eminus eiaculari queat, tradit Pauſanias. Eius fœtus, quem numeroſum producit, ab inſidiatore, dum mater cibo quærendo abeſt, rapitur equo inprimis pernice, aliiſque interim deſultoriis manſionatim diſpoſitis, in quos ſubinde tranſilire liceat. Vbi reuerſa fœtu vacuum cubile reperit, fertur præceps, odore veſtigans raptorem. Appropinquanti abiicit is vnum è catulis: tollit illa morſu, & pondere etiam ocyor remeat, iterumque conſequitur, & ſubinde, donec in nauem regreſſo prædatore irrita feritas ſæuiat in littore.

quibus artibus capiantur.

Alces animal vulgus Elend vocat: Cæſar tradit, capræ figuram, crura ſine nodis articuliſque habere, neque quietis cauſa diſcumbere, neque ſi quo afflictæ caſu ceciderint, erigere ſeſe poſſe: Et quia arbores illis pro cubilibus, ad quas ſe reclinantes quietem capiãt, has è veſtigiis, vbi eſt animaduerſum à venatoribus, quò ſe recipere conſueuerint,

Alces & Elephanti quibus modis capiantur.

uerint, omnes eo loco à radicibus ſubruunt, aut abſcindunt, vt ſumma tantum ſpecies earum ſtantium relinquatur. Huc cum ſe è conſuetudine reclinarunt, infirmas arbores pondere affligunt, atque ipſę vnà concidunt & capiuntur. Hæc Cæſar: Quem capiendi modum Diodorus Siculus de Elephãtis prodit. Verùm in deſcriptione Alces, Plinius & Pauſanias à Cęſare diſcrepant; ſiquidem Plinius ſcribit, Alcen iumento ſimilem, pręter aurium & ceruicis proceritatem. Pauſanias mediam formam illi tribuit inter ceruum & camelum, quæ fanè deſcriptio propius ad Ellendas, quas Germani vocant, accedit, quàm Cæſaris pictura. Viſum enim id animal nobis prorſus manſuętum, Principi noſtro è Polonia miſſum, equi aut cerui maioris magnitudine, colore aſinino, cruribus flexibilibus, equi aſiniq; pabulo ali ſolitum in ſtabulis. Pauſanias addit, ſolam Alcen ex animalibus inueſtigando non reperiri, ſed alias feras venando caſu interdum capi; nã abdere ſe in conualles & ſpeluncas ſolitudinis, rarò in conſpectum venire hominis,

minis, hominemque è longinquo odorari: Elephantos, præter dictum modum, Diodor. Siculus commemorat ab Æthiopibus aliis insidiis capi, Ælianus foueis tradit capi, sed beluas facilè fraudem sentire, & in venatores conuerti. Quare tubarum clãgoribus, armorumque concussione, & ignem incẽdentes venatores, & facibus in eos iactatis terrent, atque in foueas adigũt. Nonnunquam incendunt syluas, vbi latitant, & cùm ignem, sicut & leones, metuant, non audent progredi. Elephanti, dum cicurantur, panibus, hordeo, caricis, vuis, melle, alliis, cepis, item palma & hederarum fasciculis copiosè aluntur. Qua autem arte mansuefiant, Aelianus docet. Nihil ex hac belua vescum, nisi promuscis, & labra, ac cornuum medulla.

Simiæ duobus capiuntur modis, vt Strabo scribit; vno, cùm venatores eas in arboribus considere vident, catinũ aqua plenum in conspectu ponunt, oculos ex ea abluentes, posteà visco pro aqua posito recedunt: cùm autem hoc animal sit imitatiuum & mimi- Simiarum capiendarũ modus.

cum, ex arbore descendit, & visco se illinens, palpebris illitis occœcatur atq; capitur. Alter capiendi modus calceis fit ad eundem modum, calceantibus se venatoribus, relictisque aliis pusillis, & intus visco illitis, quos vbi imitatrices induxerint, facilè capiuntur.

Vri venatio.

Vros memorat Cæsar magnitudine paulò infra elephantos, specie, figura & colore subnigro & fusco, velocitatéque excellenti. Cornua quoque taurinis similia, Solinus tradit, in quibus tantum robur, vt hominem armatum cum equo ventilare, Albertus prodat, neque homini neque feræ, quam perspexerint, parcere: hos studiosè foueis capi atque interfici, eóque exercitio iuuentutem Germanorum durari, testatur Cæsar: & qui plurimos ex his interfecerint, relatis in publicum cornibus, quæ sint testimonio, magnam ferunt laudem. Sed mansuescere ad homines, ne paruulos quidem exceptos, possent. Amplitudo cornuum, & figura ac species multum à nostrorũ boum cornibus differt. Horum boum ingens copia hybernis temporibus in Polonia,

nia, Sarmaticíſque regionibus reperitur, vbi ex arboribus eos ſagittis configunt, aut ex equis velocitate pręſtantibus, aliis alios ſubleuantibus in perſequendo.

Biſontum venationem deſcribit Pauſanias in Phocicis. Inuenta fera, venatores locum decliuem, & in conualles demiſſum, primò ſepe firma cingunt: deinde illam, quæ ex aduerſo eſt, in extremitate planiciem, tergoribus recenter excoriatis ſternunt: Sin coriis recentibus deſtituantur, pelles aridas oleo lubricas factas ſumunt. Inde qui equitando plurimum valent, biſontes in eum locum propellunt: hi in primis ſtatim tergoribus labantes per accliue deuoluuntur: Ibi fame aliquot diebus ferocia fracta, paſcuntur pini baccis, atque ſic tandem vinculis circumuenti capiuntur. Biſontum venatio

Ibices, quæ capræ ſylueſtres, vel capreæ, vel rupicapræ appellantur, quas Plinius cornua in dorſum aduerſa habere ſcribit, ſcandendo in ſcopulos perſequuntur venatores, vt miſſilibus configant. Mira enim ſcandendi ſa- Ibices quo pacto capiantur.

liendíque ex rupe vna in aliam arte pollet hæc fera. Et cùm non datur aliud effugium, ad rupem aliquam inaccessam transiliens cornibus se suspẽdit tantisper, dum venator se aliò conferat: Habet enim cornua minora caprinis, non dissimilia hœdorum cornibus sed retrorsum incuruis, vt à tergo, velut vncis, se librare possit atque suspensam tenere. Plerunque autem ad ea præcipitia montium feram sequuntur venatores scandendo, vt descensus non detur, id quod Maximiliano Imperatori contigisse perhibent: eius rei indicia non procul ab Oeniponte visuntur.

Crocodilus. Crocodilus, ἀμφίβιον, & terrestre & aquaticum animal, oua pariens excludénsque, capitur, vt Herodotus scribit, hac arte: Venator primò tergum suillum hamo circundatum perfert in fluuium medium, ad crocodilum alliciendum: Deinde in ripa fluminis porcellum, quem viuum tenet, verberat. Vocem hanc audiens Crocodilus accurrit, tergumque, quo hamus tectus, deuorat. Attracti ante omnia oculos ve-

venator cœno opplet, alioqui difficulter cohibiturus. Feras si necare studes, cibo admisceto tithymallum, ranunculum, aconita: iis enim pharmacis vel necantur vel attonitæ capiuntur. Molestior fortassis vobis sum prolixiore mea de feris capiendis commemoratione. LA. Nequaquam: vnum restat de viuariis ferarum. PHI. Viuaria ferarum cùm hoc tempore non sint rara, nobilium prætoriis ac prædiis, neque nouum inuentum, de his pauca subiiciam. Plinius tradit, Fuluium Hirpinum, qui mox Lucullum imitatorem habuerit, viuaria primùm vsurpasse, cùm tamen Cyrum & alios plerosque longè antè viuariis ferarum vsos constet. Hodie quoque in Italia, Gallia & Germania crebra visuntur, nusquam autem frequentiora, quàm in Anglia, vbi passim nobiles prętoriis habent adiuncta viuaria, quibus damæ, cerui, aliæque feræ septis clauduntur ad voluptatem. Feræ autem, quæ viuariis idoneæ, potissimùm sunt lepores, cuniculi, damæ, sues, cerui, capreoli. Leones autem & vrsi, lupi, leopardi, & ra-

De viuariis ferarum, therietrophiis.

pacia truculentáque animalia repagulis potius continentur. Conuenit autem, proximum ædificio vel prætorio habere clauſum viuarium, idque vel muro, vel fiſſilibus ſtipitibus perforatis, (quibus ramices inſeruntur per tranſuerſa latera, interuenientibus certis ſpatiis defixis) quaſi vacerris clatrare, vel aſſeribus connexis claudere, quò minus exitus feris concedatur, vnde quoties libeat, feras quaſi de cella promere liceat. Aquam in promptu eſſe conuenit, quæ ſi deſit naturalis, aliunde vel inducenda, vel foſſis procuranda, prout patrifamiliâs conducit. Maximè tamen fons ſcatens deſideratur, vel viuus, qui feris inprimis expetitur. Eligendus autem locus & gramine ac ſtirpibus arboribuſque abundans & glandibus, pomiſque ſylueſtribus. Sunt enim eadem pecorum ſylueſtrium pabula, quæ cicurum. Temporibus autem hybernis pabulum denegantibus, & quando partus edunt, ſuccurrere clauſis oportet fœno, & quidquid locus aut facultas præbet, pabuli vice ſuppeditare. Minoribus, veluti lepuſcu-

puſculis & cuniculis, olera adminiſtrare. Iam tu, Ornitheuta, de tuo aucupio diſſeras.

DE AVCVPIO.

ORNIT. Secundum venationis genus eſt auium, & aëriorum animalium perſecutio, quam Græcè ἰξεύτικὴ vel ὀρνιθιακὴ, Latinè aucupium vocamus. Eſt hoc ſtudium præter alia principum atque heroum exercitia longè commendatiſſimum, omnibuſq; oblectandi numeris inſtructiſſimum, ſiue ingenuitatem exercitij ſeu voluptatis honeſtatem expendas. Siquidem hoc ſtudio corpus moderatè longeq; expeditius, labore ac periculo minore vegetatur: Ferarum autem perſecutione immodico labore per inuia, dumeta, ſyluaſque impeditas venator laſſitudine ſæpe fractus fatiſcit, aut in furibundum aprum aut ceruum efferatum impulſus in vitæ diſcrimen coniicitur. Adde quòd hoc exercitium minore ſumptu atque apparatu expeditur. Nã ferarum venatio, & canum omnis ge-

neris gregem requirit, & retia ſumptuoſa, vt taceam venatorum turbam, qui canes ducant, vel inſectentur feram, vel qui ad retia deſideant, Auceps verò ὀρνιθοθήρας vnus inſtructus, aut reti, aut viſco aut deniq; accipitre ſuum exercitium exequitur. Eſt autem hoc ſtudium ferè triplex, & vel accipitrarium quod auibus rapacibus, aut retibus & inſtrumentis, aut viſco & inſidiis aliis exercetur. Accipitrarium autem & volatile aucupium, veteribus non ita in vſu, vti nunc omnibus Principibus & heroibus eſt frequẽtatum, cùm alia venandi genera iam inde à diluuio vſurpata reperiantur, vt tam Hebræorum quàm Græcorum & Latinorum literæ teſtantur. Budæus, eruditiſque vetuſtatis indagatores mirantur hoc ſolum non fuiſſe in vſu, præſertim cùm Ariſtoteles tanta diligentia, maximiſque ab Alexandro ſuppeditatis ſumptibus, omnium animalium naturam deſcripſerit, nuſquam tamẽ accipitrarij aucupij meminerit. Plinius ſuper Amphipolim ſcribit, Thraciæ populos atque accipitres ſocietate quadam aucupa-

Aucupiũ triplex.

Accipitrarium aucupium.

cupari: hos quidem ex ſyluis & arundinetis excitare aues, illos ſuperuolitantes deprimere. Iulius quoque Firmicus, qui fuit temporibus Conſtantij, Magni Conſtantini filij, mentionem facit huius aucupij, quod & Budæus Galliæ ornamentum annotauit. Indos Ælianus tradit coruos & miluos à pullis manſuetos reddere, inſtituereq; ad venatum, vt ſuprà de leporum venatione dictum. Hodiè maximè vſurpatur, & generoſa exercitatio exiſtimatur, principibus & monarchis vſitata, vt quæ voluptatis plurimum habeat. Exercetur autem hoc aucupium volatile, rapacibus auibus inedia vigiliiſq; domitis. Domantur in hunc vſum non ſolùm accipitrum falconum varia genera, verumetiam vultures, corui, quibus non aues ſolùm, ſed lepores etiam & cuniculos venantur. Videmus enim naturâ accipitres, miluos, coruos, innoxiis auibus inſidiari. Accipitrarius auem rapacem geſtat, pugno inſidentem, comitatuſq; cane veſtigatore, qui vel perdices, coturnices aliaſq; aues minore accipitrum genere perſequa-

tur, eque latebris excitet, vt auolare tentantes à prædatrice intercipiantur. Plerunq; enim perdices, coturnices, aliæq; aues, vbi hoſtem adeſſe ſenſerint, in ſublime ſeſe attollere non audent, ſed in fruteta ſe abdentes, malunt canibus hominibuſque, quàm iurato hoſti in prædam venire. Maioribus venatricibus auibus lepores atque cuniculos hoc modo capiunt. Aliæ emiſſæ circumuolitant tantiſper dum à canibus atque venatoribus excitetur præda, quam pernicitate inſtructæ diripiant atque humi depreſſam conficiant. Aliæ non niſi volantem prædam impetunt, quam ſi impediti aſſequi nõ queant, circumuolitando in propinquo latitantem commonſtrãt vt à venatoribus comprehendatur. Sunt & ſublimipetæ, quæ ardeas atque id genus auium, trans nubes ſcandendo perſequuntur eouſque, vt hominum conſpectum euadant. Atq; hi maximè ſunt principibus in delitiis. Sunt & ſublimiuagi, qui neglecta interdum præda, cùm differenauit ad meridiem, plerunque apricatione delectati in nubes

bes licentius ſubuehi ſolent, & diu ex hominum proſpectu auferri, quaſi quidam emanſores, Quod prouidentes magiſtri accipitrarij protẽſo pugno reuocant, aut receptui ſtentorea voce canunt, interim ſcapum oblongo loro iactantes rotanteſque. Quare cùm ſublimiuagi longiſſimè & vltra famam in alienas regiones auolent, appendũtur eis tintinnabula cum orbiculis argenteis, quibus veluti indicibus, inſignia domini inſcribuntur: Vndè ſæpe à multis miliaribus capti, agnitis inſignibus, ad dominos remittuntur. Accepimus à quodam Principis accipitrario, affirmãte, cum fortè circa matutinum tempus in Menapiis aucupio vacaret, accipitrem vento abreptum, eodem die circa quartam pomeridianam in Pruſſia venationi volatili interueniſſe, atque in præda captum, agnitoque Principis ſigno remiſſum, cumq; rogaretur, quo tempore captus, cognitum eodem die, quo auolarit, interceptum fuiſſe. Accipitrum genera plura memorantur ab Ariſtotele, quorum pluribus in venatione aucuparia vti-

Accipitrũ genera.

vtimur. Gallis vocantur *Oyſeau de proye.* At modo rapiendi venandiq; differũt: nam alij humi conſidẽtem columbam rapiunt, volantem non item, alij volantes impetunt. Inter hæc accipitrum genera buteonem præcipuum narrat Ariſtoteles: Græcè τελόρχης à numero teſtium dicitur: etſi Plin. etiam æſalonem vocet. Germanis videtur eſſe Smerling / Gallis *Buyſart*. Item *Falcones*, Palumbarij, perces, niſus, Germanis Sperber / Gallis *Eſperuier*, quo in venandis palumbis ac perdicibus vtũtur. Fringillarius vel leuis accipiter Baumfalck. Stellaris accipiter, Blaufuß / Pernices, Gyrfalck. Accipiter ardealaris, Gallice, *Faucon haerennier*. E Creta afferuntur magni precij, *Scacurios* vocant Galli & Germani. Ex omni genere accipitrum rapacium, alij ſunt nidularij, qui ex nido rapti domi adoleuerunt, Galli vocant *Oyſeaux niez, prins au nid.* Hi vt obſequentiſſimi, ita non ſunt optimi: alij ſunt ramales, qui iam ferè adulti nidũ deſerentes, per ramos paſſim auolantes capiuntur: hi nidulariis præferuntur: nam pernicitate ni-

nidularios vincunt. Item peregrini, qui vt sunt pernicitate commendabiles, ita negocio maiore curantur, vt qui ab infantia non obdurverint. Hi sunt duorum generum: Hornotini vt Budæus annotauit, præstantissimi putantur, id est, qui antè quàm deplumescant, mansuescunt: Anniculi, id est, deplumes, item bimi, trimi, deinceps ad obsequium redigi non possunt. Omnibus iam dictis generibus alij aliter vtuntur, alios vocantes campestres, perdicarios, leporarios, picarios, alios lacustres, riuularios, anatarios. Hi anates, ardeas, grues, spectanda virtute è sublimi deturbant. Ardea enim quoties imminere hostem cernit, sublimis fertur in auram: hoc eam insequente, certatim sic nubes petunt, vt hominis sæpe prospectũ effugiant, tantisper dum venatrix sublimior facta prædam inuolutam vnguibus in terram mutuo rotatu deturbet, atque leporariis aut venatoribus excipiatur. Industrias aliquando huiusmodi aues principes magno mercantur: siquidem constat quingentis aureis, Precium accipiũ,

aureis,atque amplius, regibus & principibus venditos. Domandi ratio præcipua, vt oculorum palpebris commissis vel occlusis,circulóque cui insident agitato, inedia longísque vigiliis fatigentur.Pòst alligantur funiculo,& esurientes primùm cominus, & paulatim longius alliciuntur, donec assuescant, & ad vocem magistri liberi auolantes citra funiculum reuertantur. Accipitrarium oportet auem crebrò manu chirotheca tecta insistentem deportare, & escam præbere, vt magistrũ eiusque vocem cognoscere discat. Anniuersaria cura plumas in auiariis amittunt, quod mutare vocant vulgò, & à numero annorum, quoties deplumauerint, nomen accipiunt ferè. Ineunte autumno accipitrarij saginam auiarij medicamentis exinaniunt, rursusque ad prędam instituunt,inedia perdomitant, inditis in os stupeis turundis, vel bolis auiditatem eorum ludificantes, simul vt sic euocatis excrementis auidiores reddantur,ac fame excitatæ obsequentiores fiant. Hyeme etiam ad gelu sub dio algere, vtile. Nonnulli si al-

Domandi ratio.

algeant, continuò inhorreſcũt & morte periclitantur, reiecta ingluuie. In omni genere veterani difficilius extenuantur, & minus volucres, ſed ad prædam ſolertiores , & minus obnoxij. Terram enim volatu ſtringentes deuolantem auem excipere nouerunt, aut anguſtis finibus latebram eius circumſcribere, ne venatores aberrent. Tyrones vt veloces, hoc magis exſpatiantur & aberrant. Ramales atque nidularij initiò ſunt in tenebroſis conſtituendi, & vbi primùm ad venatum produxeris, non ſubitò mittendi perdicibus capiendis : Quia ſi robuſtior præda ſe excutiat & vincatur, auis fit meticuloſior : quin potius tyrocinium exerceat in coturnicibus & minoribus prædis rapiendis. Aut ſi velis maiuſculas aues capere, acciſis alis, auem grandiorem prębeas diripiendam. Eo exercitio fit audentior ad validiores etiam capiendas. In Martio & Aprili proiiciendis veteribus plumis in caueam, auiarium in hoc factum mittitur diſpoſitum ad parietem , alicubi loco aprico & meridianum ſolem excipiẽ-

te

te. Interim pascendi bona carne, veluti columbina, vel gallinacea. PHIL. De volatili accipitrum falconumque venatione iam satis: perge ad reliquas partes aucupij referendas. ORNI. Quando sic videtur pergam, ac primùm de peculiarium quarundam volucrum aucupio differam. Fulica, inquit Aristoteles libr. 9. de natura animaliũ, capitur spuma. Appetunt enim eam auidius: quocirca spuma insperſa eas venari in vsu esse, & carnem earum probi odoris, excepta posteriore parte patet. Struthiocameli, aues ceruorum magnitudine, collo & capite oblongis, lateribus alatis, cruribus firmissimis, pedibus fissis, propter molem corporis altius volare non possunt, at celeriter currunt. Hos arcu, vt Strabo testatur, venantur quidam, alij struthorum pellibus tecti: nam dextram pelle colli operiunt, atque eum sic mouent, vti animalia collum, siniſtra semen spargunt è pera desumptum, eo auem alliciunt, in conualles abigentes, vbi plures animal circumsistentes sternunt: Aelianus scribit cursu deficientem, lassi-

Aucupij secundus modus.

Fulica quomodo capiatur.

Struthio cameli.

lassitudine comprehendi ab equitibus Diodorus Siculus alios quoq; modos capiendorum Struhiocamelorum tradit. Perdicum venatio varia est: nam hæc auis astutia valet, vt Aristoteles & alij posteriores prodiderunt. Etenim cùm perdices & coturnices, quibus longè volandi facultas deest, terrestres, vt ait Plinius, potius quàm sublimes sint, nec altiuolæ: non nidis positis, sicut aliæ aues, sed in aprico, in segetibus & vepretis, oua edunt & incubant, vt accipitrum iniuriam vitare queant. Pullos fouent ducuntque gallinarum more. Cùm aliquis venando nidum accesserit, prouoluit sese perdix ante pedes venantis, veluti capiendi spem præbens, sicque venatorem abducit, quousq; pullis effugium detur, pòst ipsa auolans prolem reuocat. Perdicum venatio vulgaris aut fit accipitre, aut retium nassa, veluti sacco. Si accipitrem & canem habeas vestigatorem, excitatæ ad volatum ab accipitre capiuntur: Sin autem conspexerint prædonem, antequam excitentur, sese attollere non audent, sed procur-

De perdicibus, & coturnicibus capiendis.

rentes sese in vepreta aut segetes abdunt, ibiq; à canibus capiuntur, vt ante dictum. Alia venandi ratio perdicum fit reti, non lato sed longiusculo, atque veluti brachiis extenso, quod in extrema parte nassam veluti saccum habet. Auceps vel equum habet, iuxta quem occultatur (nam equum non vitant) vel tegumento vtitur in equi formam composito, aut rubro nigróve panno scuti instar protegitur ante pectus, ne ipse conspiciatur ab auibus, pérque foramina ipsas speculatur. Vbi conspexerit, paulatim progrediens aues sensim & ipsas se agi patientes in saccum retis cogit ingredi, atque sic capit.

Coturnicum aucupium.

Coturnix quia in segetibus habitat, auis est ad Venerem vehemẽter prona; hæc fistula vocem fœminæ imitante inuitari solet, quam vbi audierit, cursu celeriorem se proripit eò, vnde vox illa exauditur. Ea igitur via intermedia plaga extenditur, in quam accurrendo vltro se coniicit. Ex Clearcho Solensi Athenæus tradit, coturnices sub tempus coitus, si quis laqueum ad speculum è regione posuerit, ad id, quod

id,quod in ſpeculo apparet, accurrentes in laqueum incidere. Communiter aues capiuntur variis modis: alij tradunt, allium coctum, vt non renaſcatur, obiectum auibus, ſi deuorauerint, ſic ſtupere, vt manu capiantur. Laqueis retibusque capiuntur aues, & minores, pantheris, hoc eſt, retibus ſaltabundis, quæ expanduntur ſuper terrã, capiuntur. Cornices capi proditur, ſi nucẽ vomicam edant. Viſco capiũtur aues illitis virgulis; poſitiſque eo loco, vbi vel ad eſcam vel alia cauſa aduolare ſolent. Harum virgularum contactu implicatæ capiuntur. Figuntur virgulæ in arborum lateribus, nempe ceraſorum, vitium vel etiam ſilueſtrium arborum alligatæ, vel in cauea, appoſita vlula, vel cantatricibus auiculis; quibus cum alliciantur, vbi viſcoſas virgulas attigerunt, capiuntur. Capiũtur & maiores aues, virgis maiuſculis viſco oblitis, eſca ad inuitandum appoſita vel ſuſpenſa. Viſco quoq; illita virgula, pediq; ſturni alligata, vbi gregem ſturnorũ aduolantium videris, demiſſo viſcoſis virgulis inſtructo, hic cum in turmam

Pantherõ retis genus.

Tertius modus aucupij.

se ingerit, plures secum trahit captiuas. Hæc habui quæ de meo exercitio in medium conferrem. Iam ad te, Halieu, rediit periodus.

De tertia venationis parte

DE PISCATIONE.

HALIEVS. De piscinis villaticis & priuatis superius Piscinarius copiosè disseruit: Nos tertiam venationis speciem, nempe Piscationem ἁλιεύτικὴν, hoc est, capiendorum piscium rationem persequemur. Nam cùm humana solertia nihil intactum relinquat, siue in terra, siue in aëre, atque aqua, & omnia hominis imperio, præter superos, subdita sint, quãtumuis immanes belluas, tam aëreas & marinas, quàm terrestres, homo sibi subiicere, suóque vsui seruire studuit. Siquidem non elephanti modò & leones & auium examina, parere coguntur homini, verùm etiam, quæ Pontus gignit formidolosa atque aspectu horrenda, cete, testudines, phocæ, hyænæ, canes marini, lamiæ, zygene, ipsis terrestribus horribiliora

liora monſtra, & nationibus metuenda, tamen ab imbecilli piſcatorum genere capiuntur. De piſcatu pauci (quod equidem ſciam) & apud Latinos & apud Græcos ſcripſerunt, præter Oppianum, qui contractius, atque ſolùm de capiendis piſcibus marinis ſcripſit. Ariſtoteles, Athenæus, & Plinius de piſcium natura quædam tradiderunt: De piſcibus autem capiendis vel parum admodum vel nihil. Columella de piſcinis & piſcibus alendis ſcripta reliquit, & Aelianus ſparſim nonnulla. Piſcium vſus humano generi, ſicut & aliorum animalium eſt conceſſus ſingulari Dei beneficio: cibum enim præbet vtiliſſimum & lautiſſimum. Multæ gentes ſolis piſcibus victitare dicũtur. Oritas & Arbias gentes Ichthyophagos eſſe, qui domicilia quoque è piſciũ oſſibus faciant, portas è coſtis, & è vertebris mortaria, teſtatur Strabo: Item panem è piſcibus ad ſolem toſtis atque contuſis, addito pauxillo fermenti. Principiò piſcatorem Oppianus, ſicut res ipſa docet, non minus, quàm venatorem vigilantem, laborioſum, rigoris

Árbies Ichthyophagi.

Piſcator qualis poſtuletur.

& æſtus patientem eſſe vult, item ſagacem, vt piſcium fraudes eludere queat. Inſtrumentis huic artiidoneis inſtructus ſit oportet, nempe retibus, tridentibus, fuſcinis, hamis, naſſis, atq; id genus aliis ad piſcationem neceſſariis, vt mox dicetur. Porrò tunc piſcatio inſtituenda eſt, cùm piſces, deſiderio fœturæ, loca tepida adeunt: tum enim maximè capiuntur, vt Ariſtoteles tradit, maximè ſub ſolem orientem, vel paulò pòſt quàm occiderit: tum enim maximè viſus piſcium fallitur. Hyeme vada petunt, alij in limum aut arenam, alij in ſcopulos ſe abdentes. Ad vernum tempus & æſtate in ſublime redeunt, cùm herbæ vireſcere incipiunt, littoribus appropinquant. Piſces qui in mari degere ſolent, prope fluuiũ aliquem aut lacum, cùm partui ſunt vicini, è mari in lacus aut fluuios prodeunt, cum quòd aquã à ventis tempeſtatibusq; liberã amplexentur in partu, tum ne beluis maris, fœtus exponant. Atque ideò in Pontum Euxinum ſecedunt, qui ob id plurimis piſcibus abundat, quòd beluis marinis rapacibus nõ

Piſcatio quando inſtituenda.

ſit

sit obnoxius. Verno tempore germinante terra, pisces quoque, sicut alia, ad coitum incitantur, & alij ouaarenis petrisque atterunt, alij natando expellunt: Et cùm omnes reliquos semel, lupum bis, mullum ter parere tradunt: maresque procedentes semen spargere, fœminas sequentes exorbendo excipere, neque aliter coire, etsi ex Herodoto tradit Aelianus, reprehensum tamen id ab aliis; nam coire omnino, sed alios aliter, idq; tanta celeritate, vt obseruari certi vix aliquid possit. Piscis fœmina coitus tempore marem sequitur, ventrem eius rostro pulsans, sub partu mares fœminam similiter, de qua re, qui volet, legat Massarium in Plinium. Tempora piscationi accommoda, autumno probantur post solis occasum, maximè prima nocte: nam tum pisces dormitant, & facibus lucentibus capiuntur quiescentes, bruma verò meridie, vere toto die, quòd tum ad fœtum euagentur, & in Venerem concitentur. Alij æstate capiuntur, alij hyeme. Nam hippuruni & coracinum hyeme non capi, sed tantùm

Tempora piscationis.

æstiuis diebus constat: atque tum cancri fluuiatiles, & troctæ commendabiliores. Pisces alij aliis locis delectantur: alij inter saxa, alij in arenis, alij in vluis herbidísque locis versantur. Exprandus est ventus, vt sit tranquillus, alienus à tempestate. Et sicut in terrestri venatione, sic in piscatu, Noto spirante retia aduersus Boream, & contrà Borea flante, in Notum trahenda: Euro spirante, aduersus Zephyrum dirigenda retia, & contrà. Piscandi varij modi. Traditur, cyclamini pharmaci subacti odore pisces veluti ebrios & infirmos reddi, adeò vt manu capiantur, atque ideò ichthyotheron dici. Idem de hyoscyamo proditur. Aelianus quatuor memorat piscandi genera, nempe reti, nassa, hamo, atque conto: Retium, existimat vberiorem, sed supellectilem requirere variam. De his superius dictum in venatione. Conseruantur autem retia piscatoria diutius, vt in venatione ferarum dictum. Nassarum vsum, quia insidiosus sit, ingenuum hominem minimè decere, quidam opinantur: Hamo autem piscari

Pisces quibus locis delectentur. Venti ratio.

Piscandi varij modi.

ſcari libero homini magis decorum exiſtimãt. At quæ conto ſit, eã eſſe ſtrenuiſſimam, & hominem requirere robuſtum, ad eam requiri perticam rectã oleaginam, & funes è ſparto contextos, & tædas atque faces pineas ac reſinoſas: nauem paruam, & remiges validis brachiis. Proditum eſt, tẽpore hyberno, cùm Iſter glacie conſtrictus ſit, piſcatores glaciem in orbem perfodere inſtar putei; huc cùm lucis deſiderio piſces conueniunt, facilè capi, vt Aelianus tradit. Idem glacie ſecta ſecuribus, verriculis piſces capi, vulgare eſt. Alij calamis longis adnectunt ſetas equinas, alij hamis incuruis annexa eſca, alij lina & funiculos contextos è nauibus iaciunt, alij multiplices hamos expediunt. Sunt qui naſſis, atque his diuerſis: Nam quædam ex ſaligneis virgis contextæ, nonnullæ è linis conſtant. Alij plumatis funibus piſcantur, quemadmodum lepores in ſegetibus ſuperius diximus aliquos venari. Quidam expedito vtuntur piſcandi modo, perticæ alligãt rete, ſacci in morem inferius clauſum & anguſtũ, ſuperius pa-

tulũ idq; impoſita eſca in aquã demiſſum ſubinde reducunt, captóſque piſces eximunt. Item modus capiendi corbe, fiſcellis, in ſtagnis, riuiſque herbidis atque vlua obnoxiis, vimineo cophino, ſuperius inferiúſque patente, eóque ſubitò demiſſo in vadum, qui hoc modo cinguntur cophino, piſces capiuntur. Alicubi in riuulis ad faces noctu piſces fuſcinis conficiunt. Crebrior piſcandi maximè in mari & fluminibus modus verriculis expeditur vel ſagenis. Retia ſunt hæc oblonga, & mediocriter lata, altrinſecus funibus alligata, ex vna parte plumbei globuli, ab altera ſuber annectitur. Atque hoc quidem lignum propter leuitatem in ſublimi aqua ſuſtinet eam partem retis, alteram cogit plumbum ſubſidere. Pars vna verriculi ſcaphæ imponitur, altera parte in ripa relicta, nauiculáque in altum per gyrum ducta, ad ripam tandem reuerſi, totum rete ad littus retrahunt incluſis piſcibus. Plinius ait intereſſe capturę, ſi iteretur gurges. Et Ariſtoteles teſtatur, ſi gurgitum ima ſæpius terantur, plures capi ſecun-

Verriculi vſus.

do

do iactu quàm primo. Est & retis genus, quod geminis perticis in mare mittitur, subitóque pisces comprehendit. Aliud, in modum papilionis aut tentorij contextum rete inferius plũbatum, in sublimi nodosum. Eius caudam sinistra tenet piscator, dextra in altum iacit rete, idque subsidens pisces, qui eo loci sunt, cingit, & cùm retrahitur, claudit. Eadem aquatilium genera aliubi atque aliubi meliora. Littorales pelagicis meliores, contendit Aristoteles, quippe qui cibo copiosiore melioréque potiantur. Lupi pisces in Tiberi amne inter duos pontẽs laudantur, rhombus Rauennę, muræna in Sicilia, elops Rhodi, ostreis saporem optimum Lucrinis adiudicant quidam: Sturio ad ostia Rheni, siluri in Danubio & Mœno, salmones Rhenenses varij in montanis riuulis, haleces, sicut & piscis, qui induratur, ex Oceano Germanico commendabiliores. Cæterùm vt sunt pisces varij, variique piscandi modi: sic non omnes esca capiuntur. Nonnulli priusquam appetant, odorantur. Inesse enim iis & auditum

Qui pisces vbi meliores.

Piscibus

& auditũ & olfactũ ineſſe.

ditum & olfactum, experientia compertum eſt. Quoſdam & ſpeluncis latentes, ſalſamento illitis faucibus ſcopuli, piſcator expellit, velut ſui cadaueris agnitionem fugientes. Cõueniúntque ex alto ad quoſdam odores, vt ſepiam vſtam, & polypum, & ob id coguntur in naſſas, ſentinas nauium fugiunt, maximè piſcium ſanguinem. Non poteſt petris auelli polypus, ſed cunila admota, ab odore protinus reſilit, vt ait Plinius. Aliqui pane ineſcantur, & vocati adſunt, ſic aſſueti paſci. Purpuræ & aliquot alij aquatici fœtidis delectantur. Minores hamis minoribus, diſtentis etiam caprinis pellibus ſæpe capiuntur.

Cete.

Cete grandis belua, (Nearchus vicenûm & ternûm paſſuum refert) ipſis nauibus metuenda, in Heſperio mari plurimum viſitur, & Oceano, tarda inceſſu.

Muſculus piſcis.

Eſt muſculus piſcis exiguus aſpectu, ſed cauda longiuſcula, hic monſtrum ducit, illud verò ſequitur. Quare muſculo viuo, cete rarò capitur, verùm duce capto, non difficilè capitur belua, & viæ & conſilij expers, vtpote

vtpote noctu caligans oculis. Custode igitur capto, apparet monstrum eminentibus extra aquam pinnis. Piscatores rudentes benè compactis nodis extendunt, qui ne abrodãtur, catenis intexuntur per multos orbes. Ad hæc vtres spiritu distentos alligant, eósque in pelagus demittunt. In hamo inditur esca, iecut aut armus taurinus, quem vno ictu deglutire queat. Mox præparatis securibus, & ingentibus gladiis, adoriuntur monstrum, sed taciti, ne rumorem sentiens in profundum descẽdat. Escam rapiens & deuorans capitur, funibusque trahitur. Et nî vtres funibus annexos habeant piscatores, vnà cum nauibus facilè mergeret immanis belua. Sed dum in vtres cedentes sæuit, interim piscatoris ictu confoditur, & in terram trahitur. Basil. in Hexaemero.

Eiusdem ferè magnitudinis Physeteres, qui efflationibus fluctum maximum & caliginem nauigantibus excitant, vt Strabo scribit. Physeteres.

Balena etiam vnco ferreo capitur, securibusque excinditur. Balenæ submersuræ naues, doliis eiectis, vel Balena.

effu-

effuso castoreo, terrentur.

Balena, Orca, Cete, communiter vocantur Walfisch.

Orca. Orcam tradunt balenæ infestam beluam: Capi inuitatione prædæ, dum saginam prosequitur, in littus fluctibus propulsa, eminente dorso multo super aquas carinę in modum inuersę, multiplicibus plagis confoditur, & mergi sæpe piscatores reflatu beluæ oppletos vnda, & quia os habet in fronte, ideo summa vnda innatans in sublime nimbos afflat. A Claudio principe oppugnatam orcã in portu Ostiẽsi, quò profectus ipse cum prætorianis populo Romano spectaculum præbuerit, lanceas congerente milite è nauigiis assultantibus, Plinius tradit.

Canes. Canes, quia voraces, & piscantes perturbant, hamis occultatis in piscibus capiuntur.

Laniæ. Laniæ in remos sæuiunt dentibus, circulo iniecto capiuntur.

Phocæ. Phocæ non hamis neque tridente aut fuscina, cum duriore sint cute, sed retibus capiuntur.

Testudo marina. Testudinem etiam inter cete numerabimus, quia

me-

meratam, menſæ magnitudinis belluam Indico mari mitti, quarũ ſuperficie habitabiles caſas integant, atque rubro mari his nauigent cymbis, & piſcatoribus obuiam infauſtam, Oppianus putat. Capitur ſi inuertatur, & ſupina feratur; ſic facilè configitur. Inprimis eliciuntur antemeridiano tepore blandiente euectæ, eminentes lato dorſo, per tranquilla fluentes. Quæ voluptas liberè ſpirandi in tantum fallit oblitas ſui, vt ſolis vapore ſiccato cortice non queant mergi, inuitæque fluitent, opportunæ venantium prædæ. A Elianus ſcribit, caput eius abſciſſum diu viuere, & ſi manum oculis admoueas, oculos claudere, & ſi propius admoueas, mordere.

Delphini.

Delphinos capere religio eſt, ſiquidem hi piſcatoribus auxilio ſunt. Nam ad nomen Simonis vocati adeſſe ſolent, piſces ex imo fundo pellentes. Vnde ei partem prædæ dare conſueuerunt piſcatores, quam ſi negent, in poſterum eiſdem non adſunt in piſcando. Thraces ad Byzantium Delphinis non parcunt: & quia ab hominibus non me-

metuunt, facilè capiuntur, maximè primùm nati: E quibus vno capto, mater facilè capitur, vt ſequatur natos, veluti ad ludum literarium liberos educente parente, vt inquit Oppianus, ipſa ponè *Ὀπίσκομος* ſequitur. Ariſtoteles tradit, retibus apprehenſum breui tempore ſtrangulari, cùm ſpirandi facultas, quam habet, adimatur. De Delphinorum *φιλανθρωπία* multa paſſim leguntur, vt de Arione apud Herodotum; & pueros adamatos dorſoque exceptos, in mare vexiſſe atque reuexiſſe, eſt apud vtrunque Plinium, & Athenæum & Oppianum. Notum eſt de Cærano Mileſio, qui captum delphinum & necandum, à piſcatoribus redemit, poſtea naui, in qua Cæranus erat, merſa, ab eodem conſeruatus, ac deinde mortuo in patria, atque in littus elato, agmen Delphinorum apparuit non procul, tanquam funeri præſens & opem laturum.

Purpuræ. Purpuræ capiuntur poſt Canis ortum, aut ante vernum tempus: quoniam quando fœtificauere, fluxos habent ſuccos; fœtidis delectari Plinius teſta-

teſtatur. Oppianus tradit, capi miſſis ſtrombis piſcibus, aut oſtreis in denſos calathos, è vimine aut iunco complexos; quibus purpura linguam inſerens ad eſcam, mox intumeſcentem retrahere nequit, atque ſic liguritione irretita prehenditur. Alij purpuras capi, paruulis rariſque, veluti naſſis in alto iactis, eſca indita cluſilibus & mordacibus conchis, has ſemineces, ſed redditas mari auido hiatu reuiuiſcentes appetunt purpuræ, porrectiſque linguis infeſtant. At illæ aculeo exſtimulatæ, claudunt ſeſe, comprimuntq; mordentia; ita pendentes auiditate ſua purpuræ tolluntur. Aqua dulci necantur.

Scarus, inquit Aelianus, eſt omnium piſcium ſalaciſſimus, & cupiditate impotens in fœminam; quod cùm piſcatores non ignorent, comprehenſæ fœminæ ſummum os ad tenuem funiculum ex ſparto confectum alligant, eámque viuam per mare ad cubilia, vbi congregari conſueuerunt, trahunt, naſſæque in piſcatoria nauicula os latè diductum paulatim demittitur Scarus.

in mare. Mares ad conſpectum fœminę libidinis furore certatim in eandem feruntur. Interim qui fœminam deducit, rectà, ad naſſam tendens, cum fœmina in naſſam trahitur, maréſque gregatim cum fœmina capiuntur.

Cephalus. Cephalus, piſcis cœnoſus, amnium turbidorum amans; vt Pauſanias in Meſſeniis teſtatur. Retibus capitur, nam ſummis natat vndis.

Orcinus. Orcinus, cetaceus piſcis mirè ſagax, cum enim hamum, quo capi ſolet, deglutierit, mox in profundum ſe demittit ad petram aut ſolum allidens, hamum expellere cupiens: quod ſi minus licet, vulnus dilatat, atque exiliendo expuit. Sæpe tamen id non ſuccedit ac capitur.

Apuæ. Apuæ verriculis tenui filo contextis capiuntur, inutiles alioqui piſces ob exilitatem, ad aliorum piſcium capturam ſolùm vſurpati.

Oſtrea. Carabi. Locuſta. Oſtrea, conchæ, & carabi, locuſtas Theodorus vertit, capiuntur vel verriculis, vel maris reciprocatione in littora prouecta.

Thunni. Thunni & porci marini, quos Strabonem

bonem pelamides appellare volunt, eosque in Mæotide gigni; vnde gregatim erumpãt per auguſtos maris ſinus, ad Byzantium plurima eorundem venatio, adeò vt manibus intercipiantur. Capiuntur retibus. Eſt autem eorum captura à Vergiliarum exortu ad Arcturi occaſum. Celtas, Ligures & Maſſilienſes ingentibus hamis capere eos prodit Aelianus. Reliquo tempore hyberno latent in gurgitibus. Thunnos iuxta Hiſpaniam glande ſaginari ſcribit Strabo.

Haleces, alij arengas vocant, Iouius exiſtimat veteribus apuas dici: Sunt qui è menarum genere eſſe tradant, vnde menidium per deminutionem dictum. Capiuntur circa Auguſtum menſem in mari Septentrionali ſupra Angliam ac Scotiam. Piſcatores è Batauis & Morinis maritimis ciuitatibus ſoluunt nauibus in hoc paratis, quas buſchas vocant, commeatum menſtruum viginti aut triginta hominibus ſufficientem vna cum retibus & inſtrumentis neceſſariis aſſumunt. Retibus vtuntur denis aut duodenis vlnis lon-

Hering. Haleces. Arengæ.

gis & quatuor latis, inferiori fune grandi & robusto munito, horumque retium plura simul nectunt, inferiore parte propter funis pondus desidente, & superiore propter annexum suber natante. Vesperi sub crepusculum eiectis linis haleces vltrò in retia se cõiiciunt, branchasq; inserunt, piscatores ad stadia aliquot prouehuntur, vbi sentiunt pondus, mox trochleis retia extrahunt propter ingentem copiam, tantumq; pondus, quòd citra hæc adminicula educere non queant: nam aliquoties vltra centenas tinas capiunt. Cauent, vt opus conficiant noctu; nam statim ad auroram elabuntur haleces. Periculosa est piscatio; nam rarò diu supersunt piscatores. Aiunt aliquoties vnam mulierem quinque aut sex maritos vno anno succedentes amittere.

Stock-fisch. Piscis induratus mari Septentrionali circa insulam Thulen capitur in maximis rigoribus, qui exiccatus, fustibus malleisque rursum molliatur. E genere Asellorum creditur. Alij merlucam esse volunt. Capitur (vt aiunt) retibus.

Spon-

Spongiam animal esse docet Plinius & Oppianus, quod ceruorem habeat inhærentem: Aliqui narrant, etiam auditu vehi eas, contrahiq; ad sonum, exprimentes abundantiam humoris, nec auelli petris posse, nisi rescindantur. Captura autem eorum periculosa: Nam piscator edoctus spiritum continere, à sociis ilia cinctus, atque sinistra plumbum gerens, dextera falcem, ore oleum, atque ita ad maris vadum demissis funibus, oleum ore diffundit, vnde aqua lucet perinde atque flamma noctu. Spongiæ affixæ virentibus petris falce resecantur, mox sanies effluit, orituráque fœtor hominem sæpe enecans, & resectis spongiis subitò emergit, sæpe lacerus, si non totus deuoratur à beluis marinis, Oppiano teste. Quare obseruant spongiatores, anthiæ pisces vbi sint, illic nullas esse beluas marinas, ostendit Aristoteles. Spongia.

Anthias piscis est apud Chelidonias insulas & Asiæ scopulos frequens, celeriter capitur, vno genere, paruo nauigio & concolori veste, eademq; hora per aliquot dies continuos piscator Anthias.

enauigat certo ſpatio, eſcamq; proiicit. Primum timetur fraus, pòſt conſuetudine inuitatus vnus anthias eſcam appetit. Is aliquot dies ineſcatus, velut conciliator innumeros adducit, & priores illi piſcatorem agnoſcentes eſcam è manibus ſumunt. Tum piſcator paulum vltra digitos in eſca mittit hamum, & ſingulos inuolat verius quàm capit, interim parcens conciliatori, cauensq; ne palpatio aut ſonus cæteros abigat. Sunt qui tradant, anthias captos miſerabilem mortem lugere, non aliter quàm homines, qui in latrones incidunt.

Sargus. Sargus, quia caprarum amator, ad earum vmbram, vel earum pellibus facilè capitur. Quare extremis littorum marginibus & ſcopulis collocant capras, vel ſimulacra earum ad capturam. Quanquam etiam naſſis capiuntur myrto lauroq; annexis, vt Oppianus teſtatur: Noruntartes, quibus ſocios captos eripiant. Captus hamo lina abrodit. Naſſa clauſo ſocio in caput natans caudam præbet, qua prehenſa ore ſe extrahit.

Capi-

Capitones, Cephali, Schelfisch/Italis *Capitelli*, Gallis *Egerfin* appellantur, (alij è mugilum genere esse arbitrantur) Capiuntur maximè hyeme, & reciprocatione maris, littore siccato fodiuncatione maris, littore siccato fodiuntur foueæ, in quibus plerunque rematur foueæ, in quibus plerunque remanent recedente mari. Aliud tamen nent recedente mari. Aliud tamen genus arbitror, cuius Aelianus memigenus arbitror, cuius Aelianus memimit, in Achaico sinu frequens, quos illenit, in Achaico sinu frequens, quos ille perinde atque scaros ob libidinis inperinde atque scaros ob libidinis incontinentiam, fœmina captiua per continentiam, fœmina captiua per mare tracta, capi tradit. Scribit Aristomare tracta, capi tradit. Scribit Aristoteles, capitonem algore oculis deficeteles, capitonem algore oculis deficere, offa panis quoque capi, & terræ inre, offa panis quoque capi, & terræ intestinis maritimis hamis affixis. testinis maritimis hamis affixis. Capitones.

Mugiles celeritatis sunt acerrimæ, ita vt retia transiliant; quare cautione opus in captando. Mugiles.

Sepia tridente capitur; sed percussæ fœminæ auxiliatur, attamen fœmina capta mare fugit. Vbi ambo se sentiunt apprehendi, effuso atramento, quod pro sanguine ipsis est, absconduntur. Sepia.

Torpedo, dextram piscatoris torpore afficit, vt hamum excidere manu cogat, contactu vires adimit, atque ea fraude pisces languentes deuorat. Torpedo.

Quod si quis liquorem Cyrenaicum teneat, nihil torporis sentire, traditur ab Aeliano.

Anthieôn captura. Anthieorum captura iuxta Corycium, vbi gregatim ad pastum accurrunt, iteratoque pastu cicures ac familiariores redduntur; deiecto autem lapillo defugiunt in profundum ac vadum. Interim vnum capiens piscator, sic deinceps aliũ capit, esca è labrace vel viuo vel mortuo parata, Oppiano authore.

Callichus. Orcymus. Cantharus. Carabus. Polypus. Callichus, Orcymus, Cantharus, Carabus, Polypus, naſſis capiuntur, esca igne tosta, iniectaque nassæ, cuius nidore capiuntur.

Chalcides Chalcides, Trachuri capiuntur piscibus impositis nassæ.

Triglæ. Triglæ illuuie delectantur, maximè humano corpore, suum instar, de quibus plura Oppianus.

Pecten. Passer, piscis planus, pectẽ: Capitur reciprocãte mari, in altũ nauiculis euectis, retibusq; emissis idq; plurimũ circa mare Britannicum in Morinis; capti in sole & ventis exiccantur suspensi.

Polypus. Polypus, oliuæ rami amore capitur.

Hippurus. Hippurus gaudet laceratarum nauium

uium tabulis; horum loco fasciculis arundineis subligato lapide, & pòst hamo misso capiuntur canis visceribus & intestinis immissis hamis.

Aphiæ gregatim procedunt, adeò vt nauis in eas, tanquam in rupem impingens, cursum sistere cogatur, sed securi cæduntur. Aphiæ.

Inter fluuiatiles generosissimus lupus, qui & lucius atque labrax à Græcis dicitur, licet non ignorem, alios alium appellare piscem. Rheno ac propinquis fluuiis, & hamo & retibus capitur. Hamo captus, nisi properè adsis, dolore vulneris contempto, laxat hamum, ac refugit. De fluuiatilium piscatione. Lupus.

Salar, qui Ausonio stellatus tergora guttis, aliis varius, Aeliano tructa dici quibusdam videtur, licet eius descriptio non videatur conuenire salari, vel trutæ harum regionum, & fluuiatili: cum ipse inter marinas referat, & hamo captum solum è piscibus se abstrahere ex hamo dicat, quod cùm piscatores intelligant, longiores ansas machinantur. Salar.

Carpo Italis existimatur esse qui in Carpo.

Benaco capitur, troctarum saporem referens, nisi quòd hic rubris, ille nigris maculis distinguatur, vt Iouius scribit,

Truta. tametsi Salar vel truta in amnibus circa Rhenum & Mosam, cæterisque Germaniæ riuulis, aliâs nigris, aliâs rubris distinguatur punctis. Theodorus iuniorem salmonem existimat, sed falsò: nam etsi hi quoque punctis maculentur, in Rheno tamen aliisque fluuiis reperiuntur, maximè in superiore Germania, circa Brisacum, & alia loca pleraq;, non autem in riuulis; truta autẽ Rheno & magnis fluminibus non capitur, sed saxatilibus riuis gaudet hic piscis, licet viuariis etiam contineatur aliquoties. Capiuntur vel manibus, in cauernas riuorum compulsi, nam latibula quærunt sub erosis ripis arborum radicibus vestitis: vel nassis, retibusque, nonnunquam fuscina ad

Trocta. nocturnas faces figitur. Est & truta, vel trocta marina, Veneti nomen seruant.

Funduli, pisciculi saxatiles, partim manibus sub petris latitantes capiuntur, partim minutis retibus.

Capi-

Capitones quoque riuulorum ſaxatilium piſciculi, quibus boithi & coiti aſſimiles tradunt quidam, ad eundem modum ſub lapidibus occultantur, manibusque, lapide cincto leniterq; ſublato comprehenduntur. Capitones.

Alburni, & ipſi fluuiatiles, hamo capiuntur, maximè verno tempore, hamo alligato eſca lubricorum, qui à rore nomen habent. Alburni.

Gobij, non ſolum in fluuiis, vt Atheſi & pleriſque regionis Tridentinæ fluuiis, verùm etiam mari capiuntur & lacubus: nam & in Lario & Verbano aluntur, laudati maximè propter iecinoris gratiam, Itali vocãt *Capitoni*, Græcè κώβιοι Ariſtoteli: non multum fundulis diſſimiles, qui Rheno capiuntur & vicinis amnibus, nempe hamo & verriculo. Gobij.

Carpio, & fluuialis eſt & marinus, ſunt qui cyprinum aut cyprianũ vocitent; delectatur limoſis vadis, capitur reti, & hamo atque naſſa. Sed rete fallit, caput limo condens, vt rete apprehendere non queat. Eſt & carpio Benaci, Carpio. Cyprinus.

naci, qui aliàs varius, nigris maculis, de quo antè dictum.

Perca. Perca, ſpinis armatus, vt Athenæus teſtatur, capitur reti & naſſa. Eſt & marinus eiuſdem generis piſcis.

Cancri. Cancri fluuiatiles, vel ſub petris, vel in cauernis latitantes capiuntur. Obſeruare autem oportet, aqua in cauernis tepidane ſit an calida: ſi calida, facilius bufonem quam cancrum reperies, frigidis autem aquarum cauernis cancer latitat; apprehenditur dorſo, ne chelis comprehendat ſtringatque capientem.

Anguillæ. Anguillæ capiuntur, naſſis impoſitis inteſtinis aut alijs eſcis. Nonnunquam & fuſcinis, quæ in limo demerſæ figuntur. Aelianus tradit, anguillas in Pado capi, inteſtinis ouillis trium aut quatuor cubitorum longitudine, atque alteram extremitatem inteſtini piſcatorem in fluuium deijcere, quæ vorticibus volutatur, alteram manu tenere, atque huic parti arundinis fruſtum ad digiti aut amplius longitudinem inſerere: Mox cùm anguilla eſcã rapuit, deglutitque, piſcator arundinem

nem inflat, vnde inteſtinum intumeſcens anguillæ fauces opplet, anhelitumq; obſtruit, vt neque ſpirare, neque infixos dentes detrahere anguilla queat, atque ſic ſuffocatam capi.

Murenæ fluuiatiles naſſis capiuntur, & nonunquam retibus. Murenæ.

Eodem modo & Lampetræ, muſtellæ veteribus dictæ. Lampetrę.

Mona, mullum aliqui vocant, & ipſe riuis gaudens, Rhenoq; frequens, retibus capitur & hamis atque naſſis: In riuulis & fuſcina, ad faces nocturnas. Mona.

Tinca Italis, aliqui merulam, alij turdum, alij colyphum exiſtimant dictam. Capitur retibus & naſſis atque hamo, maximè verno, æſtiuoq; tempore magis quàm hyberno, paludibus & ſtagnis piloq; gaudet. Eſt & marini generis Praſinus, quẽ preſſum vocant, capitur retibus & hamo, toto ferè anni tempore, autumno commendatior. Tinca. Praſinus.

Mugil, quem barbatum appellant, capitur fluminibus Germaniæ, & reti & hamo, atque naſſis. Barbatus.

Thymallus, Eſchium vocant, contemptus piſcis & vilis, ad eundem mo- Thymallus.

dum

dum capitur. Alium referunt in Ticino Italiæ degere, mira odoris fragrantia, vt Aelianus scribit.

Salmo. Salmo, nobilissimus & carnosus piscis, Germaniæ fluminibus peculiaris, nassis plurimum amplis in flumen missis, alligatisque prælongis vimineis funibus capitur, idque frequentius, decrescente flumine, Fauoniis flantibus, à bruma vsque in æstatem. Inde Lassus vocatur. Cùm incipit parere, scandit petricosa & scabrosa loca petens.

Lax.

Sturio. Sturio; sunt qui Silurum putant, alij delphinum fluuiatilem: at neutrum horum esse verisimile: nam siluro dentes assignat Aristoteles, & delphino: Sturio dentibus caret, tantum foramen habet rotundum, non amplum, oris loco. Maximus fluuiorum piscis est, Oceano oberrans, Rheno plurimum ad ostia eius fluuij, aliquando altius ascendit. Capitur retibus. Proditum est, silurum à Mysis in Istro capi, admotis ad ripam bobus aut equis, illisque iugatis alligari hamum validum, asso tauri pulmone instructum, eumque cum esca in flumen deiici. Silurus

Silurus.

gratis-

gratissimam escam appetens, hamum incautè deuorat, & dum infixum elidere non potest, piscator sentiens funem exagitari, boues equosue instigat, tanquam arator, atque sic prædam extrahit. Silurum Plinius in Mœno & Danubio fluuiis reperiri testatur, lib. 9. cap. 5. eumque esse putant, quem vulgus vocat Germanica lingua, Ein huse: quanquam Marionem hunc vocent alij.

LEGES

LEGES REI RVSTICAE,

TAM E SACRIS QVAM PROPHANIS SCRIPTORIBVS, AC IVRE CIVILI PASSIM decerptæ, coronidisque vice adiectæ.

AGRICVLTVRA *ab altissimo creata,* ἡ γεωργικὴ ὑφ' ὑψίστου κτισμένη. *Syracides.7.*

Dominus dixit ad Adam, Quia audisti vocem mulieris, & comedisti de arbore, de qua præcepi tibi dicens, Non comedes ex ea, Maledicta terra propter te, In dolore comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ, Spinas & tribulos germinabit tibi & comedes herbas terræ. IN SVDORE VVLTVS TVI VESCERIS PANE TVO, *donec reuertaris in terram, de qua sumptus: Quia pulvis es, & in pulverem reuerteris. Gen.3.*

Agri-

Agricultura aliarum artium parens atque altrix, qua neglecta, terra marique iacent omnia, γεωργικὴ τῶν ἄλλων τεχνῶν μήτηρ καὶ τροφὸν εἶναι. *Xenoph. Oeconom. Aristot. addit, non solùm altricem sed præcipuam etiam Reip. partem esse, Polit. 6. cap. 4.*

Res Rustica consanguinea sapientiæ, Colum. 1. cap. 1.

Agricolarum vita proximè ad sapientiam accedit, vt quæ commercium habeat cum terra, quæ nunquam recusat imperium, nec vnquam sine vsura reddit, quod accepit. Cic. in Cat.

Acquirendarum facultatum, hoc est, χρηματιστικῆς, *potissima ratio Agriculturæ. Aristot. Polit. 1. cap. 5.*

Omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est Agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius. Cic. Off. 1.

Pius quæstus, minimèque inuidiosus, aut mala cogitans Agriculturæ. Cat. Re Rust. lib. 1.

Virum bonum cùm laudabant, bonum agricolam, bonúmque colonum prædicabant, & amplissimè laudari existimatum. Idem.

Agrum benè colentes non minoris factos,

quàm bello excellentes. Xenophon. Oeconom.

Deos Agriculturæ non minus quàm militiæ præsidere. Xenoph.

Agricolas omnes actiones à Diis auspicari oportet, σὺν τοῖς θεοῖς ἀρχεσθαι πάντας ἔργα, ὡς τῶν θεῶν κυρίων ὄντων. Xenophon. Oecon.

Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius, & omnia adiicientur vobis. Matt. 6.

Agricola eatenus ad rem augendam attentus sit, quatenus id Dij permittunt. Xenoph. Oecon.

Omnia quæcunque volueritis vt faciant vobis homines sic & vos facite illis. Matth. 7. Hæc Christi regula adeò placuit Alexandro Seuero Imperatori, homini ethnico, vt in palatio & in publicis operibus inscribi iuberet. Lamprid. in Alex.

Agricola suos studiosè colat agros, aliena non concupiscat. Cic. pro Rosc. Amer. & Cato de Re Rust.

Agricolam iustum esse oportet. Iustinia. Leg. Rust. l. 1.

Iustitia enim præualet iniuriæ, iustisq; terra fert copiosum victum. δίκη δὲ ὑπὲρ ὕβριος ἴσχει. Et mox, δικαίοις μὲν φέρει γαῖα πολὺν βίον &c. Hesiod. ἔργ. α. Astipulatur Xenophon in Oeconomico.

Et sibi,

Et sibi, & vicinis nasci, precantur religiosiores agricolæ. Columella. lib. 11. c. vltimo.

Aruspices, sagásque, quæ vtraque genera vana superstitione rudes animos ad impensas, ac deinceps ad flagitia impellunt, vitabit Agricola. Columel. lib. 1. cap. 8.

Qui malum carmen incantauerit, frugésve excantarit, coërcetor. LL. 12. Tab.

Incantatores vobis non sint. Deut. 18.

Malefici ac diuinatores, incantatorésque concremantor. l. 2. 3. & 4. C. de malef. & Math.

Ne frugem aratro quæsitam nocte furtim depascunto. L. 12. Tab. Vide superius lib. 1. exemplum de Furio Cresino. Est autem aduersus hoc delictum actio de pastu pecoris L. qui seruandarum §. vlt. ff. de præscrip. verb. Et vtilis actio ex lege Aquilia l. si boues ff. ad leg. Aquil.

Rustici non tam cælum intueantur, quàm terram, siderúmque ipsorum terrestria dantur signa indubitata, Plin. 18. c. 4

Agrum malè colere, Censorium probrum. Plin. lib. 18. cap. 3

Rei Rusticæ partes in agro colendo & pastione versantur.

Agriculturæ quatuor deinceps partes:

1. in soli fundi cognitione, 2. quæ in eo solo opus sunt. 3. quæ in eo prædio colendi causa faciendа. 4. quæ quæque tempore fieri conueniat. Varro de Re Rust. lib. 2. cap. 5.

Laudato ingentia rura, exiguum colito. Virgi. Georg. 1. μέτρον ἄριστον: Et cùm in aliis, tum in agris colendis modus optimus, ne videlicet maior, quàm ratio calculi patiatur, ager vel ematur vel colatur. Col. lib. 1. cap. 3.

Ne villa fundum, neque fundus villam quærat. Cat. Re Rust. cap. 3.

Imbecilliorem agrum, quàm agricolam, esse decet, quoniam si sit colluctandum cum eo, si fundus præualeat, dominum allidi. Non enim dubium, quin minus reddat laxus ager, non ritè cultus, quàm angustus eximiè. Col. 1. cap. 3.

Fœcundior culta exiguitas, quàm magnitudo neglecta. Pallad. lib. 1. cap. 6.

Vtilissimè agri coluntur ex oraculo, scilicet, malis bonis. Nam cùm dicerent malos, intelligere voluerunt vilissimos, summum prouidentiæ existimantes, vt quàm minimum esset impendij. Plin. 18. cap. 6.

Persuasum plurimis agrum bonis ac malis rationibus colendum. At ego, inquit Columella, omne genus ruris, nisi diligenti cura,

ac ſcitè colatur, fructuoſum eſſe non poſſe iudicem. Col. 4. 3.

Ager quamuis quæſtuoſus, ſi ſumptuoſus ſiet, non multum ſupereſſe. Cato. 1.

Modum tene, æſtimatis facultatibus tuis in aſſumptione culturæ, ne ſuperatis viribus excedente menſura, turpiter deſerere cogaris, quod arroganter aſſumpſiſti. Pallad. 1. cap. 6.

Certiſſimus quæſtus, ſi ager benè paſcat, proximus ſi mediocriter paſcat, Catonis oraculo: Summa omnium in hoc ſpectando fuit, vt fructus is maximè probaretur, qui quàm minimo impendio conſtaturus eſſet. Plin. 18. cap. 5.

Agricola ideò agrum vendere ſuum nolebat, quia ex eo nullum malum nunciũm audiſſet. Cic. pro Leg. Agrar. contra Rullum.

Non emendum agrum ſplendidè cultum, ſed potius iniuria domini neglectum, qui tamen melius coli poſſit. Iſcho. apud Xenoph. Oeconom.

Alij non contemnendam aliorum diſciplinam, ac de bono domino melius emi. Cato. 1. & Plin. 18. cap. 5.

Qui agrum colit grauem tributis, creditorem patitur, cui ſine ſpe abſolutionis

astrictus est. Palladius. 1. cap. 6.

Arator nisi incuruus, prævaricatur. Vnde curuus arator Vergilio: vt enim sulcos proscindat arator rectus, & obliquus subigat, id fieri vix potest, nisi toto corpore incumbat labori. Vide Adag. 951.

Prima adolescentia patremfamilias agrũ statim conserere studere, ædificare diu cogitare oportet, conserere, cogitare non oportet sed facere, vbi ætas accesserit ad annos triginta sex, tum ædificare oportet. Cato. 3.

In agro præcipuè spectandam salubritatem cœli, & vbertatem loci, Cato. 1. Col. addit aquæ & vicini rationem.

Vbi salubritas non est, cultura aliud non est, quàm alea domini vitæ ac rei familiaris. Et vbi cum orco ratio ponenda, ibi non modò fructuum perceptionem, sed & vitam colonorum dubiam esse, vel potius mortem quæstu certiorem. Varro de Re Rust. lib. 5. cap. 4. Col. 1. cap. 3.

Fundum sicuti ne fœcundissimi quidem soli, cùm sit insalubris, ita nec effœti, si vel saluberrimus, Attilius suæ ætatis agricolis parandum suadebat. Col. 1. cap. 4.

Prædium rusticum bonum cœlum habeat, ne calamitosum siet, solum bonum sua virtute va-

te valeat. Si poteris, ſub radice montis ſiet, meridiem ſpectet loco ſalubri. Operariorum copia ſiet, bonumque ibi aquarium, oppidum validum prope ſiet, aut mare, aut amnis, via bona. Cato. 5.

Viæ malitia æquè & voluptati & vtilitati aduerſa. Pallad. 1. cap. 6.

Viæ latitudo in porrectum octo, in anfractum ſedecim pedum eſto. Lex 12. Tab. Caius l. Viæ. ff. de ſeruitut. ruſt. præd. Via vel latior octo pedibus vel anguſtior conſtitui poteſt, vt tamen eam latitudinem habeat, qua vehiculum ire poſſit, alioqui iter erit, non via. Papinia. l. 23. ff. eo.

Seruitutes ruſticorum prædiorum ſunt iter, actus, via, aquæductus. Vlp. l. 1. ff. de ſeruitu. ruſticor. præd.

Iter eſt vis eundi, ambulandi hominis, non etiam iumentum agendi vel vehiculum.

Actus eſt vis agendi vel iumentum vel vehiculum. Itaque qui habet iter, actum non habet, & qui actum habet, iter quoque habet. Via vtrunque complectitur.

Aquæductus eſt ius aquæ ducendæ per fundum alienum. Inſt. de ſeruitut. ruſt. præd.

Qui habet pascendi ius, & haustum atque ad aquam appellendi, is & iter habet. l. 3. & 4. d. tit.

Tria in agro mala æquè nocent, sterilitas, morbus, vicinus. Pallad. 5. cap. 6.

Vicinus malus, magnum malum. πῆμα κακὸς γείτων. *Hesiod. Ergon. lib. 1.*

In frugibus vicinus potius iuuandus, quàm frater; at in iudicio potius frater. Cic. lib. 1. de offic.

Paterfamilias optimè habitare debet, vt frequentius rus veniat. Ca. 4. Col. 1. c. 4.

Aedes ad incolumitatem eorum, quæ ponuntur, constituendæ, veluti frumenti, vestium, & instrumenti. Nam ad Orientem & Septentrionem constitutio salubrior, & ad conseruandum magis idonea. Arist. Polit. 7. c. 11. Vitruuius lib. 8.

Quò sæpius venies, fundus melior erit. Xenoph. Oecon. & Aristot.

Ruri sic morandum, vt mora non sit segnis neque vmbratilis. Nam diligentem decet esse patremfamilias, agri sui partes frequenter omni anni tempore circumire, quò prudentius naturã soli, siue in herbis siue in maturis frugibus cognoscat. Col. 1. 2. ἀγρὸν ἐτώσιον ἔργος ἀνὴρ πήμων λήσει καλιάν. *Hesiod. Ergis.*

Procul

Procul ab agro suo dissitus, vicinus iacturæ suæ censetur. Nam si frequenter visat aut visurum se denunciet, villicum & familiam in officio continet. Col. 1. cap. 2.

Qui agrum parabit, domum vendat, ne malis vrbanũ, quàm rusticum larem colere; cui magis cordi vrbanum fuerit domicilium, rustico prædio non erit opus. Magonis. Col. 1. cap. 1.

Ex agro semper plus sua cura redditur, quàm coloni. Columel. 1. cap. 7.

Non agendum cum colonis summo iure: Summum ius, summa crux. Col. 1. c. 7.

In agris longius dissitis tolerabilius liberis colonis, quàm seruis colere. Colu. 1. c. 7.

Neque interim remissius agendum: Bonæ enim nomina non compellando mala fieri. Colum. 1. cap. 7.

Opus auarius quàm pensio à colonis exigenda. Col. cap. 7. fol. 28. b. 5.

Felicissimum fundum, qui colonos indigenas habeat. Col. 1. ca. 7

Peiorem Colonum vrbanum, qui per familiam mauult agrum quàm se colere, nam ab huiusmodi homine ferè pro mercede litem reddi. Columel. 1. cap. 7

Nihil minus expedire, quàm agrum opti-

mè colere Plin. lib. 18, 6. Ea figura dictũ, qua, Ne quid nimis.

Benè colere necessarium, optimè damnosum, præterquam sobole sua colonoúe pascendis. ibid.

Agricolationis caput est, fecisse quidquid exegerit ratio. Col. 11. ca. 1.

Non omnis fert omnia tellus,
Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ. Virg. Georg. 1.

Facilius terræ quàm hominis aut equi ingenium cognosci. Ischo. apud Xenpp. Oeconom.

Arare minus, quàm verrere, Censoriæ castigatio. Plin.

Oleam ne stringito nec verberato. Plin. 15. cap. 13.

Locis frigidis vineta ponantur à meridie, calidis à septentrione, temperatis ab oriente, vel si necesse, ab occidente. Pal 1. c. 6

Arbores, sicut & vites, è locis deterrimis ad meliora transferuntor. Pallad.

Ager campestris segetibus, collinus vineis, syluis montanus melius conuenit. Varro. 1. cap. 6.

Campi largius vinum, colles nobilius ferunt. Pallad. 1. cap. 6.

Vineam

Vineam in agro quæstuosissimam iudicat, eique primas tribuit Cato, secundas, horto irriguo, tertias, saliceto, quartas, oliueto, quintas, prato, sextas, campo frumẽtario, septimas partes syluæ ceduæ, 8. arbusto, 9. syluæ glandiferæ. Varro tamen testatur hos gradus non vbique probari, vt neque apud nos, vbi frumentarius ager, atque piscibus vtilis præfertur.

Sunt qui existiment, vineas sumptu fructus deuorare. Varro. lib. 1. 8.

Vitem si maturius putes, plura sarmenta, si serius, fructus plures feres. Pallad. 1. cap. 6.

Exprobratio fœda, putantium vites, per imitationem cantus alitis, qui vocatur cuculus. Opprobrium enim meritum, falcem ab illa volucre in vite deprehendi, vt ob id petulantiæ sales etiam cum primo vere ludantur, auspicio tamen detestabilis habetur. Plin. lib. 18. c. 26. Petulantiæ sales vocat, quòd vernis temporibus coniugati mutuis salibus inter se ludunt, dicentes, Tibi canit hæc auis, significantes, vxorem non benè custoditam. Chiliadibus 951.

Sapientis rustici reputare, num maiore fructu se vitis induerit, quàm vt perferre possit. Colu. 4. 27.

Triti-

Triticum quò ſerius metitur, copioſius inuenitur, quò celerius verò, eò ſpecioſius & robuſtius. Lex aptiſſima, antequam granum indureſcat, & cum iam colorem traxerit, meſſem faciendam: Oraculum verò, biduo celerius potius quàm triduo ſerius. Plin. 18. 30.

Color terræ non magnopere conſiderandus, quia bonitatis incertus auctor. Pallad. 1. cap. 6.

Ad ſoli naturam, & loci ingentum ac cæli cuiuſque mores, dirigenda ſolertia. Plin. 17. cap. 2.

Idem ſolum, vbicunque arduum opere difficili cultu, bonis ſuis acrius paſcit quàm vitiis. Plin. 17. cap. 4.

Oraculum magnopere cuſtodiendum, Segetem ne defruges. Plin. 18. ca. 24. Hoc eſt, ne nimia fœtura exinanias. Virgil. alternis ceſſare iubet.

In arando Catonis ſeruandum oraculum: primum, Agrum benè colere, Secundũ, bene arare, Tertium, ſtercorare, Sulco vicino ne ares, Tempeſtiuè ares. Plin. 18. cap. 19.

Stercus in fundo maneat, non exportetur in alienum fundum. Varro.

In nouo genere ſeminum ante experimentum non eſt ſpes ponenda, locis humidis ci-

tius

tius semina, quàm siccis degenerant, quare subinde succurret electio. Pallad. lib. 1. cap. 6.

Semen optimum anniculum, bimum deterius, trimum pessimum, vltra sterile, idque optimum, quod grauissimum. Plin. 18. cap. 24.

Terras aliâs plus seminis recipere, aliâs minus, religiosumque inde primum colonis augurium, cùm auidius accipiat, esurire creditur, & comesse semen. Plin. 18. cap. 24.

In serendo manus congruere debet cum gradu. Plin. 18. cap. 24. ὁμαλῶς ῥίπτειν, Xenoph. Oeconom.

Canon antiquissimus agriculturæ. In locis frigidis nouissimè, tepidis celerius, calidis ocyssimè serendum. Columella. 2. cap. 7.

Quamuis temperatis agris serendũ sit, tamen si siccitas lõga est. semina tutius in agris, quàm in horreis seruabuntur. Pallad. lib. 1. cap. 6.

Sementem festinatam sæpe, serotinam semper decipere. Plin. 18. 24.

Omne triticum in solo vliginoso post tertiam sationem in siliginem permutatur. Pallad. 1. cap. 6.

Satius, minus serere & melius arare. Plin. 18. cap. 6.

Pru-

Prudentes agricolæ seruant, vt quindecim diebus prius, quàm bruma conficiatur, totidemque post eam confectam neque arent, neque vitem aut arborem putent. Colum. 2. cap. 8.

Domino vel colono confinia possidenti, qui fundum vel agrum suum locat, damnis suis ac litibus studet. Pallad. 1. cap. 6.

In agro periclitantur interiora, nisi colantur exteriora. Id. ib.

Possessionis quæ secundum naturam, prima cura est agriculturæ. Arist. Oec. 1.

Pecuaria coniuncta est agriculturæ, ἡ προβατικὴ σωμπλακεῖσα τῇ γεωργικῇ. Isch. apud Xenophon.

Vt in rusticatione, antiquissima ratio pascendi, eademque quæstuosissima, ita nulla regio, in qua frumentum gignitur, quæ non vti hominum, ita armentorum adiumento iuuetur: vnde etiam iumenta nomen accepere. Col. 6. ca. 1.

Possessio autẽ cõstat seruo, agro, & armẽtis ad colendũ necessariis. Hesiodus id expressit:

Οἶκον μὲν πρῶτιστα, γυναῖκά τε βοῦν τ' ἀροτῆρα.

Equo si indigeat Agricola, hunc ager alit. Ischo. Xenophonticus.

In

In pastione, vt in agro colẽdo, semper vtilius pauciora habere, eaque benè pascere, quàm plura malè pascere. Columella 1.cap.3.

Boum emendorum stipulationis veteribus obseruata forma: Illosce boues sanos esse, noxisq; præstari. Cùm emimus indomitos, sic: Illosce iuuencos sanos rectè, déque pecore sano esse, noxisque præstari spondésne? Varro de Re Rust. lib.2.cap.5.

Pecoris antiqua emendi formula: Illasce oues, qua de re agitur, sanas rectè esse, vti pecus ouillum, quod rectè sanum est, extra luscam, surdam, minam. i. ventre glabro, neque de pecore morboso esse, haberéque rectè licere, hæc sic spondes? nec tamen grex dominum mutat, nisi æs adnumeretur. Varro eodem lib. cap.2.

Porci parari emíque solent sic: Illasce sues sanas esse, haberéque rectè licere, noxisque præstari, neque de pecore morboso esse spondesne? Idem eodem libro capite 4.

Caprarum alia stipulatio, quòd eas sanas nemo promittit: Vt Manilius scribit, sic stipulantur: Illas capras hodie rectè esse & bibere posse, haberéque rectè licere, hoc spondesne? Id.2.ca.3.

Equilia, bubulia, ouilia, porcilia bona benéque

néque ædificata habeto, bonas præsepes, fali-scas habeant clatratas: Clatri pede distent, ita pabulum non reiicient. Cato. 4.

Canes in solitudine & deserta regione se-curitatem præbent à fructuum vastatione, à lupis pecora defendunt. Ischo. Xenophon.

Canes interdiu clausos esse oportet, vt noctu vigilantiores & acriores sint. Cato 2. cap. 124.

De canum quoque sanitate & noxa sti-pulationes fiunt eædem, quæ in pecore, nisi quòd hîc vtiliter exceptum est: Alij precium faciunt in singula capita canum, alij vt catu-li sequantur matrem, &c. Varro lib. 2. cap. 9.

Aediles aiunt: Qui iumenta vendunt, palam rectè dicant, quid in vnoquoque eo-rum morbi vitiique sit, vtique optimè orna-ta vendendi causa fuerint, ita emptoribus tradantur: Si quid ita factum non erit, de ornamentis restituendis in diebus 60. morbi autem vitiiúe causa inemptis faciendis in 6. mensibus, vel quò minores, cùm venirent, fuerint, in anno iudicium dabimus. Quæ de iumentorum sanitate dicta, de cætero quoque pecore omni venditores faciant. Vlp. l. 38. ff. de ædil. edict.

Deinde Aediles aiunt: Ne quis canem, ver-

verrem, vel minorem aprum, lupum, vrsum pantheram, leonem, & generaliter; aliudúe quod noceret animal. siue soluta sint, siue alligata, aut contineri vinculis, quò minus damnum ferant, non possint, quà vulgò iter fiat, ita habuisse velit, vt cuiquam nocere damnumúe dare possit: Si aduersus ea factum, & homo liber ex eo perierit, solidi ducenti præstabuntur: Si nocitum, quantum bonum æquum iudici videbitur, condemnabitur. Cæterarum rerum quanti damnum datum, factúmve sit, dupli. l. 40. d. tit ff. de ædil. edict.

Si quadrupes pauperiem fecerit, aduersus eum quadrupedis actio noxialis esto. L. 12. tab.

Si quadrupes pauperiem fecerit ex L. 12. tab. aut animal, quod nocuit, aut æstimationem noxiæ afferri. Vlpi. l. 1. ff. Si quad. pau. fecerit.

Noxam caput sequi. l. ead. §. Et cùm.

Domini diligentia bonos facit ministros. Nisi enim paterfamiliâs diligentiæ exempla præbuerit, frustrà vicarios diligentes expectabit. Aristot. Oeco.

Sub hero ignauo seruos, vel naturâ bonos, nunquam sperandos. Ischom. Xenoph.

Agrum pessimè mulctari, cuius Domi-

mus, quid in eo faciendum sit, non docet. Col. 1. cap. 2.

Quæcunque per teipsum præstare poteris, circa ea diligentiam adhibeto. Idem ibid. Exemplum est Cassitæ apud Gell.

Frons occipitio prior. Cato. 3. de Re Rustica.

Optimã stercorationem, vestigia domini, Lybicum dixisse, atque Equum obesum ac nitidum reddere oculum domini, Persam respondisse. Aristot. testatur Oeco. 1. cap. 6.

Opera, non impensa, cultura constat. Plut. lib. 18. cap. 6.

Temporis magna cura habenda, nam eius iactura irreparabilis. Col. 11. ca. 1.

Ruri, sicut in vrbe, suus quæque temporibus actiones occurrunt. Ischo. Xeno.

Res Rustica sic est: Si vnam serò feceris, omnia opera serò facies. Cato 5.

Rem agrestem, insidiosissimam esse cunctanti, Hesiodus eleganter expressit:

Αἰεὶ δ' ἀμβολιεργὸς ἀνὴρ ἄπαισι πλαίεται.

Col. 11. cap. 1.

Ferias consuetas seruato. Florentin.

Necessitas feriis caret. Pallad. 1. cap. 6.

Malum patremfamilias, quisquis interdiu fecerit, quod noctu posset, nisi intempestate cæli:

te cœli : Peiorem, qui profestus diebus egerit, quod feriatis deberet : Pessimum, qui sereno die sub tecto potius operaretur quàm in agro. Plinius libro. 18. cap. 6.

Aestimator nemo bonus, nisi peritus. Col. 11. cap. 1.

Malè agitur cum Domino, quem villicus docet, Cato, Col. 11. cap. 1.

Ischomachus apud Xenophontem à Socrate rogatus, An villicum institutum mercetur, an ipse instituat, Ego, inquit, instituo. Xenoph. Oecon.

Eum, cui agri cura commissa, exemplum esse oportet omnium in agro degentium, vt ẽ reuereantur magis, quàm pertimescant. Florentin.

Villici & medici eadem ratio, vt in tempore curet. Ischom. Xenophon.

In Villico quatuor requiri, vt sit beneuolus, diligens, imperio aptus, & iustus. Xenophon.

Villicus sit ab infantia rusticis operibus duratus & inspectus experimentis. Col. 1. cap. 8.

Ephemeridem habeat, quid quoque tempore faciendum. Florentin.

Parsimonia, optimum vectigal. Cice. p.

radoxis. Sera in fundo parsimonia. δειλὴ δ' ἐνὶ πύθμενι φειδώ. Hesiod. Ergis.

Agricolam non emacem sed vendacem esse oportet. Vendat boues vetulos, armenta reiicula, oues reiiculas, lanam, pelles, frumenta: non nisi necessaria comparet, eáque in tempore. Detur opera, vt quæ possis ipse parare, ne emas. Cato 2.

Nequam esse agricolam, quisquis emeret, quod præstare ei fundus posset. Plin. 18. cap. 6.

Ignauum & sumptuosum esse, qui succidiam suspenderit in carnario potius à laniario, quàm è domestico fundo. Var.

Villicus non sit negociator. Negociatio enim auocat eum ab agri ac rusticæ rei cura, & negociatorem facit magis, nec vnquam sinit eum cum rationibus domini paria facere, sed vbi eius memoratio exigitur, res pro nũmis ostenditur: Quare pecuniam domini neque in pecore neque in aliis rebus promercalibus occupet. Col.

Villicus sæpius nummos, quàm librum domino afferat. Col. 1. cap. 8. è Cor. Celsi sententia.

Nihil impedit villicum esse illiteratum, modò sit tenacis memoriæ, quò minus ipse

possit

possit rationes confingere. Col. ibid. Varro tamen literis & humanitate imbutum maunult. 1. cap. 17.

Ambulator esse non debet, nec egredi terminos, nisi vt addiscat aliquã culturam, & hoc, si ita in vicino est, vt citò remeare possit. Cato 5. Columella. 1. cap. 8. Laudatur Aglaus Psophidius, qui è prædio suo, quod colebat, nunquam egressus. Plinius 7. cap. 46.

Villicus neque venandi neque aucupandi studio occupetur. Col. xi. 1.

Primus cubitu surgat, alios excitet, postremus cubitum eat, prius villam videat, clausa vt siet, vtq; suo quisque loco cubet, iumenta pabulum habeant. Hesiod. in Ergis. Aristot. Oeco. 1. cap. 6. Cato 5.

Vt plurimum prodest, peritè aliquid facere, ita plus obest, perperam feciſſe. Col.

Nihil fœdius agricolis quàm gestæ rei pœnitentia. Plin. 17. c. 12.

Primus omnium vigilet, familiamq; ad opera cunctantem producat, ac strenuè præcedat. Colum. 11. cap. 1.

In opere primus & vltimus. Col. 11. cap. 1.

Somni & ebrietatis abstinens sit villicus, (vtraque enim sunt inimica diligentiæ) tum

etiam à Venereis amoribus auersus, quibus si semel se dederit, non aliud quidquam cogitabit, quàm quod diligit. Col. 11. 1.

Villicus conuictum externum vitet. Colum. 11. ca. 1.

Inprimis hoc obtinendum, ne quid scire se putet, quod nesciat. Col. 1. ca. 8.

Ne villicus plus censeat se sapere quàm dominum. Cato 5.

Precioſissimum intelligere quenque, nescire se quod nesciat. Col. 11 ca. 1.

Disciplina bona vtitor. Cato. 5.

Alieno abstineat. Idem ibid.

Ne crudelius cum subiectis aut submissius agat: semper honoret bonos & sedulos, parcat etiam minus probis, & ita temperet, vt magis reuereantur eius seueritatem, quàm vt sæuitiam deteſtentur. Florentin. & Columel.

Curandum magis, ne peccetur, quàm cùm peccatur, serò puniatur. Xenophon pædiæ. 1. Colum. 11. ca. 1.

Operarij multa patientia & algoris & æstus, vel nudi, operi assuefaciendi. Xenophon Oeco.

Grauia loca melius est mercenariis colere, quàm seruis. Varro. 1. ca. 17.

Nulla

Nulla amplior nequissimi hominis custodia, quàm quotidiana exercitatio, iuxta Catonis oraculum: Nihil agendo homines malè agere discunt. Cato. Colum. 11. cap. 1. ἀργία κακουργίας ἀρχή.

Operariorum copia sit pro ratione fundi. Cato. 1.

Ferrarij, lignarij, doliorum, cuparumque factores ad manus sunto, ne à labore solenni rusticos causa desiderandæ vrbis auertat. Pallad.

Agrum coli ergastulis pessimum, vt quidquid agitur à desperantibus. Plin. 18. cap. 6. Ergastulis nempe damnatis in opus.

In rebus agrestibus maximè officia iuuenum, imperia senum congruunto. Pallad. 16.

Præferenda vnius agilis atque industria, quàm decem hominum negligens & tarda opera. Ischom. Xenoph. Col. 11. ca. 1.

Seruos neque petulantes neque abiectos esse sinat. Aristot. Oeco. 1. ca. 5.

Litibus familia supersedeat. Cato. 5.

Si quis quid delinquat, pro noxa bono modo vindicet. Idem.

Familiæ vt bene sit, prouideto, ne algeat, ne esuriat. Cato 5.

Si seruus furtum faxit, noxámue nocuit,

sarto etiam domino, serui nomine actio noxialis esto: Dominus suo nomine non tenetor. Lex. 12. tab. At L. Aquilia Dominus suo nomine tenetur, non seruus. Cels. & Vlp. l. 2. de noxal. act.

Si familia furtum fecerit, potest dominus vel familiã dedere, vel tantum offerre, quantum si vnus liber furtum fecisset, & familiam retinere: idque intelligitur, si domino non conscio factum sit, nam sic suo nomine conueniri posset, & singulorum de familia. Vlp. l. 1. ff. si fam. furt. fecisse. dic.

Seruis secundum merita, cibum, vestem, quietem, & castigationem verbo & opere præstare decet. Aristot. Oecon.

Tria sunt seruis tribuenda, opus, cibus, castigatio. Cibus sine castigatione & opere, petulantes reddit. Opus & castigatio sine cibo, violenta res est, καὶ ἀδυναμίαν ποιεῖ. Aristot. Oeco. 1. cap. 5.

Idem Syracides præcepit: pabulum, virga, & onus asino, panis, disciplina & opus seruo, Syrac. 33.

Otium alit & incendit prauas cupiditates, sicut scriptum: Incrassatus est seruus & recalcitrauit. Deut. 33.

Cibum & potum salubriter apparari curet,

ret, atque vtiliter magis quàm delicatè. Colum. 1. ca. 8.

Vini vel nihil vel perpaucum dandum, cùm vini potus etiam liberos ad insolentiam inflammet, & plurimis locis etiam ingenui eo abstineant. Arist. Oeco. 1. ca 3.

Salubritati familiæ consulat, ægrotos curet, non eiiciat. Idem lib. II. 1.

Præstat opere fatigatum seruum diem vnum aut alterum sub custode requiescere, quàm pressum nimio labore noxam contrahere, atque longo tempore cum iactura operum decumbere. Colum. II. 1.

Mancipia neque formidolosa neque animosa animis habenda. Varro lib. 3. ca. 17. Et Aristot. Oecon.

Aediles aiunt: Qui mancipia vendunt, certiores faciant emptores, quid morbi, vitiú ve cuique sit, quis fugitiuus erróve sit, noxáue solutus non sit, eadémque omnia, cùm ea mancipia væneunt, palam ac rectè pronuncient. Quòd si aduersus ea vænisset, quod eius nomine præstari oportere dicetur, emptori, omnibusque ad quos ea res pertinet, iudicium dabimus, vt id mãcipium redhibeatur. Si quid autem post venditionẽ traditionemque deterius opera emptoris, familiæ, procu-

ratoriſue eius, factum erit, ſiue quod ex eo poſt venditionem natum, acquiſitum fuerit, & ſi quid aliud in venditione ei acceſſerit, ſiue quid ea ex re fructus prouenerit ad emptorem, vt ea omnia reſtituat. &c. Vlp. l.1.ff.de adil.edict.

Ordine cùm in aliis rebus tum in Agricultura nihil præſtantius ac magis neceſſarium: ἐστὶ δ' ὁδὲν ὅτως εὐ ἔχειν ὃ τ καλὸν ἀνθρώπως ὡς ἡ τάξις. *Xenoph. Oecon.*

Cunes rei diligentiam in quadã naui Phœnicia idem ſe vidiſſe commemorat, vbi cũcta ſic collocata, vt neque impedimento ſint, neque indagatore indigeant: & proretam ita omnis loci gnarum, vt abſens noſſet, vbi quæque res ſita ſit.

Vetus prouerbium eſt, Paupertatem certiſſimam eſſe, cùm alicuius indigeas, vti eo non poſſe, quia ignoretur, vbi proiectum iaceat, quod deſideratur. Itaque in re familiari laborioſior eſt negligentia, quàm diligentia. Colum. 12. cap. 2.

Supellex & inſtrumenta ruſtica ſuo quæque loco & ordine diſpoſita in promptu ſint, quoties vel promenda, vel requiſita, vel locanda, exemplo Phœnicis nauigij. Xenoph. Ariſtot. Oecon. Varro. 1. cap. 22.

In-

Instrumenta & supellectilem rusticam oportet dominum habere scriptam in vrbe, & ruri villicum. Varro 1. cap. 22.

Per ferias instrumentum rusticum, sine quo nullum opus confici potest, recognoscat, & sæpe inspiciat ferramenta: nam frequens recognitio, nec impunitatis spem nec peccandi locum præbet. Col. 11. cap. 1.

Duplicia semper comparanda, ac subinde refecta custodienda, ne si quod in opera vitiatum fuerit, à vicino petendum: quia plus in operis seruorum auocandis, quàm in precio rerum eiusmodi impenditur. Columella 11. cap. 1. Ex Hesiodo, δοιὰ δὲ ζεύγη ἄρητρα, *in Ergis.*

Agricultores dum agros colunt, non licet vel personas ipsas, vel iumenta, vel instrumenta, aut quidquid ad agriculturam pertinet, inuadere aut capere. Si quis contrà fecerit, quadruplum restituat, & infamiæ notam incurrat. Authen. Agricultores. C. quæ res pig. oblig. pos.

Vxor Villico contubernalis assignanda, quæ contineat eum, & in quibusdam adiuuet, rei familiaris dispẽsatrix sedula, & prudens, οἰκωρός. *Xenoph. Oecon.*

Mulier in hoc concessa, vt quæ sub tecto

sunt

sunt, hoc est, τὰ ἐνδότερα, curet instar apis in alueario, atque ideo corpus tenerius concessum.

Viri autem partes, vt quæ foris sunt, καὶ τὰ ἐκτὸς παίθεια, curet, atque ideo concessum corpus durius. Idem ibid.

Viri officium, vt in domum comportet: Vxoris, vt seruet. Idem.

Vxoris munia, vt familiam alat atque vestiat, idq; vtiliter & maturè magis quàm delicatè. Idem.

Ancillis opera diuidat, lanam, linumq; curet. Idem.

Mulierem fortem qui inueniet, de vltimis terris precium eius: Confidit in ea cor viri, lanam & linum quæsiuit, & operata est consilio manuum suarum, facta quasi nauis institoris de longè apportans panem suum: de nocte surrexit, deditq; dimensum domesticis suis, &c. digiti eius apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ à frigore, domestici eius vestiti sunt duplicibus &c. Prouerb. 31.

Si vir mulieris, & mulier viri partes peregerit, Deum, quem hoc non latet, vltorem sentiet, quòd functionem destinatam dese-

deſeruerit. Idem Xenoph.

Hortus iuxta villam ſit. Plin.19.4. Col. 11.3.Pallad.1.34.

Hortus quaſi altera ſuccidia. Cato 1. Cicer.Senect.

Nequam eſſe in domo matremfamiliâs, vbi indiligens eſſet hortus.Plin.19.c.4.

Hortus, qui cælo clementi ſubiacet,& humore percurritur,propè eſt, vt liber ſit, & nullam ſerendi diſciplinam requirat. Pallad. 1.cap.6.

Olerum furta Draconis lege apud Athenienſes grauiter punita.Fures aratri, aut vomeris, aut iugorum, à tempore furti facti,per ſingulos dies pendunto duodecim pholas. Iuſtinia.Legib.Ruſt.

Cùm veneris in agrum proximi,vuas comedere licebit, at non exportabis, & in ſegetem proximi, manu quidem decerpere licet, at falcem mittere non licet.Deut.23. Idem ferè Plato de Legibus 8. peregrinis concedit, vt de fructibus edant. Iuſtinianus quoq; his aſtipulatur in Legib.Ruſt.

Cùm meſſueris, quod remanet in agro, non colliges, ſed relinques pauperi. Leuitic. 23.

Qui ſepem in confinio ponet, terminum

ne

ne excedito, qui murum, pedem relinquito, qui domum, pedes duos, qui sepulchrum foueámve, quantum id profundum erit, qui puteum, passum: qui oliuam ficúmve, pedes nouem, qui denique alias arbores plantabit, quinq; pedes ab alieno loco ponito: in controuersia de finibus, quinque pedum vsucapio nulla esto. L. 12. Tab. Plut. in Solone. Caius. l. vlt. ff. Fin. regund. Cic. de Leg. 1.

Quidquid solo alieno implantatur, inseritur, aut inædificatur, solo cedit, iuxta regulam, Superficiem subiecto solo cedere. Caius. l. vlt. ff. de superfic.

Eius arboris, quæ in alienum agrum impenderet, circuncidere ramos quindecim pedes altius à terra, ius esto vicino. L. 12. tab.

Si vicini arbor in terram meam presserit, vt in meum fundum radices egerit, meã effici arborem: rationem enim non permittere, vt alterius arbor intelligatur, quàm cuius in fundum radices egerit: Et ideò prope confinium posita arbor, si etiam in vicinum fundum radices egerit, communis est. Caius l. Adeò quidem §. vlt. ff. de acq. rerum do. & l. 1. ff. de arb. cæd.

Recidere radices non licere, agere autem licebit, non esse ei ius, sicuti tignum immis-

sum

ſum habere. Paul. l. Si plures ff. Arbor. furt. cæſ.

Quæ arbor ex ædibus tuis in ædes illius impendet, ſi per te ſtat, quominus eam adimas, tunc quò minus illi eam arborem adimere, ſiòq; habere liceat, vim fieri vetat prætor. Arboris appellatione etiam vites continentur. Vlp. l. 1. ff. de arb. cædend.

Frumentum, vinum, oleum, ex alienis ſpicis, vuis, oliuis excuſſum, atque expreſſum, non dubium, quin eius ſit, cuius ſpicæ, vuæ, atque oliuæ fuerunt. Caius. d. l. Adeò quidem.

Glandem, quæ ex illius agro in tuum cadit, quo minus illi tertio quoquo die legere liceat, vim fieri vetat prætor. Glandis nomine omnes fructus, poma, pyra, nuces, ἀκρόδρυα, ect. continentur. T. 12. tab Vlp. l. 1. ff. de glande leg. & Caius. l. Qui venenum §. vltim. ff. de verb. ſignificat.

Qui arbores, maximè vites, cæciderint, eos tanquam latrones puniri. Caius. l. Sciendum. ff. Arb. fur. cæſ.

Furtim qui arbores cæciderit, & lucri faciendi cauſa contrectauerit, ſi lignorum cauſa, & condictione & ad exhibendum tenebitur. Si per vim, ſciente domino

cæcidit,

cæcidit, non incidit in hanc actionem. Paul. l. Faciendа. ff. eo.

Si colonus sit, qui cæciderit arbores, etiam ex locato cum eo agi posse. Caius. l. Si colonus. ff. eo.

Terminos arboréſve terminales non moueto. Deut. 19.

Maledictus, qui transfert terminos. Proverb. 22. Plato de LL. 8. μὴ κινείτω γῆς ὅρια, μηδεὶς λίθον ὁρίζοντα φιλίαν καὶ ἔχθραν ἐνόρκων θεῶν.

Vicinorum fines non transgreditor, neque interuertito. Iustinian. Imperat. l. 1. de Leg. Geor.

Finium regundorum iudici permittitur, vt vbi non possit dirimere fines, adiudicatione controuersiam finiat. Vlp. l. 2. ff. Finium regund.

Ad officium iudicis de finibus cognoscentis pertinet, mensores mittere & per eos dirimere, ipsam finium regundorum quæstionem, vt æquum est, si ita res exigit, oculis quoque suis, subiectis locis. Vlp. l. Si eruptione. §. vltimo. ff. Finium regund.

BRE-

BREVIARIVM AGRICVLTVRAE, OPERVMQVE RVSTICORVM PER menses digestio.

IANVARIO mense.

OPTIMA *commodissimáque opera, segetibus triturandis impenditur, maximè cum gelat, quòd tum facilius excutiantur frumenta.*

Materia optimè cæditur hoc mense, ac per totam brumam, luna sub terrâ existente, & decrescente à vicesima ad triceſimam: vt Vitruuius tradit lib. 2. cap. 11. & Gell. 11. cap. 2.

Porci saginati mactantur.

Quibusdam locis hactenus glandibus saginantur.

Hoc mense lardi, pernarum, echini, raparum, iusta conditura, Colum. & Pallad.

Locis tepidioribus, nisi gelu, & niues impediant, vites ablaqueantur, & circa radices terra aperitur, vt solis tepore atque imbribus prouocentur. Columell.

Arbores putantur, ablaqueantur, & runcantur, arida superfluáque resecantur. Colum.

Etiam vites putantur, sed cauendum, ne matutinis pruinis, ac gelicidiis saucientur.

Musco arbores liberantur; agris cinere insperso.

Arbores transplantantur, si per gelu & niues liceat, id quod & præcedenti, & sequenti mense fit.

Tribus hisce brumæ mensibus perticæ saligneæ pangiuntur vtiliter, si per tempestates conceditur.

Fimus, sereno cælo, stercorandis agris exportatur.

Prata locis apricis & aridis macrisuè purganda. Col.

Quibusdam locis aratur. At vulgus rusticorum magis optat hoc mense lupium, quàm aratrum in agro conspicere.

Calidioribus regionibus lactuca seritur,

vt

vt Februario transferatur: Item, Nastur-tium, eruca, nuces iuglandes, amigdalæ hoc mense seruntur, etiamsi liceat id alius quoque mensibus.

Vepres in agris attenuandi, ne incremento suo agros occupent.

Agni maturi, & reliqui pecudum fœtus, charactere signandi. Colum.

FEBRVARIO.

Etiam hoc menſe antelucanis lucubrationibus trituratur, aliáque ꝯ neceſſaria expediuntur.

Nuces iuglandes, amygdalas, & glandiferas plantas hoc menſe quoque tempeſtiuum ſerere.

Seminaria pomorum, aliarumq; plantarum facienda: maturæ plantæ de ſeminariis in ſcrobes transferendæ. Colum.

Salices fraxinos, priusquam frondeant, plantaſque vlmorum, nunc ponere, vtile eſt.

Quernæ plantæ nouellæ transferuntur commodè terra quam latiſſimè foſſa.

Lupulo ſalictario plantando terra paſtinatur, ac ſtercoratur. Vide de ꝯ Lupulo lib. 2.

Perticales ſalices, ſi per gelu & tempeſtates licet, ponantur, luna creſcente.

Putantur vites, & ſalices, luna creſcente, ſpirantibus Zephyris, aut Noto; vitandus Boreas.

Materiam etiam hoc menſe cædere licet, luna deficiente, vel in coitu exiſtente.

Columbaria expurgantur, nidi crateſque ſarciuntur, ne vacillent, néue oua excidant.

Iam

Iam enim columbæ incipiunt parere.

Oua excludendis pullis, ſupponuntur gallinis, anſeribus, anatibus, pauonibus, aliiſque auibus.

VII. Calend. Martij hirundinis aduentus.

Piſcantur aliqui ſi locus & cælũ patiatur.

Septentrionalibus locis terra colitur, ſiligini æſtiuæ ſerendæ.

Prata, vel fœno producendo, vel paſcuis deſtinata iam à pecore vindicanda, curandáque vel elicibus ſulciſque aquariis, vel ſi macra ſint prata, ſparſo lætamine ſaturanda. Pallad.

Agri vliginoſi proſcinduntur.

Hortos incipiunt paſtinare ac præparare.

Seruntur pleriſque locis hortenſia, pro cæli locorumque ratione.

MARTIO.

Horti instruuntur plantis serendis. Columell.

Vitis eximia putatio, à Calendis Martius vsque ad x. Calend. Aprilis: si tamen gemmas non protruserit. Silentes surculi nunc præcipuè leguntur. Colum.

Insitio arborum frequentatur, antequam oculos emittant. Colum. Vide de insitione, lib. 2.

Asparagi, cucumeres, melones, lactucæ, pisa, fabæ, radiculæ, dauci, spinaria, pastinacæ seruntur. Vide lib. 2.

Circa Idus aratrum educitur, iuxta vulgi Belgici dictum: Sanct Gertrud / furt den Pflug vth.

Etsi pro cœli & regionis ratione ante vel post quoque paretur.

Terra si siccata sit, lupinum, medica, sporia, hordeum, & æstiua trimestriaque frumenta seruntur, luna crescente, præter pisa, quæ deficiente seruntur melius.

Plantantur coryli, fraga, rosaria, crocus, violæ. Pallad.

Nuces auellanæ ponuntur suis nucibus: plantis tamen melius proueniunt. Pallad.

Myxa

Myxa è nucleis in vase positis, donec plantæ induant firmitatem, inseruntur sorbis vel spinis.

Lupulus si autũno metu hybernæ glaciei non fuerit plantatus, iam recisis sarmentis in terram mergitur curaturq;. Vide lib. 2.

Perticales salices etiam nunc ponuntur.

Sepimenta, quæ autumno prætermissa, sarciuntur hoc, & proximis mensibus.

Oua supponuntur auibus, pullis excludendis.

Hordeum hoc mense ac sequentibus duobus maceratur vtiliter, & exiccatur, coquendæ cereuisiæ durabiliori & ab acore tutiori.

Hordeum æstiuum, auena, pisa, fabæ, lupinum, vicia, lens, & trimestria seruntur.

Oues & quadrupedia hoc mense comparanda. Iam enim sanitas tutior, & vitia patent, atque sagina fallaciam venditoris celare non potest. Pallad. Esse autem comparandas oues ad naturam loci, & intonsas: canum variumque colorem vitato. Colum.

Ouibus hoc tempore præbenda grana iuniperi contusa, & sale, atque auena mixta.

Hoc mense ædificatio, & cæmentatio inchoanda, quando gelu amplius non metuitur.

Lateres ducendi per vernum tempus, & autumnale, vt vno tenore ſiccẽſcant; nam qui per ſolſtitium parantur, vitioſi fiunt; quod eorum ſummum corium ſol quidem percoquit, interius tamen nondum ſicci, & rimoſi ſunt; quare præſtare exiſtimat Vitruuius, eos, qui ante biennium ducti fuerint: quòd ante non poſſint penitus ſiccẽſcere. Vitruu. lib. 2. cap. 3.

Tondenda ſepes viua hoc & ſequẽti menſe: quibus & alia multa vtiliter fiunt.

Qui piſcium habent viuaria, hoc menſe piſces; maximè Carpiones eximunt, atq; foro proſtituunt. Vide lib. 4.

Apes pinguiores caſtrantur.

APRI-

APRILI.

Trimestria adhuc seruntur frumenta, ac semina, leguminaque, præter pisa, cælo sereno, locis & temporibus frigidioribus.

Faginum triticum seritur, atque sporia, semini ferendo. Seruntur adhuc, si sic ferat temporis, & aëris temperatura, sinapium, anethum, aliæq; plantæ.

Vineam, priusquam floreat, fodere oportet. Colum.

Lupulorum perticæ ponuntur alicubi, sed non est præproperè lupulus eliciendus.

Seritur brassica plenilunio.

Plantantur etiam fraga, & similia quædam, vt in Martio, pro cœli constitutione.

Isatis seritur, circa festum Pascha, vulgi obseruatione. Vide lib. 2.

Linum & Cannabis seruntur, etsi cannabis circa VIII. *Calend. Maij apud nos seri consueuit non infeliciter. Palladius in vno pede quadrato sex grana ponenda tradit: nostri densius serunt vtiliter. Pallad. 278. Colum. 146.*

Piscatio institui solet, vbi eius vsus.

Piscium seminaria viuariis immittuntur & piscinis.

Boues ad saginam in pascua mittendi cõparantur.

Equarum & hoc & sequenti mense fit admissura; ita ad sequentis anni Maium fœtus pascuis aluntur, nam duodecim mensibus partum fert equa.

Castrantur agni, porcelli, vituli.

Viæ & itinera hoc tempore reficienda.

Aggeres, molesque aduersus exundationes ponantur.

Messis rapacea hoc aliquando mense, alias Maio.

Seritur, rapacea sublata, faginum triticum.

Ouium tonsura iis locis, vbi bis tondentur.

Apes hoc mensẽ quærendæ locis apricis: iam enim prouolant, prouocantibus arborũ, rapacijque floribus.

Apum cura hoc tempore maximè incumbit.

Cauendum, ne post hyberna ieiunia tithymali aut vlmi floribus qui iam erumpunt, auidius appetitis citam aluum contrahant: Remediis igitur huic noxæ occurrendum.

MAIO.

MAIO.

Equæ cum pullis, boues ſaginandi, vaccæ, aliáque animalia paſcuis immittuntur.

Equarum admiſſura adhuc durat: Rapacea meſsis alicubi.

Apium hoc menſe ſeri Palladius tradit.

Butyrum & caſei conficiuntur.

Areæ hoc menſe & pauimenta ſternuntur commodè; nam & caloribus inſtantibus ſiccantur, & beſtiarum calcibus minus læduntur.

Parietes delutantur.

Tecta villarum, ſtabulorumq; ſarciuntur.

Argilla cõficitur, luna decreſcente. Vitru.

Lateres ducuntur. Pallad.

Ouium admiſſuram ab Idib. Maij vſque XIII. *Calend. Auguſti probant Varro & Columella. nam 5. menſibus partum fert ouis. At noſtri tempus certum non ſtatuunt, & hybernos agnos præferunt, quia locis quibuſdam bis pariunt. Vide Menſem Auguſtum.*

Herbis inutilibus, carduis, lolio, cæteriſq; noxiis ſegetes & paſcua liberantur vtiliter.

Etiam nunc figuntur lupulo ſalictario pali, quorum adminiculo ſubrepat.

Piſca-

Piſcationi commodum tempus maximè anguillarum, trutarum, cancrorum, ac puſillorum piſciculorum in riuis ac flaminibus.

Herbæ percolantur, & excoquuntur diſtillationibus.

Acetum fit roſaceum, ſambuceum, atque omnium generum: Roſatum quoque: (Vide Palladium:) Item conditanea varij generis: Oleum roſaceum, liliacum &c.

Equi purgantur viridibus herbis.

Fimus egeritur lætificando reſtibili agro.

Fœnum vernum alicubi metitur ad finem huius aut ſequentis menſis initium.

IVNIO.

IVNIO.

Alicubi adhuc meſsis rapacea.

Lupulus ſalictarius à quibuſdam hoc menſe alligatur, nam ſi citius alligetur, luxuriat, fructumq; minus copioſum fert.

Segetes inutilibus noxiisque herbis purgantur.

Fœnum vernum plærunq; hoc menſe ſecatur, ſiccaturque.

Braſsica transfertur cælo pluuio, cum ſit ſex foliorum.

Hoc menſe ſerenda, quæ Auguſti initio transferenda.

Vitium pampinatio. Colum.

Endiuiæ & boraginis capita, ac ſuperiores thyrſi, abrumpuntur, vt ſic tranſplantati hyemi ſeruiant.

Olera & herbæ, quæ à ſolſtitio ſeruntur, non ferunt ſemina, quare nunc plurimum olera ſeruntur.

Iſatidis prima meſsis.

Iuglandes nuces adhuc teneræ condiuntur.

Ouium tonſura ijs locis, vbi ſemel tantùm tondentur.

Ouium delectus habendus, & vetulæ, ac fœtu-

fœturæ parum idoneæ ſaginandæ, & vel mercatui vel priuatæ culinæ deſtinandæ.

Solſtitium, VII. *Calend. Iulij iuxta Cæſarem. Aliis* XVII. *Calend. Iulij, hoc eſt,* XIII. *Iunij, Ptolemæo* VIII. *Calend. Iulij, hoc eſt,* XXIIII. *Iunij. Gregorianum Calendarium reuocauit Solſtitium ad* XI. *Calend. Quinctil. hoc eſt,* XXI. *Iunij.*

Aeſtiuus cardo.

Anſerum pulli, & porci, ſi deſint, comparandi ad meſſem, reciſis & caducis ſegetum ariſtis quiſquiliſque ſaginentur.

Meſſis hyberni hordei.

Aluearia quibuſdam locis caſtrantur, & mella reciduntur maximè matutinis horis, cum adhuc torpent apes, neque Solis ardoribus exaſperantur.

Ceræ confectio.

Hoc tempore noua examina egrediuntur; apiarius attentus ſit, ne effugiant.

Pampinandæ vites locis frigidioribus: feruentibus & ſiccis obumbrandæ.

Ceraſorum conditura, & fragorum, prunorumque.

Pruna damaſcena torrentur fornacibus, nondum prorſus mollia.

Por-

Porcos & oues subinde hoc, & sequenti mense mersare, salubritati huius pecoris conducit.

Solstitio quibusdam locis rapa seritur, in solum demessi hordei hyberni, aut siliginis.

IVLIO.

IVLIO.

Messis siliginea. Etsi alias citius, alias tardius pro temporis regionisq; ratione.

Siligine sublatâ solum mox aratur serendis rapis. Felicius enim siligineis stipulis, quàm hordeaceis committuntur.

Triticea mox sequitur messis.

Auenacea, hordei æstiui, leguminum, cæterorumq; trimestrium messis.

Etiam hoc mense pecora & porci mersantur salubriter.

Apes hoc mense ad myricas iam florentes transportantur, idq; noctu ac leniter.

Oues saginandæ segregantur, pascuisq; lætioribus immittuntur.

Lini alicubi messis, maturitatem flauescentes folliculi declarant. vide lib. 1. de Lino.

Cannabea messis, in qua primùm fœmina euellitur, maceraturq; ad dies octo: inde sole siccatur: post XV. *aut circiter, dies, mas quoque vellitur, & vbi paululum exaruerit, semen excutitur, inde maceratur aqua, vti & fœmina.*

Tauros hoc mense submittendos, Varro præcipit, & Palladius & nostrates circa ferias Iacobi, vaccarum admissuras probant,

bant, vt ad Aprilem vel Maium, paſcuis vicinum tempus, partum edant; ſiquidem decimo menſe pariunt.

Quibuſdam locis ſeptentrionalibus adhuc & ſequenti menſe fit meſsis, ſporia ſeritur depaſcenda. Vide lib. 1. de Pabulis.

AVGVSTO.

Messis septentrionalium.

Cannabea quoque alicubi messis.

Putei, qui perennitatem sint habituri, hoc mense & ante æquinoctium autumnale, in extremis partibus virginis Sole existente, fodiendi, nam terra iam longo æstu siccata est. In fodiendo cauendum fossorum periculum, quod plerunque terra sulphur, bitumen, atq; alumen educens pestilentem exhalat anhelitũ, qui occupatis naribus extorquet animas.

Periculum faciendum lucerna ardente, quæ si extincta non fuerit, periculo vacat; si verò extinguatur, cauendus locus, & vicinus vel dexter, vel siniſter occupandus. Pallad. Fossores periclitantes, si mox in aquam mittantur, restitui dicit.

Aquæ ductibus hic mensis idoneus.

Aggeres, & moles aduersus hybernas exundationes struuntur.

Linum & cannabis iam ante macerata vndis, solibusq; aut focis exiccata, deinceps antelucanis lucubrationibus franguntur, decorticanturq; ligneis mandibulis. Plin. 19 9.

Pyra Augusto matureſcunt, & alij fructus quidam. Gallorum castratio.

Om-

Omphacium ex vuis nõdũ maturis cõficitur.

Pampinis vitem spoliant, vt percoqui fructus possint, nec putrescant imbribus, at calidioribus regionibus, obumbrantur, ne caloribus exarescant. Colum.

Apri saginantur.

Rapaceum semini ferendo, è quo oleum funditur, 15 Augusti seritur.

Porci è messe habitiores facti cõmodè stabulis committuntur saginandi, antequam quod è messe accreuit saginæ, amittatur, & tepidiore adhuc cœlo melius pinguescant.

Epyris fiunt liquamina, & acetum.

Apes à Festo Bartholomæi existimantur parum proficere in mellificio.

Ouibus à messe vt plurimum nostratibus saliẽdi tempus tribuitur, etsi Columella vernum tẽpus admissuræ concedat, si sit ouis matura: sin fœta, circa Iulium mensem. Prius tamen probabilius, vt autumni pabulo saturatus agnus, ante hyemis frigora confirmetur. Colum. 7. 3. Varro ab Arcturi occasu ad Aquilæ occasum, quod quæ post concipiant, sint vegrandes, & imbecilles. Prægnans autem ouis 150. diebus. Varro lib. 2. Alij quinque mensibus; quod eodem redit.

Ceruorum venatio.

SEPTEMBRI.

Hybernis frumẽtis ſerendis ſolum aratur.

Hordeum hybernum ſeritur, & triticum atque ſiligo, vt radices ante hyemem conualeſcant. Pallad.

Intyba, quæ hyemi ſeruiant, ſerenda, vt quæ ab incremento immodico hyemis occurſu reprimantur.

Fœnum autumnale ſecatur.

Braſſica hoc menſe ſeritur, quæ Nouembri ineunte transferatur, & per hyemem olera præbeat. Pallad.

Lateres hoc menſe, vti & Maio, faciendi. 286.

Lucubrationes matutinæ ad Natiuitatis Mariæ feſtum alicubi inchoantur.

Galli caſtrantur.

Poma leguntur.

Lupuli ſalictarij vindemia.

Cydonia leguntur.

Acetum fit ex muſto.

AEquinoctium autumnale ad VIII. *Calend. octobris Plinio, hoc eſt, ad 24. Septembris. Noſtris ad* XIII. *Septemb. triduo ante Lamberti diem, cum ſol in libram ingreditur. Ptolemæo* XXI. *Calend. Octob. hoc eſt, 21.*

Septemb.

Septemb. die Matthæi : ſicut etiamnum Gregoriano Calendario.

Iuglandes nuces decutiuntur.

Iumentorum & porcorum delectus habendus, & quæ per hyemem pabuli inopia ſeruari non poterunt, diſtrahenda.

Saginata, quibus carere licet, pro pecunia commutanda.

Boum ſaginatorum mercatus.

Boues comparandi, & per hyemem alendi, quibus pabulum ſuppetit, vt ad futuram æſtatem ſaginæ ſuppetant.

Vindemiæ apparatus:

Vaſa comparanda muſto recipiendo.

Lupuli vindemia.

Omphacium ex immaturis vuis paratur.

OCTOBRI.

Vindemia hoc menſe præcipuè celebratur.

Maturitas cognoſcitur, ſi expreſſa vua vinacei, qui in acinis cælantur, iam infuſcati, ac propemodum nigri fuerint. Colum. 11. c. 2. fol. 194. Pallad. lib. 10. c. 11.

Defrutum lixiuum, protropum, paſſum, ſapa decoquitur. Colum. 194.

Sinapium muſto temperatur.

Poma, pyra, cydonia conduntur.

Apum mella reciduntur, & ſuperflui fœtus conduntur: reliqua pars relinquitur pro hyemis inopia, ſi ſterilitas apparet, nihil adimendum.

Stabula præſepia, farraginaria, quæ pecori futura per hyemem præſidio, hiſce diebus apparantur. Colum. 194.

Sporia in agris paſcuntur, & lactantia, & ſaginanda animalia.

Ablaqueãda nouellæ vineæ, amputatis radicibus ſuperuacuis. Colum. 110.

Hortorum ſpacia, quæ per vernum tempus ſeminibus implenda, tribus pedibus altè paſtinanda, & luna decreſcente, ſtercus inferendum. Pallad.

Mure-

Murenulæ hoc tempore, quòd macilentiores, commodius condiuntur.

Perdicum aucupium, agris iam vacuis, & cum pruinam senserit, melius asseruantur.

Lucubrationes antelucanæ trituræ, hoc & sequentibus mensibus frequentantur.

Cannabis & linum ligneis machinis, veluti mandibulis, confringuntur.

Salices incipiunt putari.

Sepimenta vetera importantur, ne direptioni per hyemem exposita maneant..

Pyra hyberna colliguntur, decrescente Luna.

Mactatio boum ouium q; pinguium.

Zea & Alica fit, farciminibus & intestinis implendis.

Curantur in hyemem necessaria, calciatus & vestitus.

Oleum è rapaceo & iuglandibus funditur in vsum penuarium.

Lupuli sarmenta reciduntur: humus in tumulos aggesta fimo operitur per hyemem.

Aprorum venatio, glandibus aliisq; fructibus saginatorum.

NOVEM-

NOVEMBRI.

Arbores ablaqueandæ, & circumfodiendæ, & fimus, aut iuglandium cortices circumponendæ. Colum. 194.

Arbores etiam hoc menſe transferuntur, vti & in Februario, ſi per gelicidia liceat, veluti pomi, pyri, iuglandes, ſalices.

Putandæ arbores nouilunio. Fauoniis ſpirantibus, aut Noto: vitatur Boreas.

Tondentur & aliæ arbores ad Aprilẽ vſq;.

Aluei apum hoc tempore ſordibus liberantur; quia tota hyeme eos aperire aut mouere non oportet. Purgãtur die aprico tepidoq;, idq; pennis auium maiorum, quæ rigorem habent, vel aliquo ſimili purgantur, quò manus attingere non licet, rimæ omnes luto & fimo bubulo miſtis linendæ geniſtis vel aliis tegumentis, veluti porticum facias, vt à frigore & tempeſtate defendantur.

Suum admiſſura hoc tempore commoda, vt Aprili pariant: ſiquidem quatuor menſes fœtæ, quinto pariunt. Atque ſic iterum in Auguſto partum edere poterunt.

De ouium admiſſura in Auguſto diximus & Maio.

Tardi per hyemem commodè capiuntur.

DECEM-

DECEMBRI.

Inuitat genialis hyems, curaſque reſoluit.
Verg. Georg. 1.
Iã gruibus pedicas, & retia ponere ceruis. Idẽ.

Trituratur matutinis horis.

Lucubrationibus antelucanis, quibus non ſuppetit trituratio frumenti, alij aliis incumbunt operibus vtilibus.

Qui vineas habent, palos & ridicas præparant. Qui apes, apiaria. Alij alia conficiunt, quorum in aliud tempus, cum ocium non eſt, vſus eſſe poterit. Colum. 176.

Suum admiſſura hoc tempore, vel circiter, adhuc curanda, ſi ante neglecta.

Mactatio porcorum ſaginatorum paſſim frequentatur.

Materia hoc menſe cædi poteſt, & per totam brumam, luna decreſcente.

Bruma vel ſolſtitium hyemale V III. *Calend. Ianuar. Plinio. lib. 18. cap. 25. Noſtri pridie Luciæ. i.* XII. *Decembris. Sed iam Gregorianum Calendariũ ad* X I. *Calend. Ianuar. i. c. 21. Decembris. Auibus capiendis hoc tempus accommodum.*

Halcyonij dies ſub brumã, ab halcyone fœſificante dicti: imago Eccleſiæ & piorũ dicti.

INDEX
RERVM AC VERBO-RVM QVÆ IN HIS LIBRIS PRÆCIPVE explicantur.

A

Bics 405. 417.
Abietis vſus 417.
Abietum ſyluæ 404.
Abſinthium 270.
Acer arbor 425.
Acernæ menſæ ibid.
Acerui coriorum terra ſimo maceratorum 75.
Acetaria 190.
Acetoſa 224.
Acetum è pomis 350.
Acetum è pyris 354.
Accipitrarium aucupium 792.
Accipitrarij aucupij modi 793.
Accipitrum domandorum ratio 798.
genera varia 795.
precium magnum 797.
Actæonis apologus 729.

Ædifi-

INDEX

Ædificiis idonea materia 426.
Æsculetum 399.
Adoreum 113.399.
Africæ fertilitas 72.
Ager frumentarius 65.
Ager quid 87.
Agri deligendi curandique ratio 63.
Ager iteratus 89.
novalis 88.
qui vna aratione conseri possit & qui iterandus 91.
restibilis 87.
seamnatus 90.
strigatus ibid.
tertiatus 89.
Aglaus Apollinis oraculo cur felix iudicatus 25.
Agnorum educatio 535.
Agricolæ candor 64.
Agricolæ fortunati 24.
Agricolis Imperatores orti 19.
Agricultura artium aliarum nutrix 21.
Agricultura consanguinea sapientiæ 20.
Agriculturæ canon antiquiss. 99.
Agriculturæ nobilitas 21.
vetustas 19.
Agriculturam Deo placere 23.
non esse sordidam 24.
Agrifolium 424.
Agri frumentarij cum vinea collatio 305.

Agri

Agri mercandi cautio 180.
Agro mercando quid Cato inſpiciendum ſuadeat 182.
Agro mercando aquæ habenda ratio 183.
vicini habenda ratio ibid.
Agrorum gradus 64.
Ἀχρόδρυα 371. 401.
Ala aratri 79.
Alburni piſces 827.
Alces quomodo capiantur 783.
Alica 111.
Allium 238
Alnus 405.420.
Amaranthus 259.
Amygdalæ amaræ quomodo dulces fiant 372.
Amygdalæ nuces 371.
Amygdalus ibid.
Amylum 106.
Anates 632.
Anates è fructibus arborum vbi 633.
Anethum 226.
Aniſum ibid.
Anguilla 828.269.
Anſeres 626.
Anſerarij conſtitutio 628.
Anſerini iecoris mira magnitudo 631.
Anſerinorum ouorum excluſio 629.
Anſerum partus 628.
Anſerum ſaginandorum ratio 630.
Anthias piſcis 821.
Anthicon captura 824.

Anthonij Eremitæ dictum 14.
Apes alueis nouis delectantur 695.
amissæ quemodo reparentur 714.
cicures 680.
comparandæ è vicinia 679.
comparandæ quæ & qua cõsideratione 678.
conglomeratæ pendentes quid denotent 697
è iuuenco quomodo procreentur 715.
è longinquo quomodo transferendæ 679.
excitentur quibus 701.
feræ 680.
fumo è specu expelluntur 682.
Musarum volucres Varroni 670.
optimæ quæ 677.
plantis quibus gaudeant 685.
quibus offendantur 686.
profligatæ quo pacto reuiuiscant 713.
quo tempore lateant 690.
si fœtibus non studeant vt curandæ 719.
syluestres quomodo captentur 680.
tempestatis sunt prænunciæ 673.
incubare 710.
Aphia piscis 825.
Apiaria hyeme non mouenda 725.
in arboribus vbi 680.
quomodo curanda 722.
Apiarium sub oculis domini constitutum esse debere 684.
Apibus aqua perennis necessaria 685.
cura per totum annum necessaria 722.
crabrones insidiantur 725.

echo inimica 684. 720.
fumus vtilis 684.
papilionum infestorũ necandi modus 724.
quæ nocẽant 683. 720.
quæ prosint 683.
samera nociua 717.
tithymalus perniciosa ibid.
vallis quam editior locus commodior. 684.
Apicæ oues 528.
Apium seu selinum 225.
Apluda 124.
Apothecæ 45.
Apuæ pisces 818.
Apri feriendi ratio 778.
Aprorum venatio 776.
Apum abortus 712.
ægritudinum curatio 718.
ætas 712.
aluearia quando purganda 722.
aluei 687
aluei angusta foramina habeant. 690.
alueis hyberno tempore auiculæ includendæ 726.
alueorum tineæ 725.
alueolo ad paucitatem redacto quomodo paucitas suppleatur. 708.
benè valentium indicia 716.
blapsigoniæ curatio 719.
castigatio cessantium 674.
castrandarum ferramenta 700.
castrand. tempus 700.

caſtratio vel vindemia 698.
caſtratione vnde fumus excitandus. 700.
cibus 692.676.
diuina mens 670.
diſtributio operum 673.
examina Maio augeri 723.
examinandi tempus ibid.
excluſio 711.
Apum excubiæ 671.
fauorum eximendorum tempora 699.723
figuratio 702.
ſecunda exemptio 725.
fauus 674.691.
fœtus quo tempore peragatur 712
fucus 676.698.
fuga quibus cohibeatur 694.
fugæ futuræ indicia varia ibid.
fugæ ſubitaneæ ſigna ac remedia. 695.
fur 676.
genera ibid.
generatio 709.
incubatio 710.
induſtria 669.
inueſtigandarum modi 681.
inueſtigandarum tempus 682.
hyberna cura & pabula 693.726.
iracundia quibus cohibeatur. 702.
malè valentium indicia 716.
matres 677.
meſſes duæ 702.
morbi & præſeruatio 717.

Apum operandi initium 690.
operis morti 720.
operis ordo 690.
operis pictura Vergiliana 675.
operis vocabula 675.
phagadœna curatio. 719.
quies 672.
rege senescente quid agendum 198. 708.
reges plures in vno alueo 696.
reges vbi requirendi 697.
regia 671.
regimen ibid.
regiorum pullorum sedes 709.
regis forma 677.
respublica 670.
rex ne fugiat 698.
soboles propaganda 619. 713.
statio quodammodo constituenda 683.
structura 674.
translatio pabuli gratia vt fiat 727.
Aquæ in villa habenda ratio 34. 183.
Aquifolium 424.
Aquilonares arborum partes musco obduci 415.
Aranda quoties terra ad sementem 85.
Arandi ratio. 78.
Arandi tempora 83.
Arandum etiam noctu 84.
Arandum non esse pluuio cælo 81.
Arangia 362.
Aratra & eorum partes 79.
Arbies Ichthyophagi 805.

Arbor

Arbor boni & mali scientiæ cur condita. 276.
Arbores generatim 278. 335.
Arbor innuens se frangi 424.
omnibus horis pomifera 345.
sapientissima quæ 365.
Arbores aliæ alio situ gaudent 395.
Arbores materiæ magis idoneæ 417.
nauibus idoneæ 417.
ne à vermibus infestentur remedia 392.
nonnullas felicius semine prouenire 369.
transplantandæ notandæ in cortice 390.
præpropere non putantur ferre fructum durabilem 385.
quæ fisso ligno inserantur 284.
quæ inter corticem & lignum inserantur ibid.
quæ quibus inserantur ibid.
quando prægnantes 414.
quando purgandæ 389.
Arbores quo pacto ad materiam cædendæ 414.
semine tardius proueniunt 369.
semper virentes 278.
tonsuræ idoneæ 410
Arboris transferendæ pars meridiana notanda 302.
Arboribus vrinam prodesse 391.
Arboripetæ accipitres ibid.
Arborum ablaqueatio 389
Arborum adeps 430.
aduersus nebulas remedium 391.
ægrotarum remedia 392.

caduca ferentium remedium 390.
caro 431.
cortex & eius vſus 430.
cura 383.386.
cutis 430.
inſigne donum 275.
fructiferarum partitio 278.
fructus vt citius maturent 391.
furtim cæſarum lex 412.
infructiferarum remedia 390.
interlucatio 389.
interualla 386.
marcor ſiue caries 431.
natura perſitum 395.
nouellarium putandarum ratio. 390.
orda quincuncialis 274
Arborum orda ſcacatus & alueolatus 274.
oſſa 431.
plantandarum & inſitionum genera 283.
pulpa. 431.
ſanguis 330.
ſcarificatio 389.
ſeminarium 299.
ſpecies 277.
ſtercoratio 286.
ſtillicidia. 282.287.
ſympathia 282. 284.
tondendarum ratio. 411.
tranſplantandarum modus 390.
tubera 431.
vena ibid.
vermes

vermes vt pellantur 392.
vmbrarum ratio. 282.387.
Arbuſtum 317.
Arcturi occaſus 534.
Arcturi ortus 725.
Area 166.
Arengæ 819.
Arietes quales comparandi 528.
Arietis admiſſarij electio. 537.
Ariſtæ 101.
Armaracia 231.
Armeniaca 381.
Armenta 442.
Armentarij ad Imperium euecti 441.
Aruncus Plinio quid 552.
Aruum ſiue aruus. 87.
Aſina 487.
Aſinæ partus 488.
Aſini admiſſarij educatio 493.
Aſini claudicantis remedia 490.
Aſini precium 488.
Aſini vſus 487.
Aſparagi baccæ 214.
Aſparagus 212.
Aſyla ferarum 769.
Atrare quid 89.
Atriplex 223.
Auena. 118.
Auenacea meſſis 161.
Auiaria quibus præſidiis aduerſus hoſtes munienda 655.

Aulicorum ſplendida miſeria 24.
Aure trabi admota ictus ſentitur 431
Auulſione & ſtolonibus quæ plantentur 197.385.

B

Balena 813.
Bannales tauri & verres 506.
Barbatus 829.
Baſilica 257.
Bauli villa ad Baias 662.
Beatus quis 26.
Berg horrei genus 48.
Bericoca 381.
Beta 226.
Betonica ſeu Vettonica 261.
Betula 404. 421.
Biſonum venatio 787.
Biſontes 526.
Bobus emendis ſtipulatio vſitata 500.
Borago 241.
Boues 498.
Boues quibus ſaginentur 511.
Boues quomodo emendi 501.
Bouis forma 501.
Bouis tuſſis 520.
Bubali 526.
Bubilia 512.
Bubuli armenti pabulum 510.
Bubuli pecoris claudicationis curatio 521.
cruditatis curatio 518.

Bubuli pecoris cane rabido morsi curatio 524.
coriaginis curatio 525.
febris indicia & curatio 521.
neruorum doloris curatio 522.
præsepia & stabula 514
pedum subtritorum curatio 524..
sanguinis profluuij curatio 525.
sanitatis cura 514.
scabiei cura 524.
suppurationis cura 523.
tali læsi cura ibid.
torminum signa & cura 519.
ventris inflatio & cura 518.
vngulæ læsæ cura 523.
Bubulo pecore aquando 511.
Bubulo pecori pascendo loca idonea 512.
Bugloſſum 241.
Butyrum 556.560.
Braſſica Allobrogica 220.221.
Marucina 221.
Tritiana 221.
Bruſcum 425.
Bromos Dioſcoridi auenæ genus 119.
Buxus 422.

C

Cachrys 255.
Cactus 252.
Calami quomodo ſeruentur diutius 291.
Calcis in ſtercorando agro vſus 77.

Callichus 824.
Cameli 495.
Cameli Arabici 496.
Bactriani ibid.
partus ibid.
Camelopardalis 497.
Camelorum coitus auersus 496.
Camelum è sue concipere 497.
Canes 588.
Albanici 744.
Anglici ibid.
aricinis quomodo liberandi 598.
Britannici 744.
Emissarij 743.
Hispanici 742.
Laconici 744.
Leporarij 743.
Norwegici 744.
Numellarij 743.769.
venatici Syllogismo vtuntur. 755.
vertagi eorumq; forma. 743.
vulpini 742.
Cancri 828.
Cancrorum odor apibus nocet 721.
Candelæ ex arboribus 433.
Caniculæ exortus 724.
Canis marinus 814.
Canis œcurus ac villaticus 589.
pecuarius qualis quærendus 590.
rabidi signa 599.
Cannabea messis 159.

Can-

Cannabis 153.
Canterium quid 309.
Cantharus piſcis 824.
Canum ætas 594.
caudæ præcidendæ ratio 596.
collaria 746. *cibus* ibid.
color 592.
genera 589.
genus conſiderandum 594.
immenſa precia ibid.
morbi & curæ 598.
nomina 597.
partus 594.
Canum venaticorum acclamationes 755.
color 742.
educatio 745.
forma 742.
nomina 745.
Capitones 823. 827.
Capræ 551.
Capræ forma & ætas ibid.
Caprarum ætas vnde colligenda 555.
emptionis ſtipulatio 552.
morbi eorumq; curatio 556.
mores & ſolertia. 555.
Capras auribus ſpiritum ducere 553.
gregatim potius quàm particulatim emendas 552.
morbo eſſe obnoxias. ibid.
Caprile quale eſſe debeat. 556.
Caprorum mutilorum ratio 554.
Carabi 818.

Carabus 824.
Carbones cerri 429.
flammæ resistentes 430.
Iuniperi ibid.
Carduus satiuus 250.
Cariophyli 261.
Carota 234.
Carpio 827.
Carpo 825.
Casei ingentis magnitudinis 563.
parmenses ibid.
quomodo faciendi 561.
Caseos non fieri ex animantibus quæ plures quam quaternas mammas habeant 563.
Castanea 375.
Castimoniale 354.
Castratio agnorum 537.
Catonis de pastione responsum 440.
Catonis oraculum 58.
Catuli generosi indicia 591.
Caudices è seminibus præstare syluestribus & rubis 300.
Caules cabuti 221.
Caulis crispus sessilis ibid.
Cedrus 423.
Cedria resina ibid. & 433.
Celeuma requisitorium 772.
Cella penuaria 45.
Cepa 236.
Cepe capitatum ibid.
Cepe fissile 237.

Cephalus	818.
Cephenes	711.
Cera noua optima	704.
Cerarum figura	702.
Ceræ colorandæ rationes	707.
Ceræ faciendæ ratio	ibid.
Ceraſa Actia	378.
Ceraſa ſine oſſibus	376.
Ceraſorum genera	378.
Ceraſus	376.
Cereuiſia	110.
Cerinthus	676.
Cerretum	399.
Cerri materia	429.
Cerefolium	226.
Ceruarum partus	763.
Ceruorum cornua abiiciuntur	764.
Ceruorum retia	767.
Ceruorum violenta exagitatio	668.
Ceruorum venatio trifariam inſtituitur	764.
Ceruorum valdè mira impoſtura	771.
Ceruorum vox	762.
Ceruo cedere licet	762.
Ceruus flumen petit exagitatus	773.
Cete	812.
Chalcides	824.
Cicer	135.
Cicerula	136.
Cicorium	219.
Cineris ſtercoratio	78.
Citrangula	363.

Citrea malus 361.
omnibus horis pomifera 362.
poma ibid.
Citreæ ſerendæ ratio 363.
Citreola ſeu citrula 362.
Clerus quid 712.720.
Coagulum 561.
Cœli ratio in horti loco deligendo 203.
in terra temperatura 69.
ſtatus in ſeminandis plantis 210.
Cohors 47.
Colecynthis 250.
Colono opus anarius quàm penſio exigendum 61. 184.
Colonorum mutatio noxia 185.
Colonorum ratio ibid.
Coloſtra 535.559.
Columbæ 644.
Columbarij exſtructio 649.
Columbariis accipiter arcendus & eius capiendi modus 654.
Columbarum cibus 653.
genera 645.
hoſtes 654.
precia 644.
retinendarum alliciendarumq; ratio 653.
Columbinorum pullorum ſaginandorum ratio 648.
Comoſis 673.
Conchæ ibid.
Conſeptum 46.

Consiligo eiusq; vsus. 269.485.517.
Cordum fœni genus 180.
Cordi 534
Coriandrum 225.
Cornus arbor 367.
Corruda 212.
Corylus 374.
Cossi arborum vermes 431.
Cotonea malus 354.
quomodo legenda 356.
quomodo seruanda ibid.
Coturnices 659.
Coturnicum aucupium 801.802.
Courmi 110.
Crambe 221.
Crates pro ouilibus. 544.
Cratire 89.
Cremor Celso quid 560.
Cresini Furij agricolæ diligentiæ exemplum. 180.
Crocodilus quomodo capiatur 788.
Crocus 252.
Cucumer 245.
Cucumeres grandiores. 247.
Cucurbitæ ibid.
Cucussæ 248.
Culina 44.
Culturæ incoandæ tempus 211.
Cuminum 225.
Cuniculus eiusque venatio 759.
Cunilæ 257.

Cupressus 423.
Cydonia 354.
Cygnus 659.
Cylindri ductus 97.
Cymosum 221.
Cypressus 259.
Cyprinus 827.
Cyrus inter pastores educatus 441.
Cytisus 147.

D

Damarum venatio 761.
Damascena 380.
Daucus 234.
Deplendi animalia ratio 486.
Delphini 815.
Dines quis 27.
Domandi disciplina 508.
Domini oculus saginat equum 475.
Domini planta optimus fimus. 8.
Doracina vel Duracina 381.
Δρὺς *quid* 397. 400.

E

Elatine herba 256.
Elœostaphili 286.
Elephanti quomodo capiantur 783.
Emplastratio & inoculatio 291.
Endivia 219.

Ennula siue enela 270.
Ennula Campana ibid.
Epitheta terræ 90.
Equæ 406.
Equæ an quotannis implendæ 462.
Equæ asinus admitti potest 462.
Equæ prægnantes quo pacto tractandæ 463.
Equarum partus tempus. 457.
Equarum quotannis delectus habendus 468.
Equas vento concipere 261.
Equi 447.
admissarij ætas 456.
ætas vnde cognoscenda 457.
aquam pede turbatam potant 473.
armi 451.
asthmatici curatio 484.
aures 451.
caput 450.
Equi cauda ἵππουρις dicta 452.
cernix 450.
χάμηλαι 449.
chelidones ibid.
cibum recusantis remedia 473.
claudicantis cura 479.
clunes 451.
colores 454.
crepatiæ quomodo curandæ 480.
dentes γνώμονες 457.
distentio verfangen *vt curetur* 453.
dorso attriti cura 482.

fœmora 449.
forma à Virgilio expressa 452.
gallarum curatio. 481.
genua 449.
incolumitas vt seruetur 475.
in reddenda vrina cura 477.
juba 450.
lassi cura 476.
latera 451.
lumbi ibid.
lumbricis afflicti indicia & cura 483.
lunatici cura 485.
Equi nares 451.
ne muscis infestentur 482.
Equi pulli quando domandi & laboribus adhibendi 466.
Equinorum pullorum tractandorum ratio 464.
vitiorum morborumq; curatio 475 479.
Equi oculi 450.
os ibid.
pectus 449.
pedes 448.
pedum cura 478.
rheuma vt curetur 483.
aqua conueniens 474.
scabiei & serpiginis cura 485.
cognationis sensus 461.
spina 451.
stenachoriasis seu syncopes cura 482.
venter 451.
ventris dolorum remedia 483.

vitæ tempus 458.
vngulæ 448.
Equo exercitium vtile 476.
Equorum admissuræ tempora idonea 459.
aquandorum ratio 473.
Equorum castratio 466.
fricatio 468.
labore peracto cura. 472.
lupini dentes abradendi 473.
pabulum 469.
purgatio 470.
remedia generalia 486.
stabula 466.
tegumenta 477.
minus læsi portando 466.
Equo volutatio vtilis 477.
Equus admissarius qualis esse debeat 455.
incalescens non aquandus 477.
mas vt generetur 461.
quibus vitium prodat 476.
quomodo contemplandus 448.
Erithace 676.
Eruilia 133.
Eruum 132.
Esculetum 399.
Esculus 418.
Eunuchion 219.

F

Faba 128.
Fabacearum palearum vſus 324.
Fabæ fertilitas 130.
meſſis 160.
Faba freſa 130.
Fabalia 129.
Faba refrina 130.
Faginetum 399
Fagus 419.
Familiæ cura 55.
Familiæ valetudinis cura 56.
Far quid 113.
Fauonij ſpirantis tempus 414.
Ferarum aſyla 769.
Feles 600.
Fertilitas mira tritici. 100.
Fertilitas quarundam regionum. 71.
Feſtis quæ exercenda 59.
Ficedulæ 659.
Ficus 422.
Fœniculum 226.
Fœni parandi ratio 178.
Fœni ſecandi modi ibid.
tempora 177.
Fœnum Græcum 140.
Fomentorum ratio 523.
Fraga 242.
Frangi facilia 432.
Fraxinetum 403.

Fra-

Fraxinus 419.
Frit 102.106.
Fructus sylvestrium arborum 432.
Fruges miscellaneæ 127.
Fruges victui magis necessariæ 100.143.
Frugis appellatio 92.
Frugum genera ibid.
quibus vescimur nomina ignorari 102.
Frumenta æstiua 118.
hyberna præstantiora 103.
Frumentum quid & eius genera 92.
Frumentum 15. diebus in vaginis esse & florere, & maturum exarescere 158.
Fucus 676.
Fulica quomodo capiatur 800.
Fundi locandi stipulatio 187.
Funduli ibid.
Fuueta. 317.330.

G

Galla 401.433.
Gallinacei castratio 619.
Gallinacei mares quales deligendi 606.
Gallinaceorum pullorum exclusio citra excubationem 610.
morbi & cura 615.
Gallinæ 604.
quales comp. ad fœturam 605.
quot diebus excludant 612.
Gallinarij constitutio 623.

Gallinarum delectus in seruando 618
incubationis tempus 608
pascendarum cura 625
saginandarum modus 618.
Gallinis puluerem suppeditandum 625
quæ oua supponenda 609.
quomodo excubãdi cupid. inhibeatur. 609.
Gallus gallinaceus quot fœminis iũgendus 607.
pœnitentiæ concionator ibid.
Ganzæ 632.
Generalia de leguminibus 141.
Geniculatritici 105.
Geniculum surculi 288.
Germaniæ anseres Plinio commendati 632.
fertilitas 72.
Germania serò vineas colore cœpit 308.
Germanorum villæ 29.
Glandiferæ sylvæ 397.
Glandis appellatio 401.
Glandium discrimina 400.
vsus 433.
Glastum 155.
Gluma 102.
Glycyrrhica 243.
Gobij 827.
Granaria 167.
Granata seruandi ratio 361.
vt sine acinis nascantur 360.
Granatum pomum cur sic dicatur 359.
Granatis omnibus idem acinorum numerus 361.

INDEX.

H

Halec 361.
Hararum conſtitutio 573.
Helenium 270.
Heluetiorum paſtores 586.
Herbæ annuæ 210.
regerminantes 210.
medicæ 268.
Voluptuariæ & Coronariæ 258.
Herba horas indicans 240.
optima paſcuis 177.
Hercules quo gloriam meritus 732.
Heſiodus in Bæotia ſcripſit 160.
Hilum quid 130.
Hinnuli veteribus qui 491.
Hippomanes 460.
Hippurus piſcis ibid.
Horda quid 500.
Hordei ad cereuiſiam macerandi ratio 36.
Hordei æſtiui meſſis 159.
Hordei hyberni meſſis ibid.
Hordeum 108.
Horrea penſilia 165.
Horrei poſitio 164.
Horreorum frumentariorum genera 48.
Hortenſium ſatio 206.
Horti areæ quomodo conſtituendæ 204.
Horti diſtinctio 192.
Horti ſitus 193.

Hortis quæ terra idonea 202.
Horti ſtercorandi paſtinandiq; ratio 205.
Hortorum cultura 204.
culturam eſſe vetuſtiſſimam 188.
locis deligendis quæ conſideranda 194.203.
Hortos quis primus Athenis inſtituerit 191.
Hortus altera ſuccidia 190.
aqua deſtitutus vt fodiendus 195.
neglectus nequam matrisfamilias indicium 190.
quando rigandus 195.
Humipetæ accipitres 794.
Hyperborcorum terræ fertilitas 72.
Hypogea 45.
Hyſſopus 257.

I

IBices ſiue capræ ſylueſtres quomodo capiantur 787.
Ilex 418.
Ilicetum 399.
Imperatores ex agricolis orti. 19.
Imperatores ex armentariis orti 441.
Imperij domeſtici moderatio 57.
Inoculatio 291.
Inſerendi modus 288.
Inſerendi tempus 287.
Inſerendo veteres truncum findere metuebant 290.
Inſitio Gallicæ terebræ 294.

Insitioni quales surculi deligendi 286.
Insitionis nouus modus 295.
Insitionum genera 284.
Insitio surculi inuersi 291.
Instrumenta rustica 40.
Intergerinus paries 45.
Interlunium siue silens Luna 413.
Internodia surculorum annorum numerum pro-
dunt. 287.
Intybum vel intubus 219.
Italia cur pomarium dicta 71.
Italiæ nomen vnde 499.
Iterare agrum quid 89.
Iuglandes 373.
Iuglandis vsus 424.
Iumenta, & vnde dicta 439.443.
Iumentorum in arando iungendorum ratio 80.
Iuniperus 422.
Ius tortinum 350.

L

Lac nigrum 558.
Lac quo pacto probetur an purum 559.
Lactis cura 557.
Lactis discrimina 558.
Lactis serum 562.
Lactuca 216.
Lactucinorum familia vnde 191.
Lamnæ pisces 814.
Lampetra 829.

Lanæ præstantissimæ 546.
Lapathium 224.
Larix 418.
Lauanda 259.
Lauendula 259.
Laurix animal mirè fœcundum 760.
Laurus 370.
Leges Colonicæ de syluis 397.
Leges Reirusticæ passim ex autorib. collectæ 832.
Legumenta 141.
Legumina 92. & 127.
Leguminibus communia 141.
Lens siue lenticula 134.
Leonum venatio 782.
Leporarius defensor 756.
Lepores Indi quomodo venentur. 757.
Leporis retibus capiendi ratio. 756.
Leporis superfœtatio 752.
Leporis venatus 751.
Lepus sexum mutare dicitur 752.
Libri nomenclatura 421.
Ligna dotabilia 415
Ligna durabilia ibid.
Ligna fissilia 415.116.
Ligna flexibilia 416.
Ligna glutinum non ferentia 416.
Ligna quæ ad quam materiam idonea 415.
Ligna secari facilia 416.
Ligna serris idonea 416.
Lignum vitæ 276.
Lilium 267.

Limones 362.
Linum 151.
Lira quid 90.
Lirare 90. & 97.
Lobæ 124.
Locusta piscis 818.
Lomentum quid 130.
L. Volusij dictum 185.
Lunæ ratio in plantando 211. & 283.
Lunæ ratio in serendo 211.
Lunæ ratio in stercore 76.
Luna silens 413.
Lupinum Sole circumagi 140.
Lupinus 138.
Luporum venatio 780.
Lupulus salictarius & reptitius 244.
Lupus morbus 519.
Lupus piscis 825.
Lybica citrus 361.
Λύτα 599.

M

Machina quid 494.
Maiales porci 576.
Maiorana 358.
Mala Carpendua 345.
Mala ac poma 343.
Mala Distelina ibid.
Mala Paradisiaca ibid.
Mala Passipoma ibid.

Mala Postellana ibid.
Mala Rabaudica ibid.
Mali ægrotantis cura 347.
Malicorium 361.
Mali quomodo conserendæ 345.348.
Mallcolus 316.
Malope 240.
Malorum genera 344.
Malorum vermes vt exstinguantur 347.
Malus arbor quod solum postulet 347.
Malus Assyria mirè fertilis 345.
Malua 239.
Manna 692.
Marga **Mergel** 77.
Marius 191.
Mas quomodo gignatur 505.&533.&612.
Materiæ arbores destinatæ quo pacto cædendæ 414.
Materiæ cædendæ tempora 412.
Materiæ magis idoneæ arbores 417.
Materiæ quæ quibus structuris conueniant 425.
Materiæ tortæ deprehensio 431.
Materiæ flexibiles 429.
Materia idonea ædificiis 426.
Materia idonea aratris 427.
Materia idonea aquarum tubis 426.
Materia idonea arcubus 428.
Materia idonea asseribus 429.
Materia idonea axibus 427.
Materia idonea capulis 428.
Materia idonea carbonibus 429.

Materia idonea coagmentationibus & commissuris 426.
Materia idonea curuaturis ibid.
Materia idonea durabilibus operibus 426.
Materia idonea flammis & lumini 429.
Materia idonea flexuris. 427.
Materia idonea foribus 428.
Materia idonea hastis ibid.
Materia idonea igni excipiendo 429.
Materia idonea laminis 427.
Materia idonea malleis 428.
Materia idonea mensis 427.
Materia idonea nauibus 425.
Materia idonea scansulis 427.
Materia idonea scutis 428.
Materia idonea terebrarum vaginis 428.
Materia idonea trochleis ibid.
Materia idonea vectibus ibid.
Medica malus 361.
Medica pabuli genus præstantissimum 144.
Medicæ plantæ 268.
Medicina ex hortis 268.
Μῆλα aurea Hesperidum quid 442.
Mel 691.
Melanthinum 703.706.
Melca 565.
Mel ericæum 706.
Mel horæum ibid.
Mellationis cura 704.
Mellationis modus 703.
Melli exprimendo instrumenta necessaria 705.

Mellis genera 706.
Mellis ratio 705.
Mellum Varroni quid 593.
Melones 245.
Melopepones ibid. & 246.
Mel optimum 692. 705.
Mel quibus corrumpatur 706.
Mel vnde fiat ex Aristotelis & Plinij sentētia 691.
Mentha 256.
Mergus 317.
Merluca Stockfisch 820.
Messem serotinam semper decipere 98.
Messe peracta solum inarandum 164.
Messis 157.
Mespilū cum sorbo à quibusdam confundi 358.
Mespilus 357.
Metendi varij modi 161.
Mida 130.
Milij iuba 123.
Milij messis 161.
Milium 122.
Mina quid significet 531.
Mirum de vermibus in capite cerui 774.
Mola asinaria 35.
Molæ frumentariæ genera ibid.
Mola iumentaria 36.
Molluscum 425.
Mona 829.
Monachismus verus 15.
Mons quomodo aretur 83.
Morus 365.

Morus arborum sapientissima ibid.
Mugiles 823.
Mularum color 493.
Mulas alicubi parere 492.
Mulcta in pecoribus 200.
Muliones 720.
Mulus 490.
Murenæ 829.
Mures quomodo capiendi vel necandi 273.
Musci in pratis enecandi varij modi 174.
Musculus piscis 812.
Mutica quid 101.
Myrtides 260.
Myrtus ibid.
Mithridatis venandi studium 735.
Myxa 380.

N

Napi 233.
Nasturtium 228.
Naues è quibus arboribus fiant 417. 425.
Nestor cur laudatus 2.
Nomina optima non appellando deteriora fiunt 185.
Nouare agrum quid 89.
Nuces 371. 401.
Nymphæ. 711.

O

OBſeruationes generales circa arbores 386.
Occa. 89.
Occatio Occare 97.
OEnanthe 261.
Oeſtri 725.
Officinæ 268.
Offringere terram 89.
Olea 335.424.
Oleæ & vitis concordia 337.
Oleæ durabilitas 426.
Oleæ inſerendæ tempus 341.
Oleæ maturitatis indicia ibid.
Olearum plantarium 337.
Oleaſter 424.
Olei ætas 341.
Olera 212.
Oliuantium lex 342.
Olyra 106.
Omelyſis 564.
Onagri 488.
Oporothecarum inſtitutis 46.& 348.
Oraculum Catonis 58.
Orca piſcis 814.
Orcinus 818.
Orcinus 824.
Ordinis commoditas 43.
Ordo quincunxialis 274.
Ordo ſcacatus & alueolatus 274.

Ortygometra 659.
Oryza 125.
Ossea materia quibus arboribus 432.
Ostrea 818.
Ostrearum viuaria. 666.
Oua exclusioni destinanda quomodo sint explo-
randa 609.612.
Oua quomodo aduersus tonitrua sint munienda
613.
Oues Græcæ 545.
Oues Musica delectari 542.
Oues paucas easq; bene pascendas 543.
Oues quæ ætate ac forma comparandæ 527.
Oues qua ætate generent 533.
Oues qua procul à stabulis pascuntur 544.
Oues quando comparandæ 531.
Oues quid à lupe tutas præstet 551.
Oues quomodo pediculis & ricinis liberẽtur 549.
Oues sale reficiuntur 538.
Oues spicas legere non conuenit 541.
Oues tectæ 537.545
Ouis deglutita hirudine cura 551.
Ouis pulmonariæ cura 550.
Ouis tussientis cura ibid.
Ouium admissuræ tempus 534.
Ouium alendarum numerus 532.
Ouium caudæ miræ magnitudinis. 528.
Ouium color 530.
Ouium crura fracta quomodo curanda 550.
Ouium delectu quotannis habendus 547.
Ouium difficulter spirantium remedium 550.
Ouium emptionis formula 530.

Ouium febricitantium remedia 549.
Ouium fœcunditas 534.
Ouium genera 527.
Ouium incolumitatis conſeruandæ commune remedium 549.
Ouium inter triginis cura 549.
Ouium mentigine correptarum cura 550.
Ouium pabulum 537.
Ouium partus tempus 534.
Ouium paſcendarum cura 540.
Ouium ſcabies, eiusq; curandæ modi 547.548.
Ouium ſtabula 542.
Ouium tonſuræ tempora 545.
Ouorum delectus quis habendus, vt vel mas vel fœmina producatur 612.
Ouorum diſcrimina, & de ouis in genere 620.

P

PAbula iumentorum 143.
Pabulum & genus incrementũ largitur 506.
Pabulum genus nobilitat 570.
Palma 425.
Palma oneri renititur 427.
Palmarum inter ſe ſympathia 384.
Pali 330.
Palmes fructuarius 317.
Palmes pampinarius ibid.
Palmitum genera ibid.
Panici meſſis 161.
Panicum 124.

Pampinatio vineæ 330.
Pantheron retis genus 803.
Papauer 229.
Papilionum perimendorum modus 724.
Pardalis quomodo capiatur 782.
Pascuus ager 170.
Passum vini dulcis genus 484.
Pastionis pecuariæ cum agricultura societas 437.
Pastinaca 234.
Pastinare 90.
Pastinum ibid.
Pastores & pastoritia ars 586.
Pastores Heluetiorum 585.
Pastore emendo stipulatio 586.
Pastoritiæ antiquitas & dignitas 440.
Pastoribus Monarchæ educati 441.
Pastorum cum principibus similitudo 442.
Pastorum in pascendo cura 542.
Patremfamiliâs vendacem magis quàm emacem esse debere 12.
Patresfamiliâs veteris rei rusticæ 61.
Patriarchæ pastores 440.
Patrisfamiliâs in Re Rustica temporis dispensatio 7.
Pauones 635.
Pauonum morbi 640.
Phaseolus 133.
Phocæ pisces 814.
Pecora ægra suffimentis iuuari 517.
Pecore antiquitus mulctari solitum 439.
Pecorum ægrorum communia remedia 517.
Pecudum appellatione quid veniat 443.

Pecten piſcis 824.
Pectines è fagis 432.
Pecuniæ & peculij vocabula vnde 439.
Pedamenta 330.
Pepones vnde dicti 245.
Perca 828.
Perdices 657.
Perdices quomodo capiantur 801.
Periſtereon 292, 644. 649.
Periſterotrophium ibid.
Pernæ Celticæ 566.
Pernica 252.
Perſica malus 361.
Perſica poma 380.
Perſici caro in amygdali nucleo vt proueniat 285.
Peſtilentiæ varietas in pecoribus 516.
Peſtilentia pecori vnde 515.
Petroſelinum 225.
Phaſiani 655.
Phiſeteres 813.
Phobæ 124.
Picea 376. 405.
Pimpinella 256.
Pinus 376. 404. 423.
Piſcandi varij modi 808.
Piſcando venti habenda ratio 808.
Piſcatio fluuiatilium 825.
Piſcationis tempora 807.
Piſcatio quando inſtituenda 806.
Piſcator qualis poſtuletur 805.
Piſces cœnoſis locis gaudentes 667.

Pisces non omnes vbique ali 666.
Pisces & eorum vinaria 661.
Pisces quibus locis delectentur 808.
Pisces qui vbi meliores 811.
Pisces saxatiles 667.
Piscibus & auditum & olfactum inesse 812.
Piscinæ loculatæ 668.
Piscinarum genera 661.
Piscinarum optimus situs 662.
Piscium vinaria 663.
Pisi messis 161.
Pisum 131.
Pissoceros 675.
Pistacea 368.
Pistrinum 34.
Pituitæ auium remedia 616.
Pix 432.
Plantæ fruticantes 94.
Plantæ maledictis satæ melius prouenientes 216.
Planta furtu gaudens ibid.
Plantæ omnes ferè semine proueniunt 208.
Plantæ quàm variis modis proueniant. 207.
Plantæ radice prouenientes 208.
Plantandarum arborum genera 283.
Plantandi tempus ibid.
Plantando cacuminum habenda ratio 299.
Plantando caudices è seminibus præstare syluestribus 300.
Plantando Luna obseruanda 283.
Plantandorum maceratio 299.
Plantando temporis ratio habenda ibid.

Plantarum distinctio 206.
Plantarum prouenientium varietas 207.
Plantata semine 298.
Plantationis & serendi varij modi diuersorum seminum 298.
Plantatio sarmentorum 318.
Plantatio stolonum 297.
Plantatio talearum 297.
Plantatio viuiradicum 318.
Plantis seminandis cœli status considerandus 210.
Platani insigni magnitudine 420.
Platanus ibid.
Plinij locus correctus 79.378.
Plinij locus notatus 419.
Plinius plurimis locis Germanicas voces vsurpauit 378.
Pluuio cœlo non arandum 81.
Plugrad 79.
Podostrabe quid 765.
Ποιμένες λαῶν 442.
Polypus 824.
Poma quo pacto seruentur 348.
Poma quando matura iudicentur 348.
Pomarium 274.
Pomarium quomodo constituendum 279.
Poma vt rubra proueniant 285.
Pomea lora 350.
Pomi significatio 344.
Pomorum seminarium 345.
Pomum vnde dictum 343.
Ponceria 562.

Populetum 406.
Populi vſus 418.
Populus alba 406.
Populus nigra ibid.
Porca ruſticis quid 90.
Porcelli delici antiquis dicti 575.
Porcelli lactentes ibid.
Porcelli nefrendes ibid.
Porcelli ſacres ibid.
Porcelli 30. vno partu editi 573.
Porci ægrotantis ſigna 577.
Porci grandinoſi cura 580.
Porcinum pecus 565.
Porci lienoſi cura 578.
Porci ſani indicium 577.
Porcorum admiſſuræ, & partus tempora 571.
Porcorum anginæ & ſtrumarum cura 578.
Porcorum caſtratio 576.
Porcorum emendorum ſtipulatio 568.
Porcorum febricitantium cura 577.
Porcorum greges 566.
Porcorum morbi & remedia 577.
Porcorum nauſeantium cura 578.
Porcorum paſcendorum ratio 568.
Porcorum pulmonaria laborantium cura 580.
Porcorum ſaginandorum ratio & ſaliendæ ſuillæ carnis 582.
Porcorum ſplenis vitij remedia ibid.
Porcorum veternoſi & ignoti morbi remedium 578.
Porcos buccina ſono colligi 571.

Porrum 235.
Portulacea 241.
Præcoqua 381.
Prætorium 37.
Prata nouella quomodo faciendà 175.
Prata vnde dicta 171.
Pratorum ratio ibid.
Præsinus piscis 829.
Propagationum genera 296.
Propolis 675.
Proscindere terram 89.
Prothyron 32.
Prouerbium de olea 340.
— Prunorum genera 380.
— Prunus 379.
Ptisana 112.
Pulli famarij 623.
Pumiliones gallinæ 605.
Punica malus 359.
Purpuræ 816.
Putei fodiendi ratio 194.
Pyra qua ratione rubra producantur 285.
Pyri serendæ plantandæq; ratio 351.
— Pyrorum genera 352.
Pyrorum seruandorum ratio 354.
— Pyrus 350.

Q

QVando & quantum iugero iniiciendum, definiri nequit 99.
Querceti plantatio 397.
Quercus 397.417.

Quercus miræ magnitudinis 398.
Quercuum vsus 417.
Quoties terra aranda ad sementem 85.

R

Radice nascentia 208.
Radiculæ vsus 517.
Rancere ceruorum vox 762.
Rapa 232.
Rapacij messis 158.
Rapacium 115.
Rapam serens quid precari debeat 118.
Rapi mira magnitudo 117.
Rapi radix 116.
Rapum 115.
Raphani magnitudo 230.
Raphani radix 229.
Raphanus 117. & 229.
Rapunculus 233.
Ratio aëris in villa 32.
Ratio cum Orco non ponenda 182.
Recocta quid 565.
Rei Rusticæ Encomium 17.
Rei Rusticæ leges 832.
Rei Rusticæ Reges & Monarchas vacasse 17.
Remedia arborum ægrotarum 392.
Remedia aduersus culices 272.
Remedia aduersus curculiones 168.
Remedia aduersus erucas 271.272.
Remedia aduersus pulices olerum 274.

Remedia aduersus vermes arborum 392.
Rempublicam quæ conseruent 4.
Resex 316.
Resina 432.
Resinam sudantes arbores 405.
Restibilia quotannis 86.
Ribes 243.
Rhodocina 381.
Roboris vsus 418.
Roboretum 399.
Retia varia 737.
Robus 102.
Romulus inter pastores educatus 441.
Rosa 262.
Rosæ Incarnatæ 264. & 267.
Rosæ Prouinciales ibid.
Rosarum semina ibid.
Rosmarinus 254.
Rubus Idæus 242.
Rulla 80.
Rumex 224.
Runcare 89.
Rusticæ diligentiæ memorabile exemplum 180.
Rusticationis difficultas 53.
Ruta 515.

S

Sabina 270.
Salar piscis 825.
Salices perticales eorumq; cultura 408.

Salices viminales ibid.
Saliceta 406.
Salicis viminalis satio 409.
Salicis usus 418.
Salicum genera 407.
Salmo 830.
Saluia 256.
Samara 402.717.
Sambucus 421.
Sandaraca 676.
Sarculatio 97.
Sargus 822.
Sarmenta, qua & unde sumenda 319.
Sarmenta quomodo seruentur ibid.
Sarmenti longitudo 321.
Sarmentorum plantatio 318.
Sarrire, quid 89.
Scamnatus ager 90.
Satureia 257.
Scamnum agricolis quid 90.
Scarus piscis 817.
Schadones 710.
Schiston Dioscoridi quid 559.
Scrofæ ætas 568.
Scrofæ forma 567.
Sebesten 380.
Secale 106.
Secualia 208.
Segetem ne defruges 86.
Selinoeus brassica 221.
Sementes tres 206.

Semina æstiua 99.
Semina hyberna 45.
Semina quæ celerius tardiusúe erumpant 209.
Semina quæ cui solo conueniant 95.
Semina quæ eligenda 92.
Semina quæ ferant herbæ 207.
Seminariorum translatio 301.
Seminarium arborum syluestrium 396.
Semine prouenientia 208.
Semine vetere quæ melius proueniant 227.
Seminis mensura non omni agro eadem 94.
Seminis quantum iugero iniiciendum certò definiri non posse 99.
Seminum diuersitas 92.
Seminum ratio 209.
Sepes structilis 197.
Sepes viua structili præfertur 198.
Sepia 823.
Sepis viuæ extruendæ varij modi 199. 201.
Sepimentorum Varroni quatuor genera 197.
Sepimentum fabrile 198.
Sepimentum militare 197.
Sepimentum naturale ibid.
Serendi ratio 93.
Serendi tempus 97.
Serendi tempus in vniuersum definiri non posse 99.
Sergius Orata 666.
Serotinam messem semper decipere 98.
Sesaminum oleum 127.
Sesamum 126.

Siliginea messis 160.
Siliginis satio 49.
Siligo 106.
Siligo tritici delitiæ 102.
Siliqua pro fœnogræco 141.
Silurus 830.
Simiarum capiendarum modi 785.
Sinapi 229.
Sirenes apis genus 711.
Siser 234.
Sisera ex Gelduba Rheni castello Romam Tiberio quotannis deportata ibid.
Sisimbrium 229.
Sisimbrium aquaticum ibid.
Σμήνιον 675.
Solaria herba 240.
Solitudinis vsus 6.
Solstitij tempore messis fauorum & frumenti 723.
Solum ínarandum à messe 164.
Sorbus 358.
Spelta 112.
Spinacia 223.
Spongia 821.
Sporia 150.
Stabula 48.
Statuæ sudantes vnde fiant 423.
Stercoratio 73.
Stercorum genera 73.
Stercus non ad truncum 324.
Stercus recens pratis conueniens 75.

Stercus vetus segetibus vtiliſſ. ibid.
Stercus vitibus idoneum 324.
Sterquilinium 47.
Stillicidia nocent arboribus 282.388.
Stipulationes in locando fundo 187.
Struthiocameli vt capiantur 800.
Strobilus 251.& 376.
Stuppa 153.
Sturio piſcis 830.
Suber 430.
Suberetum 399.425.
Sublimipetæ accipitres 794.
Succinum 434.
Suffimenta 517.
Sulcorum ducendarum ratio 80.
Sucrini 246.
Sumen Italiæ 176.
Surculi quomodo diutius ſeruentur 291.
Surculorum inſerendorum regiones notandæ 316.
Sus quatuor menſes fœta 571.
Sylua abietum 404.
Sylvæ aliæ aliis arboribus gaudent 395.
Sylvæ arborum non glandiferarum 402.
Sylvæ cædendæ tempora 412.
Sylvæ cæduæ 410.
Sylvæ cæduæ diſtinctio 411.
Sylvæ glandiferæ 397.
Sylua picearum 404.
Sylua pinorum ibid.
Sylvarum cura apud Romanos Conſulibus demandata 394.

Syl-

Syluestrium arborum fructus 432.
Syluestrium arborum seminarium 396.
Syri 167.

T

Tabulatum frumentarium 45.
Talparum necandarum, fugandarum & capiendarum modi 273.
Taura 500.504.
Tauri bannales 506.
Tauri forma 502.
Taxi venatio 759.
Tempus excludendi 278.
Tempus plantandi 283.
Terræ bonæ notæ 68.
Terræ bonitas cognoscenda 66.
Terra carbunculata 91.
Terra cruda 90.
Terræ cuique quid conueniat 69.
Terræ densæ indicium 311.
Terræ epitheta 90.
Terræ rarę signum ibid.
Terra humida 91.
Terra inferior ieiunior 82.
Terram mutari 69.
Terra quæ quibus conueniat 70.
Terra vliginosa 91.
Testudo marina 814.
Tertiare quid 89.
Teutlomalachus 223.

Thasie 371.
Theseus quare laudem consecutus 732.
Thrasybulus 191.
Thunni 818.
Thymallus 829.
Thymbra 257.
Thymus 258.
Tigrides quibus artibus capiantur 783.
Tilia 420.
Tinea 829.
Tinnunculus 654.
Tithymalli flores 717.
Tondendi arbores ratio 411.
Torpedo piscis 823.
Trifolium maius 148.
Triglæ 824.
Triticea messis 160.
Tritici foliorum & granorum mira magnitudo 106.
Tritici genera 102.
Tritici satio 103.
Tritici spica 101.
Triticum 100.
Triticum & vitis eodem tempore florent 104.
Triticum faginum 120.
Trocta 826.
Truta ibid.
Tuber. 425.
Turdi 657.
Turtures 657.

INDEX.

V

Vacca ætas 503.
Vaccæ ætas vnde cognoscatur 504.
Vaccæ forma 503.
Vaccæ partus 504.
Vaccæ & Reginæ idem tempus partus ibid.
Vaccam vno initu concipere. 505.
Valuulæ 130.
Velleris Aurei significatio 442.
Venabulum quale requiratur in sue figenda 777.
Venatici canes 741.
Venaticum celeuma 769.
Venatio aprorum triplex 776.
Venatio bisonum 787.
Venatio capreolorum 761.
Venatio ceruorum ibid.
Venatio cuniculorum 759.
Venatio damarum ibid.
Venatio leonum 782.
Venatio leporis 751.
Venatio luporum 780.
Venationis genera 736.
Venationis studium vetus & laudabile 732.
Venationi terrestri necessaria 739.
Venationis tempora 748.
Venationum tribus generibus communia 737.
Venatio taxi. 759.
Venatio vri 786.
Venatio vrsorum 781.

Venatio vulpis 758.
Venatoriæ leges 736.
Venatoriæ scenæ 355.
Venatoria hasta 741.
Venatoris conditio 740.
Venatoris cultus ibid.
Venatorium cornu ibid.
Venatorius culter 741.
Venatorum caneæ 767.
Venatorum topiaria ibid.
Veneris noxa 553.
Ventorum ratio in hortis 203.
Ventorum ratio in venatu 766.
Ventorum ratio in stercore 76.
Veratrum 269.
Vergiliarum occasus 725.
Verres bannales 506.
Verres qua ætate generet 258.
Vernix 434.
Verriculi vsus 810.
Verrucula 551.
Verticillum 288.
Veruactum 88.
Veruactum crudũ quomodo deprehendatur 83.
Vestibulum 33.
Vestigia ferarum prociſſo loco non ita odorata ſicut in ſyluis 772.
Vestigiorum odoratio 749.
Vestigiorum varietas 650.
Vetuſtas agriculturæ 9.
Viatores vnde dicti 18. *Vicia & vnde dicta* 137.

Vicie

INDEX.

Vicia messis 73.
Vicia pabularis 137.
Vicinitatis ratio 30.
Vicini ratio 183.
Villæ ædificandæ ratio 27.
Villæ distinctio 39.
Villæ Germanorum 29.
Villæ positio 31.
Villæ situs 28.
Villæ via 184.
Villæ locandæ ratio 184.
Villa Luculli 28.
Villa Scævolæ 28.
Villica 60.
Villici ætas 54.
Villici instituendi modus 53.
Villico opus anarius exigendum quàm pensio 61.
Villicus qualis desideretur 50.51.
Viola 268.
Vindemia 333.
Vineæ cum agrò frumentario collatio 305.
Vineæ expedita cultura 307.
Vineæ lapidum ratio 311.
Vineæ pampinatio 330.
Vineæ pedandæ ratio 330.
Vineæ primus plantator 19.
Vineæ pedandæ vincula idoneæ ibid.
Vineæ prouentus vberrimus 304.
Vineæ serò Germanis coli cœpta 308.
Vinum è pomis 350.
Vinum è pyris 354.

Virgi-

Vinum tortiuum 350.
Virgilius de agricultura in Italia scripsit 100.
Viscerationis ceremoniæ ibid.
Viscus quomodo conficiatur 433.
Vites camerat æ 309.
Vites characatæ ibid.
Vites compluuiatæ ibid.
Vites iugatæ ibid.
Vites maritatæ 317.
Vites mixtas non esse plantandas 320.
Vites pedatæ 309.
Vites quam regionem spectare debeant 113.
Vites qualem a consitione curam desiderent 322.
Vites quomodo stercorandæ ibid.
Vites topiariæ 309.
Vites traduces 317.
Viti arbores amicæ, & inimicæ 309.
Vitibus dies decretorius 305.
Vitibus solum conueniens 310.
Vitibus stercus idoneum 324.
Viti conserendæ quales requirendi surculi 315.
Vitis 303.
Vitis conserendæ tempus 314.
Vitis cultura 310.
Vitis & triticum eodem tempore florent 104.
Vitis inserendæ ratio 315.
Vitis inuentio 304.
Vitis qualem qualitatum terræ temperaturam desideret 313.
Vitis quando floreat 331.
Vitis seminarium 318.

Vitis ſerendæ genera 316.
Vitis viniferæ 307.
Vitium ablaqueatio 325.
Vitium genera 307.
Vitium putatio 327.
Vitulorum caſtratio 507.
Viuaria piſcium 663.
Viuariis qui piſces alantur 666.
Viuariorum ſeminaria 668.
Viuiradicum plantatio 318.
Viuiradix 316.
Vlmaria 402.
Vlmi vſus 418. 419.
Vrbanum ædificium 62.
Vrinæ efficaces 324.
Vrinæ vſus 73. 391.
Vrſi quomodo à melle arceantur 721.
Vruncus 106.
Vſtionis cura 523.
Vuæ maturæ indicia 333.
Vuas ſeruandi ratio 334.

Y

Ὑδροφοβία 599.
Ὑπηνέμιον ὸὸν 622.
Ὑπωνέμια καὶ ἕρια ὥα 647.

INDEX.

Z

Zea 112.
Zephyriaoua 622.
Zythum 110.
Zizyphus 367.
Zoroastres 20. annis caseo vixit 564.
Zucca 248.

FINIS.

DE VENTORVM RATIONE EX CAII PLINII SECVNDI NATVralis hiſtoriæ Libro XVIII.

VENTORVM paulò ſcopuloſior obſeruatio. Solis ortu quocunque libeat die ſtantibus hora diei ſexta ſic vt ortũ eum à ſiniſtro humero habeant. Contra mediam faciem meridies: à vertice ſeptentrio erit; qui ita limes per agrũ currit, cardo appellatur. Circumagi deinde melius eſt: vt vmbram ſuam quiſque cernat: alioquin poſt hominem erit. Ergo permutatis lateribus vt ortus illius diei à dextro humero fiat occaſus à ſiniſtro: tũc erit hora ſexta: cum minima vmbra contra medium fiat hominem. Per huius mediam longitudinem duci ſarculo ſulcum, vel cinere lineam, verbi gratia pedum 20. conueniet: mediamque menſuram, hoc eſt in 10. pede circumſcribi circulo paruo: qui vocetur vmbilicus. Quæ pars fuerit à vertice vmbræ, hæc erit ventus ſeptẽtrionalis. Illo tibi putator arborſi plagæ ne ſpectẽt, néve arbuſta vineęve niſi in Africa, Cyrenis, Ægypto. Illinc flante ne arato quæ-


que alia præcipimus. Quæ pars lineæ fuerit à pedibus vmbræ meridiem ſpectans hæc ventum Auſtrum dabit: quem à Græcis notum diximus vocari. Illinc flatu veniente materiam vineamque agricola ne tractes. Humidus aut æſtuoſus Italiæ eſt. Africæ quidem incendia cum ſerenitate affert. In hunc Italiæ palmites ſpectent: ſed non plagæ arborum vitiúmve. Hunc oliueti metator Vergiliarum quatriduo. Hunc caueat inſitor calamis: gemmisque inoculator. De ipſa regionis eius hora præmonuiſſe conueniet. Frondem medio die arborator ne cædito.

FINIS.

Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN



que alia præcipimus. Quæ pars lineæ fuerit à pedibus vmbræ meridiem ſpectans hæc ventum Auſtrum dabit: quem à Græcis notum diximus vocari. Illinc flatu veniente materiam vineamque agricola ne tractes. Humidus aut æſtuoſus Italiæ eſt. Africæ quidem incendia cum ſerenitate affert. In hunc Italiæ palmites ſpectent: ſed non plagæ arborum vitiúmve. Hunc oliueti metator Vergiliarum quatriduo. Hunc caueat inſitor calamis:



que alia præcipimus. Quæ pars lineæ fuerit à pedibus vmbræ meridiem ſpectans hæc ventum Auſtrum dabit: quem à Græcis notum diximus vocari. Illinc flatu veniente materiam vineamque agricola ne tractes. Humidus aut æſtuoſus Italiæ eſt. Africæ quidem incendia cum ſerenitate affert. In hunc Italiæ palmites ſpectent: ſed non plagæ arborum vitiúmve. Hunc oliueti metator Vergiliarum quatriduo. Hunc caueat inſitor calamis:

